RICHARDI BRISTOI VIGORNIENSIS, EXIMII SVO TEMPORE SACRÆ THEOLOGIÆ Doctoris & Profeſſoris,

ANTIHÆRETICA MOTIVA,

CVNCTIS VNIVS VERÆ ATQVE SOLIVS SALVTARIS CHRISTIANO-CATHOLICÆ Eccleſiæ Fidei & Religionis Orthodoxis cultoribus longè conducibiliſſima.

TOMVS SECVNDVS.



ATREBATI,
Ex Officina Typographica ROBERTI MAVDHVY,
ſub ſigno nominis IESV.

CIↃ. IↃ. C. VII.

ELENCHVS MOTIVORVM QVÆ IN HOC ſecundo Tomo continentur.

MOTIVVM DECIMVM-OCTAVVM.

Tantum abeſſe, vt Catholici ſint idololatræ (ſecundum blaſphemiam Hæreticorum,) vt ipſi ſint qui ſecundum Scripturas Idola cuncta deſtruxerint: idq; per eas ipſas Catholicæ Religionis partes, quas abſurdiſſimi Hæretici accuſant idololatriæ. Verè autem, Hæreticos eſſe Idolorum inſtauratores. fol. 1.

MOTIVVM DECIMVM-NONVM.

Quòd non ſolùm omnes pij Reges aliarum Gentium, verùm ipſi etiam antiqui Imperatores Romanorum, quorum conuerſio à Deo per Prophetas expreſſiùs promiſſa, & promittendo probata eſt, fuerint Religionis noſtræ: ideoq; certiſsimam imminere perditionem & Regibus, & cæteris omnibus qui hoc tempore defecerunt ad Proteſtantes. fol. 35.

MOTIVVM VIGESIMVM.

Quòd veteres illi Chriſtiani, qui in illis celeberrimis Perſecutionibus (quas Sacræ Scripturæ prænunciauerunt, & Eccleſiaſtica Hiſtoria narrauerunt) tanta à Paganis vel ab Hæreticis pro fide paſsi ſunt, non Proteſtantes, ſed noſtri fuerint. fol. 83.

MOTIVVM VIGESIMVM-PRIMVM.

Quòd Templa Chriſtianorum, eaq; in Prophetis commendata; ſicut hodie, planè ab Apoſtolorum tempore ſiue ſub Perſecutoribus illis antiquis, ſiue deinde ſub Chriſtianis Imperatoribus, clariſsima perhibuerint teſtimonia Religioni noſtræ, tum in fabrica ſua, tum in ſacra ſupellectile, tũ in cæteris omnibus. f. 139.

MOTIVVM VIGESIMVM-SECVNDVM.

Quod Diuina Officia, quæ in Templis prædictis diuinitus commendatis, ſiue ante eorum per Tyrannos demolitionem, ſiue poſt eorum per Chriſtianos readificationem, ſiue vllo deinceps tempore celebrata ſunt, noſtra fuerint: quæ eadem & Deo fuiſſe gratiſsima demonſtrantur. fol. 196.

MOTIVVM VIGESIMVM-TERTIVM.

Quod Proteſtantes tum per ea quæ, vt deſertores, mutauerunt, tum per ea quæ, vt Simiæ, ſeruauerunt in Diuinis Officijs, declararunt ſe non Eccleſiam Chriſti, ſed Synagogam Antichriſti eſſe. cum ſalubri admonitione ad Lapſos. fol. 241.

MOTIVVM VIGESIMVM-QVARTVM.

Quod noſter etiam ſit Clerus ſeu Ordo Sacerdotalis, qui in dictis Templis ac Diuinis Officijs & primitus & hactenus miniſtrauit. quodq; Proteſtantes Ordinem hunc mutando induxerint Apoſtaſiam. fol. 262.

MOTIVVM VIGESIMVM-QVINTVM.

Quod Proteſtantes manifeſto declarauerint ſe non tenere Eccleſiam, amputando perfectiſsimum Eccleſiæ membrum, id eſt Monachos: qui tamen vt primo ſtatim tempore, & ſemper deinceps in Eccleſia fuerunt, ijque eiuſdem omnino instituti, cuius nunc ſunt; ita quoq; multis clariſsimis rationibus contra omnes calumniatores defenduntur. fol. 279.

RICHARDI BRISTOI VIGORNIENSIS, EXIMII SVO TEMPORE SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS ET

Profeſſoris, Antihæreticorum Motiuorum, cunctis vnius veræ atque ſolius ſalutaris Chriſtiano-Catholicæ Eccleſiæ Fidei & Religionis Orthodoxis cultoribus longè conducibiliſſimorum,

TOMVS SECVNDVS.

MOTIVVM DECIMVM-OCTAVVM.

Tantum abeſſe, vt Catholici ſint idololatræ (ſecundum blaſphemiam Hæreticorum,) vt ipſi ſint qui ſecundum Scripturas Idola cuncta deſtruxerint: idq; per eas ipſas Catholicæ Religionis partes, quas abſurdiſſimi Hæretici accuſant idololatriæ. Verè autem, Hæreticos eſſe Idolorum inſtauratores.

PER ea quæ in quibuſdam Motiuis antegreſſis luculentiſſimè demonſtraui, ſagaciores facilè animaduertunt, penitus retuſam eſſe aciem linguarum Hæreticorum blaſphemantium, & in omni ſermone impiè conantium infigere in Catholica noſtra Religione vulnera quædam Idololatriæ, propter cultum quem Domino & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto in Venerabili Altaris Sacramento, item Sanctis eius in cælo, & pretioſis eorum Reliquijs, itemque ſacris vel ipſius, vel Crucis eius, vel Sanctorum eius Imaginibus exhibemus. Verùm vt tardiores quoque idem manifeſtè perſpiciant, paulo plura dicenda ſunt.

Primùm igitur recordentur quæ in Motiuo nono dixi de Gẽtium per Eccleſiam noſtram cõuerſione: & quòd illic euidenter oſtendi, quòd dum has ipſas & reliquas omnes particulas Catholicæ noſtræ fidei tradidit

mox Eccleſia noſtra Gentibus ſic conuerſis, Chriſtus ipſe cenſeatur eaſdem tradidiſſe, tanquam Seminator Semen ſuum. Nemo autem Chriſtianus dixerit, Chriſtum ſeminare, id eſt, docere Idololatriam. Et magis corroboraui hoc in Motiuo decimo & duodecimo per glorioſa Miracula, & diuinas Viſiones; quibus Chriſtus dignatus eſt idem Semen, tanquam ſuum, diuinitus comprobare, & hoc ſæpiſſimè, ſed maximè in prima cuiuſque gentis conuerſione: quorum omnium in Motiuo vndecimo exemplum etiam clariſſimum edidi in noſtra Britannia. Quæ ſi cuiuſquam tarditati, ſtupiditati, vel cæcitati in hac parte non ſatisfaciant: maioris adhuc lucis causâ, qui talis eſt, iſta ſeriò, grauiter, & cordatè conſideret apud ſe: Imprimis, quod dictæ Chriſtiani orbis Gentes, quas Eccleſia noſtra baptizauit, fuerint antè baptiſmum ſuum cultrices Idolorum, vtpote Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni, Priapi, & aliorum innumerabilium, ita vt in Romana duntaxat Republica numerentur à doctis ad triginta tria millia deorum. Deinde, quòd eædem Gentes poſt & per baptiſmum ſuum tam plenè conuerſæ ſint ab ijſdem Idolis & dijs ſuis, ac in tantam venerint obliuionem & ignorantiam eorundem, vt populus nec nomina eorum recordetur: ijs ſolis aliquid inde ſcientibus, ſed & id valde modicum, qui in antiquis Ethnicorum, Græcorum ſeu Latinorum, Scriptis verſantur. adeò vt ego ipſe non parum miratus ſim, inueniens apud Bedam noſtrum, quòd Angli Paſcha vocemus Eiſter (quod tamen Septentrionales Angli omnes appellant Paſe, formato vocabulo à Phaſe ſeu à Paſcha) id ſumptum eſſe à Dea quadam eiuſdem nominis, quam Maiores noſtri Ethnici eodem tempore coluerunt. Circa nomina autem deorum, quibus quatuor dies hebdomadæ appellamus, nihil liquidum & certum inuenire potuerim. Nam duos quidem appellamus ſecundum Latinos nominibus Solis & Lunæ, quæ licèt omnibus nota ſint, pauciſſimi tamen è vulgo nouerunt, quòd olim dij ſint habiti, & quòd ob eam cauſam dies illi duo ijs dicati fuerint. Alium quoque diem nuncupamus ſecundum Latinos nomine Saturni, quem doctiores aliqui ſciunt in numero deorum fuiſſe, ſed populus penitus ignorat. Reliquos autem quatuor dies quos Latini dicauerunt nominibus Martis, Mercurij, Iouis, & Veneris, Angli noſtri nominibus Tues, Wènes, Thurs, & Fri appellant. quæ quidem nomina ſi dicam eſſe Anglicana pro dictis quatuor Latinis, non ſolùm indocti Angli, verum doctiſſimi etiam mirabuntur. quod & equidem ipſe miratus ſum, audiens quoſdam doctos populares meos, qui occaſione huius diuturni Exilij linguam Germanicam, a qua Anglicana noſtra fluxit, probè callent,

Bed.

confe-

conferentes linguas, & aſſerentes, quòd cùm Anglicè & Germanicè Tonitru vocetur Thunder,& Iupiter alio nomine dictus ſit Tonans, inde factum fuerit, vt ſecundum Germanos Angli diem Iouis appellauerint Thurſ day: idemque in reliquis tribus, ſed multo obſcurius, declarantes. Quanquam igitur quidam Pontifices valde laudabiliter iuſſerint eoſdem Septimanæ dies, mutatis Gentilitijs nominibus, appellari à Clericis Diem Domini ſeu Dominicum, & Diem Sabbathi, atque Ferias: tamen in populis etiam retinentibus licèt antiqua deorum nomina, effecit nihilominus Eccleſia noſtra, vt deorum eſſe nomina, profunda obliuione ſit ſepultum. Vellem itaque audire ab Hæretico, quid aliud hæc tanta mutatio tantaque conuerſio populorum ſit, niſi quod Zacharias Propheta Dei olim prædixit: In die illa erit Fons [Baptiſmi] patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina Idolorum de terra: & non memorabuntur vltrà. [Quod & ante eum prædixerat Tobias, his verbis:] Domus Dei quæ in Ieruſalem incenſa eſt, iterum reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum: & relinquent Gentes Idôla ſua, & venient in Ieruſalem, & inhabitabunt in ea: & gaudebunt in ea omnes Reges terræ, adorantes Regem Iſraël. Quibus & cæteri Prophetæ ferè omnes diſertis verbis conſonant. In tantum, vt S. Chryſoſtomus quò probet Chriſtum eſſe Deum, extollat magnopere hoc Chriſti beneficium, & demonſtret, illum in eo tam munificum, tamque magnificum fuiſſe, vt non ſolùm ad Chriſtianos ſuos, verùm etiam ad inimicos, Iudæos ſcilicet & Ethnicos, id manare & communicari voluerit. Hinc enim in Libro qui inſcriptus eſt Contra Gentiles demonſtratio, quòd Chriſtus ſit Deus, tractat prædictionem illam Moyſi, in qua ſic ex perſona Dei allocutus eſt Iudæos: Iritabo vos in non gente, in gente inſipienti irritabo vos: ac inde dicit: Prioris populi [Gentilium] vilitatem ſignat in hoc, quòd dicit, in non gente: non enim gens putabatur eſſe, ob vilitatem nimiam, ob ſtultitiam, ob inſipientiam. Sed mutatio hæc fide facta eſt, vt noſtra gens nunc multo dignior appareat, quàm iſta fuit olim. Vide etiam quomodo declarauit, hoc ægrè laturos Iudæos, & inde irritatos futuros meliores: dicit enim: Irritabo vos in non gente: hoc eſt, Tanta dabo ipſi bona, vt æmulatione corripiamini, & mordeamini. In hoc meliores facti ſunt: Nam cùm audirent Moſem, & Prophetarum ſigna viderent, Mare diuiſum, Petras ſciſſas, Aërem mutatum, aliaque prodigia: filios ſacrificabant, & initiabant Beelphegor, magicæque vacabant arti. At vbi nos ad fidem acceſſimus, longeque vene-

Vide Moti. 22. num. 21.

Zac. 13.

Tob. 14.

Chryſ. quod Chriſtus ſit Deus, Tom. 5. col. 1030.

Deut. 32.

Rom. 10.

Num. 25.

Pſal. 105.

„ nerabiliores apparuerunt res noſtræ, quàm illorum: & ipſi zelotypiâ la-
„ borarunt, & humiliati ſunt, & ita meliores facti, quàm dum à Prophetis
„ erudirentur, & prodigia viderent. Nam ex æmulatione noſtri rectè ſe ge-
„ runt: nullus enim ipſorum vel pueros nunc immolat, vel ad idôla currit,
„ vel Vitulum adorat. [Quod idem argumentum tractat etiam in Libro

Ibidem col. 882. inſcripto Contra Gentiles, de Vita S. Babylæ, dicens Gentilibus, Deos ſuos imperaſſe parentibus horrendas & innaturales victimas filiorum, indeque (non obſtante quorumlibet Miraculorum, ſeu veriùs præſtigiarum ſpecie) manifeſtè declaraſſe, ſe non deos, ſed dæmones eſſe, & ho-
„ ſtes humani generis. At verò [contrà inquit] Dominus noſter Ieſus no-
„ bis, quod tale foret, nihil quicquam imperauit: quin potiùs admirabilis
„ quum ſit ob ea quæ edidit Miracula, nimirum ob ea quæ reliquit Præcep-
„ ta, nihilominùs quàm ob Miracula iure ab omnibus adorari, ac Deus
„ eſſe credi poſſit. Impietatem quippe eam, quam diximus, aduentu ipſe
„ ſuo ſoluit. Et quod mirabilius etiam eſt, ab dura & immani tyrannide
„ non nos modò qui ipſum adoramus, ſed eos item à quibus blaſphemijs
„ ac conuicijs laceratur, expediuit. Neque enim Gentilium quiſquam huiuſ-
„ modi victimis dæmonibus ſuis poſthac offerre coactus eſt: tanta eſt erga
„ noſtrum genus benignitate ſemper vſus: cuius etiam ampliora extant
„ erga inimicos ſuos beneficia, quàm dæmonum in amicos ſuos maleficia.
„ Siquidem dæmones, eos à quibus colerentur atque honorarentur, pro-
„ priorum liberorum mactatores agere coëgerunt: quum contra Chriſtus
„ eos qui ſe auerſarentur, huiuſmodi imperijs liberatos eſſe voluerit, im-
„ maniſque illius ſacrificij immunitatem, & pacem hanc admirabilem non
„ intra ſuos modò coarctauerit, ſed & ad alienos vſque eduxerit. hac ra-
„ tione oſtendens, illos quidem tyrannos quoſdam, ac generis noſtri pe-
„ ſtilentiſſimos hoſtes eſſe: quo nomine ſic his etiam quos ſibi aſciuerant,
„ conciliauerantque, quaſi alienis abutebantur: ſiquidem erant & ipſi alie-
„ ni. Ipſe autem & rex, & opifex, & aſſertor totius generis hominum exti-
„ tit: itaque vel alienis vt proprijs pepercit. Etenim proprium ipſius opus
„ erat vniuerſa hominum natura: quemadmodum Diſcipulus eius ait: In

Ioan. 1. propria venit, & proprij eum non receperunt.

Prodeant igitur hic rurſum Proteſtantes in medium, & reſpondeant pro Gentilibus, quòd Chriſtus inimicos quidem ſuos, & à ſe alienos Iudæos & Gentiles his beneficijs ſic affecit, Iudæos quidem (ſic vt Chryſoſtomus dicit) in totum liberans ab Idololatria, & Gentiles à dicta ſpecie Idololatriæ: Sed quòd proprium ſuum populum neutiquam liberauit, permittens ſcilicet hunc ipſum Chryſoſtomum & reliquos Chriſtianos

ſuos ab

ſuos ab antiqua idololatria relabi in aliam nouam, vtpote adorãtes Sanctos eius, & reliquias eorum, & Crucem eius cum Signis ſeu Imaginibus eiuſdem, itemque Corpus eius in tremendis Myſterijs. Proh AEgyptiacam Hæreticorum cæcitatem, qui hæc dicentes, tanta abſurda non vident, qui non intelligunt, ſe in hoc quoque (præter alia tam multa ſuprà dicta, & infrà dicenda) Ethnicorum cauſam contra Chriſtianos & contra Deitatem Chriſti agere: & Zachariam, alioſque Prophetas Dei pſeudoprophetas facere: ipſumque Deum & Chriſtũ non ſeruatæ fidei nec præſtitæ promiſſionis inſimulare! Quare blaſphement Hæretici cæci, ſi libeat, iterumque blaſphement, vſque etiam eò, dum corruant in puteũ æternæ blaſphemiæ. Cæteri, quos Diabolus & peccatũ non penitus exocularunt, vident ex his, id ipſum quod dixit D. Paulus de ſua conuerſione Theſſalonicẽſium, verè transferre poſſe Eccleſiam & ad alias Chriſtianas Gentes, quas poſt modũ ipſi conuertit, vt dicat: In omni loco fides veſtra quæ eſt ad Deũ, profecta eſt: ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuerſi eſtis à Simulachris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filiũ eius de cælis (quẽ ſuſcitauit à mortuis) Ieſum: qui eripuit nos ab ira vẽtura. [Deo nimirum non fallente fidem ſuam, ſed ſecundum verbum Prophetæ ſui diſperdente nomina & memorias Idolorum de terra, ac patefaciente ijſdem Gentibus Fontem Baptiſmi, in eoque abluente eas à peccatis & ſordibus ſuis, ſicque eas inducente in domum Chriſti Dauidis noſtri, & donante Ciuitate ſuâ nouâ Ieruſalem. Quam rem licèt per ſe euidentiſſimã, tamen dignatus eſt Deus nonnunquam & ſpecialibus quibuſdam Miraculis euidentiorẽ reddere: ſe (inquam) ipſum fuiſſe, qui ſecundum Prophetas ſuos & veterem idololatriam extirparet, & nouam Religionem Chriſtianam atque catholicam in ijſdem Gentibus noſtris plantaret. Teſtimonia huius rei illuſtria à Deo data ſunt in Anglia noſtra inter initia cõuerſionis eius. Nam (vt narrat Beda) poſt mortem Edelberthi primi noſtri Chriſtiani regis, anno ab Incarnatione Dominica 613 (qui erat annus viceſimus primus, ex quo Auguſtinus Epiſcopus cum ſocijs monachis ad prædicandum Genti Anglorum miſſus eſt per Papam Gregorium Magnum: cum filius eius Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis ibi Eccleſiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non ſolùm Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur, ita vt vxorem patris haberet. Quo vtroque ſcelere occaſionem dedit ad priorẽ vomitũ reuertendi ijs, qui ſub imperio ſui parẽtis, vel fauore vel timore regio fidei & caſtimoniæ iura ſuſceperãt. [Ac ſequitur dicens:] Nec

1. Theſ. 1.

Bed. Hiſt. lib. 2. cap. 5.

1. Cor. 5.

„ Nec ſupernæ flagella diſtrictionis perfido regi caſtigando vel corrigendo
„ defuere. Nam crebra mentis væſania, & ſpiritus immundi invaſione premebatur. Additque de alijs huic ſimilibus, & ait: Auxit autem pro-
„ cellam huiuſmodi perturbationis etiam mors Saberethi regis [itidem
„ Chriſtiani] Orientalium Saxonum: Qui vbi regna perennia petens, tres
„ filios ſuos, qui Pagani perdurauerant, regni temporalis hæredes reliquit:
„ cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliqantulum intermi-
„ ſiſſe videbantur, palàm ſeruire, ſubiectiſque populis idôla colendi libe-
„ ram dare licentiam. [Narrat denique quòd hi tres] expulerunt Melli-
„ tum Epiſcopum Londini, ac de ſuo regno cum ſuis abire iuſſerunt. [Et
„ ſubijcit diuinam vltionem, dicens: Sed non multo tempore reges, qui
„ præconem à ſe veritatis expulerant, dæmonicis cultibus impunè ſerue-
„ bant. Nam egreſſi contra gentem Geuiſſorum in prælium, omnes pari-
Naz. Inuect. 2. in Iul. Chryſ. in vita S. Babylæ ſub finem. ter cum ſua militia corruerunt. [Qualem & Iuliani apoſtatæ in bello Perſico propter eandem cauſam vltionem vrgent contra Paganos S. Gregorius Nazianzenus, & S. Chryſoſtomus, cum alijs multis Chriſti Domini famulis ac defenſoribus. Verùm aliud ibi multo adhuc mirabilius
„ diuinum teſtimonium refert Beda:] Nam expulſus Mellitus, venit Can-
„ tium tractaturus cum Laurentio [Cantuarienſi] & Iuſto [Rhofenſi]
„ coëpiſcopis, quid in his eſſet agendum. Decretumque eſt communi con-
„ ſilio, quia ſatius eſſet, vt omnes in patriam redeuntes [erant autem Ro-
„ mani] libera ibi mente Domino deſeruirent, quàm inter rebelles fidei
„ Barbaros ſine fructu reſiderent. [Et ſequitur:] Diſceſſere itaque primò
„ Mellitus ac Iuſtus, atque ad partes Galliæ ſeceſſere, ibi rerum finem ex-
Cap. 6. „ pectare diſponentes. [Ac mox de tertio narrat:] Cùm verò Laurentius
„ eos ſecuturus, ac Britanniam eſſet relicturus, iuſſit ipſâ ſibi nocte in Ec-
„ cleſia Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli [Cantuanæ] ſtratum parari:
„ in quo quum poſt multas preces ac lachrymas ad Deum pro ſtatu Eccle-
„ ſiæ fuſas, ad quieſcendum membra poſuiſſet, atque obdormiſſet: appa-
„ ruit ei beatiſſimus Apoſtolorum Princeps: & multo illum tempore ſe-
„ cretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtri-
„ ctione, quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret: vel cui
„ Paſtorum oues Chriſti in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret?
„ An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi
„ in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres,
„ afflictiones, ipſam poſtremò mortem, mortem autem Crucis, ab infi-
„ delibus & inimicis Chriſti ipſe cum Chriſto coronandus pertuli? [Et
quid ex his ſecutum protinus ſit, ſubiungit Beda, dicens: His beati

Petri

Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurentius, mox mane facto venit ad regem [Eadbaldum:] & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multum miratus; & inquirens quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere: vt audiuit, quia cauſâ ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagaſque perpeſſus: extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, & abdicato connubio non legitimo, ſuſcepit fidem Chriſti, & baptizatus Eccleſiæ rebus quantum valuit, in omnibus conſulere ac fauere curauit. Miſit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iuſtum, eoſque ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. qui poſt annum ex quo abierant, reuerſi ſunt. Et Iuſtus quidem ad ciuitatem Rhofi, cui præfuerat, rediјt: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſeruire gaudentes. Non enim tanta erat ei [id eſt, regi Eadbaldo] quanta Patri ipſius regni poteſtas, vt etiam nolentibus ac contradicentibus Paganis, Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Veruntamen ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum conuerſus eſt, diuinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Denique & in Monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum Principis, Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis fecit: quam conſecrauit Archiepiſcopus Mellitus. [Ex quibus miraculis apertiſſimum eſt quod dixi contra blaſphemias Hæreticorum: in Anglia noſtra (ſicut & in cæteris Gẽtibus) non tam homines Eccleſiæ noſtræ deſtruxiſſe idololatriam, eiuſque loco plantaſſe Religionem noſtram Catholicam, quàm Deum ipſum.

Quòd ſi autem neque ſic animaduertunt cæci Hæretici blaſphemias ſuas: ecce, vt penitus confundantur, imò non tam ipſi, quàm dæmones in eis habitantes, & per eos blaſphemias has loquentes: atque vt pleniſſima aperiatur feneſtra ſplendidiſſimæ Diuinæ veritatis luci: intelligent Chriſtiani omnes, & ſeriò cogitabunt apud ſe, quòd articuli iſti Religionis noſtræ, quos Hæretici criminantur Idololatriæ, tam longè abſunt ab Idololatria, & ab omni ſuſpicione Idololatriæ, imò tam ſunt contrariј atque ex diametro oppoſiti Idololatriæ, vt ipſa fuerint inſtrumenta, per quæ Deus omnia Idôla de terra perdiderit, & ſic præfatam prophetiam S. Zachariæ adimpleuerit. Sacramentum Altaris, inquam, Sanctos, Reliquias, Cruces & alias ſacras Imagines, cum his ſimilibus, nunquam poterant Dæmones magis ferre, quando habitabant in Idolis, quàm nunc poſſunt quandò habitant in Hæreticis. Quæ non temerè à me neque contumelioſè dici concedet, quiſquis cum iudicio legit ſuperiora quinque Motiua. Ea namque præbent duplicem huius meæ aſſer-

aſſertionis clariſſimè declarandæ viam. Vnam viam nominare poſſum, Logicam, aliam Hiſtoricam. Primùm enim ſuppeditarunt prædicta Maioribus noſtris Chriſtianis antiquiſſimis, doctiſſimis, atque ſanctiſſimis, argumenta ſolidiſſima ad confutandum Idololatras, & ad demonſtrandum contra eos, quòd Chriſtus ſit Deus. quo modo ex Honore vſuque Crucis & Signorum eius argumentantem contra eos licet in Motiuo 13 cernere Chryſoſtomum. ſimiliterque ex veneratione Sanctorum ac Reliquiarum facientem in Motiuo 15 eundem, & Auguſtinum, & Theodoretum. Quibus igitur Chriſtianorum rebus confutantur Idololatræ, has res Chriſtianis vertere vitio Idololatriæ, quomodo non ſit extremæ dementiæ? Secundò etiam hiſtoricè commemorarunt antiqui Chriſtiani contra Idololatras virtutem quoque harum Chriſtianarum rerum: idque ad noſtrum hoc loco inſtitutum, partim generali quadam ratione, partim etiam ſpeciali. Generali ratione huc pertinet, quòd in Motiuo 14 narrat contra Idololatras Auguſtinus, Cancrum in mamilla muliebri ſanatum virtute Signi Crucis: & Euſebius, Conſtantinum Magnum virtute eiuſdem victorem hoſtium Paganorum extitiſſe: & Chryſoſtomus, adhuc maiora. Item quòd ſimiliter in Motiuo 16 faciunt ex Virtute Sanctorum & Reliquiarum Theodoretus, Auguſtinus, & Chryſoſtomus. Speciali deinde ratione ad hunc locum pertinet, quòd dicunt, Dæmones

Pſalm. 95. (dij enim Gentium Dæmonia) fugari ſolitos earundem rerum virtute. Nam id virtute Signi Crucis & aliorum Eccleſiæ exorciſmorum factitatum narrant in Motiuo 14 & 17 Lactantius, Chryſoſtomus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius. Item quòd ſimiliter factitatum teſtantur virtute Sanctorum & Reliquiarum in Motiuo 16 & 17 Theodoretus, Auguſtinus, Hieronymus. Qui locus Auguſtini eò diligentiùs obſeruandus eſt, quia non obſcurè ſignificat, per Reliquias Sanctorum impletam eſſe prophetiam quandam, in qua quod Zacharias generaliter de vniuerſa terra, hoc Ezechiel prophetauit nominatim & expreſsè de terra AEgypti, quam ex diuinis literis & prophanis Auctoribus ſcimus omnes alias terras in Idolorum cultu ſuperaſſe. de hac tamen ipſa prædixit Eze-

Ezech. 30. chiel: Hæc dicit Dominus: & diſperdam Simulachra, & ceſſare faciam

„ Idola de Memphis, & de cunctis locis cæteris AEgypti. Conferat igitur Lector huic & prædictionem Hermetis Triſmegiſti Vatis AEgyptij, quam ibi Auguſtinus refert, & impletam narrat per ſanctorum Martyrum Reliquias. Sed magis adhuc in ſpecie valet ad hunc locum, quòd expreſsè narrant in Motiuo 14 Gregorius Nazianzenus & Theodoretus, per Signum Crucis editum timore ab ipſo Iuliano apoſtata fugatos in

medijs

medijs Idololatrarum myſterijs eſſe dæmones. Item quòd in Motiuo 17 expreſsè narrat Auguſtinus idem aliquando factum à quodam Sacerdote ſuo per Sacrificium Corporis Chriſti ; per quod ipſum ſimiliter factum ſæpe & à S. Bernardo ibidem refertur. Item quòd in Motiuo 16 expreſsè narrat Chryſoſtomus cum alijs plurimis, per Reliquias ſancti Martyris Babylæ fugatum dæmonem ex Idolo Apollinis Daphnæi, & conbuſtum cælitus delubrum, cantantibus interim Chriſtianis Antiochenis cultoribus S. Babylæ in faciem Iuliani Apoſtatæ & Idololatræ, Confundantur *Pſalm. 96.*
omnes qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulachris ſuis. Propter «
quod admirabile facinus S. Babylæ, timuit idem Iulianus etiam Apollini ſuo didymæo ab alijs ſanctis Martyribus, quod Sozomenus ita ſcribit: His rebus in Daphne propter Babylam Martyrem à Deo confectis, Imperator *Soz. lib. 5. cap. 19.* (credo) cùm certior factus eſſet, Eccleſias quaſdam in honorem Martyrum eſſe prope Apollinis Didymæi fanum, quod eſt pro Mileto ſitum, «
ædificatas: ſcripſit ad Præſidem Cariæ, vt ſi tectum iam & menſam ſacram «
haberent, eas incenderet: ſin earũ ædificia ex dimidia parte duntaxat per- «
fecta eſſent, fundamentis diſturbatis ſolo æquaret. [Cùm igitur glorioſiſ- «
ſimus Reliquijs Martyrũ confundantur Idololatræ, ipſiſque dæmones, eſtné aliquis tam abſurdus, tam cæcus, qui exiſtimet, Catholicos debere propter eaſdem confundi à blaſphemis Hæreticis? Aut non ſunt Hæretici potiùs qui ab ijſdem erubeſcere & ſilere nolunt, meritò exiſtimandi magis pertinaces, magiſque impudentes, quàm Iulianus apoſtata, quam cæteri Idololatræ, quam ipſi poſtremò dæmones? niſi fortè meliùs ſic dicemus, Dæmones in Idolis, minùs rebelles fuiſſe Reliquijs, quàm ſunt in Hæreticis. Nam certè quæcunque olim vel Idololatræ vel Hæretici blaſphemarunt contra Sanctos & Reliquias, ea Maiores noſtri, antiquiſſimi & ſanctiſſimi Chriſtiani nunquam dubitarunt dæmonibus potius eorũ, quàm ipſis hominibus imputare. quod in Motiuo ſuperiori S. Auguſtini de AEſculapio & S. Hieronymi de Vigilantio verba teſtantur.

Atque hæc quidem omnia de Idolis per huiuſmodi ſacra Religionis noſtræ monumenta deſtructis, repetiui ex Motiuis antegreſſis: in quibus tamen directè ea duntaxat poſui teſtimonia Antiquorum, quæ extant in eorum libris contra Idololatras & contra Idôla pro Chriſti Diuinitate conſcriptis. Iam verò ſi & ex alijs eorum Scriptis ea quæ huc pertinent, velim citare, immenſus equidem eſſe queam. Itaque breuitatis & ſolius admonitionis causâ, pauca ſolùm talia de plurimis ſubnotabo, quibus Lector magis adhuc intelligat, per Crucem & alias Imagines ſacras, per Sanctos & Reliquias, & per Diuiniſſimum

Altaris Sacramentum, & reliquas (vt placet Hæreticis) ſuperſtitiones noſtras, Dæmonum vel cultum in Idolis, vel (quod eôdem pertinet) dominatum in corporibus eſſe potenter fractum, & ſalutariter abolitum.

Imprimis igitur de viuifica Cruce Domini dixi in Motiuo 12 quòd à S.Helena matre Conſtantini Magni inuenta fuit: & in Motiuo 13 quòd Chriſtiani deinceps eandem Crucem Dominicam, (ſicut antea quoque ſemper Signa eius) ſimulque Sepulchrum, Præſepe, montem Aſcenſionis, & alia loca ſimilis ſanctitatis, in eadem veneratione habuerunt, in qua & nos hoc tempore, quos propterea Hæretici arguunt tanquam Idololatras. Nunc igitur vt pleniùs diſſipetur iſta calumnia, operæpretium erit, etiam antiquiorem adhuc hiſtoriam S.Crucis, quid ſcilicet eâ factum eſt & ante tempora S. Helenæ, ex Scriptoribus veteribus probatis audire. Sic enim planiſſimum fiet hoc quod dico, noſtram erga talia ſacra monimenta religionem ita non eſſe idololatriam, vt ſit ipſiſſima idololatriæ exterminatio: idque ita & Chriſtianorum & Paganorum tum iudicio tum factis conſtare. Dum enim narrant Scriptores Eccleſiaſtici, quantam difficultatem habuerit S. Helena in reperienda ſanctiſſima Cruce, quamnam eius difficultatis cauſam reddunt? Socratis verba ſunt: Cau-

Soc. lib. 1. cap. 13. ſam autem quæ ei quærenti tantum attulerit difficultatis, breuiter exponam: Quemadmodum illi qui Chriſti fidem amplexarentur, poſt tempus illius Paſſionis illud Monumentum in magno honore habuerunt: ſic qui ab eius Religione abhorrerent, loco illo aggere & ingenti terræ mole obruto, delubrum Veneris in eo extruxerunt: & loci illius memoriâ ſuppreſsâ, Idoli ſimulachrum erexerunt. Quæ ille more ſuo ex Ruffino

Ruf. lib. 1. cap. 7. decerpſit dicente ſimiliter: Locus in quo ſacroſanctum Corpus patibulo affixum pependerat, idcirco ad inueniendum difficilis erat, quòd ab antiquis perſecutoribus Simulachrum in eo Veneris fuerat defixum, vt ſi quis Chriſtianorum in illo loco Chriſtum adorare voluiſſet, Venerem videretur adorare. Et ob hoc infrequens & penè obliuioni datus fuerat locus.

Seuer. Sac. Hiſt. lib. 2. pag. 151. 149. Sulpitij Seueri in Sacra Hiſtoria narratio conuenit: Crux Domini neque in principio, obſiſtentibus Iudæis, potuerat conſecrari: & poſtea dirutæ Ciuitatis eſt oppreſſa ruderibus. [De quo & aliquanto ſuperius:] Sub Hadriano [inquit] Iudæi rebellare voluerunt, Syriam ac Palæſtinam

Anno Dom. 120. diripere conati: miſſoque exercitu ſubacti ſunt. Qua tempeſtate Hadrianus exiſtimans ſe Chriſtianam fidem Loci iniuriâ perempturum, in Templo ac Loco Dominicæ Paſſionis dæmonum ſimulachra conſtituit. [Quomodo igitur poſtea reperta, & conſecrata, id eſt, religioſo Chriſtianorum vſui ac venerationi cum Templo congruo dedicata ſit, narrat, dicens:

dicens: Hoc temporum tractu [id eſt, ſub Conſtantino Magno] mirum
eſt, quantum inualuerit Religio Chriſtiana. Tum ſiquidem Hieroſolyma
horrens ruinis, frequentiſſimis ac magnificentiſſimis Eccleſijs eſt ador-
nata. Namque Helena, mater Principis Conſtantini, quæ Auguſta cum
filio conregnabat, cùm Hieroſolymam agnoſcere concupiſceret, reperta
ibi Idôla ac Templa protriuit: mox vſa Regni viribus, Baſilicam in loco *Anno* 315.
Dominicæ Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis conſtituit. [Ibique
interponit diuina quædam Miracula, multum ad hoc quod agimus per-
tinentia, & dicit:] Illud mirum, quòd locus ille, in quo poſtremùm inſti-
terant Diuina veſtigia, cùm in cælum Dominus nube ſublatus eſt, con-
tinuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem
quæcunque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret,
excuſſis in ora apponentium ſæpè marmoribus. quinetiam calcati Deo
pulueris adeò perenne documentum eſt, vt veſtigia impreſſa cernantur.
Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat,
damnum tamen arena non ſentiat: & eadem adhuc ſui ſpeciem, velut
impreſſis ſignata veſtigijs, terra cuſtodit. [Ac deinde de Cruce ſubiungit,
quomodo reperta, & conſecrata ſit:] Eiuſdem Reginæ beneficio Crux
Domini tum reperta: quæ neque in principio, obſiſtentibus Iudæis, po-
tuerat conſecrari, & poſtea dirutæ Ciuitatis oppreſſa ruderibus, non niſi
tam fideliter requirenti meruit oſtendi. Igitur Helena primùm de loco
Paſſionis certior facta, admotâ militari manu, atque omnium Prouincia-
lium multitudine in ſtudia Reginæ certantium, effodi terram, & conti-
gua quæque ac vaſtiſſima ruinarum purgari iubet. Mox pretium fidei &
laboris tres pariter cruces, ſic vt olim Domino ac Latronibus duobus
fixæ fuerant, reperiuntur. Hic verò maior dignoſcendi patibuli, in quo
Dominus pependerat, difficultas omnium animos menteſque turbaue-
rat, ne errore mortalium forſitan pro Cruce Domini Latronis patibu-
lum conſecrarent. Capiunt deinde conſilium, vt aliquem recèns mor-
tuum admouerent. Nec mora, quaſi Dei nutu funeris extincti ſollemni-
bus exequijs deferebatur, concurſuque omnium feretro corpus eripitur.
Duabus priùs fruſtrà crucibus admotis, vbi Chriſti patibulo attactum eſt,
dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excuſſum, & inter ſpecta-
tores ſuos aſtitit: [ſicque concludit,] Crux reperta, dignoque ambitu
conſecrata. In qua narratione imitatur Seuerus plerumque ipſa etiam
verba, quæ ad illum eadem de re & eodem modo ſcripſit S. Paulinus. Is
enim poſtquam dixiſſet Seuero, Miſimus vobis in Domino Ligni Salu- *Paulin.*
taris donum, vt Crucem & corpore poſſideretis, quam tenetis ſpiritu, & *Epiſt. 11. ad Seuer.*

 propoſi-

propoſiti virtute portatis, putauit mox & vniuerſam hiſtoriam S. Crucis propter curioſos vel incredulos ſubiungendam, quam & ego hic exiſtimo ponendam ipſius quoque verbis, propter ſingularia quædam quæ in eis (vt videbitur) continentur. Sed quia idipſum [inquit] fides videtur poſtulare, non alienum puto, quia cognitu dignum eſt, enarrare ſpecialem poſt tempora Paſſionis hiſtoriam reuerſatæ & inuentæ Crucis: quæ ſi ignoretur, facile eſt perſpici, qua difficultate approbetur Dominicæ Crucis eſſe Lignum hoc, quod certum eſt, ſi in manus Iudæorum veniſſet omnia contra fidem Chriſti præcauentium, conterendum & exurendum fuiſſe. Neque enim in Cruce abolenda negligentes fuiſſent, qui ſignauerunt Sepulchrum: nec ferre potuiſſent, vt in Cruce ſuperſtite Paſſio illius coleretur, cuius Reſurrectionem vacuato diſcuſſis ſignaculis ſuis monumento probatam coli ferre non poſſunt. Quid ergo nunc quæritur, vbi fuerit abdita? quia niſi latuiſſet, illis præſertim Perſecutionum temporibus Iudaicam conſecutis inuidiam & penè ſupergreſſis ſæuitiam, manifeſtum eſt abolendam fuiſſe. Facile enim aſſequi coniectura poſſumus, qui vi excidiſſent Crucem ſi extare vidiſſent, qui & Crucis locum perſecuti ſint. Nam Hadrianus Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci iniuriâ perempturum, in loco Paſſionis Simulachrum Iouis conſecrauit: & Bethlehem Adonidis fano prophanata eſt: vt quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in ijs locis Idôla colerentur, in quibus Chriſtus natus eſt vt pateretur, paſſus eſt vt reſurgeret, ſurrexit vt regnaret, iudicatus vt iudicaret. [Moxque excurrit in pijſſimam contra Paganos querimoniam, coniunctam cum deuotiſſima laude Saluatoris, dicens:] Me miſerum, etiam iſta pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recuſauit: vt vbi pro ſalute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum ſacrilegio ſperneretur: & ſuper Crucem, ad quam Orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſſilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat, ſtabat Simulachrum dæmonis, & ara Simulachri pecudum buſta fumabat, & Dei nomen deferebatur ſtatuis mortuorum; cùm ipſe viuorum Deus, qui & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolùm mortui, ſed & crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio. [Tum ſimilia flebiliter queritur & de Bethlehem:] In Bethlehem quoque, vbi agnouerat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: ibi principes hominum inficiati Saluatorem Deum, infames hominum amores morteſque coluerunt. Prodita nouo ſidere Regis æterni vbi cunabula ſupplices cum ſuis opibus adorauerunt Chaldæi: ibi barbaras libidines ſacrauerunt Romani. Vbi natum Saluatorem, cum exer-

Idem nunc ſtudiũ Hæreticorum.

Quid voluit Deus crucem tantiſper latere propter Iudæos, & deinde Paganos.

Iſa. 1.

Matth. 2.

cum exercitu Angelorum concinentes cæleſti gaudio ſalutauerant illu- *Luc. 2.*
ſtrata nocte Paſtores, ibi Veneris amaſium mixtæ ſemiuiris planxere me- "
retrices. Prô dolor, quæ pietas hominum hanc impietatem compenſare "
poterit? Vbi ſacra nati Saluatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta "
fingentium laſciuis luctibus infamis ritus vlulabat: & vbi Virgo pepere- "
rat, adulteri colebantur. [Quibus pulchrè congruunt, quæ & D. Ambro-
ſius facit S. Helenam eadem de re deuotiſſimè & fideliſſimè loqui:] Ego
[inquit] in regnis, & Crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in rui- *Ambr. de*
nis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? *obitu Theo-doſ. Tom. 3.*
Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Vi- "
deo quid egeris, Diabole, vt gladius, quo peremptus es, obſtrueretur. "
Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latêre aquam *Gen. 28.*
paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur Gladius, *1. Reg. 17.*
quo veri Goliæ caput eſt amputatum. Aperiatur humus, vt ſalus ful- "
geat. Quid egiſti Diabole, vt abſconderes Lignum, niſi vt iterum vin- "
cereris? Vicit te Maria, quæ genuit Triumphatorem, quæ ſine imminu- "
tione virginitatis edidit eum qui crucifixus vinceret te, & mortuus ſub- "
iugaret. Vincêris & hodie, vt mulier tuas inſidias deprehendat. Illa "
quaſi Sancta Dominum geſtauit: ego Crucem eius inueſtigabo. Illa "
generatum docuit: ego reſuſcitatum. Illa fecit vt Deus inter homines "
videretur: ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo "
vexillum. Ac conſequenter quomodo id fecerit narrat Ambroſius.
Sed redeo ad Paulinum ſic proſequentem: Manſit hoc ſeculi prioris *Paulin. ibidem.*
nefas in tempora noſtris proxima Conſtantini, qui princeps eſſe "
Principibus Chriſtianis, non magis ſuâ quàm matris Helenæ fide me- "
ruit: quæ Diuino, vt exitus docuit, inſpirata conſilio, cùm Hiero- "
ſolymam agnoſceret, &c. vt ſibi facultatem daret, cuncta illic loca "
Dominicis impreſſa veſtigijs, & Diuinorum erga nos operum ſigna- "
ta monimentis purgare, deſtructis Templis & Idôlis, ab omni pro- "
phanæ impietatis contagio, & religioni ſuæ redderet, vt Eccleſia tan- "
dem in terra originis ſuæ celebraretur. Itaque prompto filij Impe- "
ratoris aſſenſu mater Auguſta, patefactis ad opera ſancta theſauris, "
toto abuſa fiſco eſt: quantoque ſumptu atque cultu Regina pote- "
rat & Religio ſuadebat, ædificatis Baſilicis contexit omnes & exco- "
luit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ Incarnatio- "
nis & Paſſionis & Reſurrectionis atque Aſcenſionis ſacramentis Do- "
minus Redemptor impleuerat.

b 3 [Ibique

[ibique & miraculum idem, quod Seuerus, refert:] Mirum verò inter
» hæc, quòd in Baſilica Aſcenſionis locus ille tantùm, de quo in nube ſuſ-
Pſalm. 67. ceptus aſcendit, captiuam in ſua carne ducens captiuitatem noſtram, ita
Ephes. 4. ſacratus Diuinis veſtigijs dicitur, vt nunquam tegi marmore aut pauiri
» receperit, ſemper excuſſis ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio
» tentauit apponere. Itaque in toto Baſilicæ ſpacio ſolus in ſui ceſpitis ſpe-
» cie virens permanet, & impreſſam Diuinorum pedum venerationem
» calcati Deo pulueris perſpicua ſimul & adtigua venerantibus arena con-
Pſal. 131. ſeruat, vt verè dici poſſit, Adorauimus vbi ſteterunt pedes eius. [Tum
redit ad hiſtoriam Crucis, & ait:] Sed in hiſtoria Crucis accipite magnum
» & verè diuinum miraculum. Regina illa venerabilis vt venit Hieroſoly-
» mam, diligenter & piè locis illis & circà, omnibus diuinorum curioſa in-
» ſignium, & oculis haurire geſtiens fidem quam pijs auribus literiſque per-
» ceperat, Crucem Domini ſtudioſiſſimè inquirere adorſa eſt. Sed quæ via
» vel ratio inueniendi ſubeſſet, cùm index idoneus nemo inueniri poſſet,
» vbi memoriam & curam religioſæ conſcientiæ vel obſeruantiæ & anti-
» quitas æui, & ſuperſtitionis impie diuturnitas aboleuiſſet? Verùm ipſo
» omnium & terris & animis opertorum conſcio & teſte Deo fidelis mu-
» lier ſanctum Spiritum per affectum pium meruit: quo adſpirante cùm
» rem ab humana conſcientia diuinitus remotam fruſtrà diligens requiſijſ-
» ſet, de loco tantum Paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolùm de
» Chriſtianis doctrina & ſanctitate plenos viros, ſed & de Iudæis peritiſ-
» ſimos, vt propriæ (quâ miſeri & gloriantur) impietatis indices, exquiſiuit,
» & accitos in Hieroſolymam congregauit. Tum omnium vnâ de loco te-
» ſtificatione confirmata, iuſſit illico, vrgente ſine dubio conceptæ reue-
» lationis inſtinctu, in ipſum locum operam foſſionis accingi. Parataque
» mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem iſtius molitionis
» hauſit, & contra ſpem omnium, ſed ſecundùm ipſius tantùm Reginæ
» fidem, alta egeſtatæ reſeratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patue-
» runt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Domino & Latroni-
» bus ſteterant, repertæ fuiſſent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubi-
» tatione confundi, iuſto piorum metu, ne forſitan aut pro Cruce Domini
» patibulū Latronis eligerent, aut ſalutare Lignum pro ſtipite Latronis abij-
» ciendo violarent. Reſpexit pias fideliter adſtantium curas Dominus, &
» ipſi potiſſimùm quæ tam piæ ſolicitudinis princeps erat, huius conſilij
» lumen infudit, vt aliquem recèns mortuum inquiri & inferri iuberet.
» Nec mora, verbum factum, cadauer illatum eſt, deponitur, iacenti vna
» de crucibus admouetur: ſed eorum ligna mors ſpreuit. Poſtremò Domi-

nicam

nicam Crucem prodit reſurrectio, & ad Salutaris Ligni tactum morte profuga funus excuſſum & corpus erectum eſt, tremefactiſque viuentibus ſtetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter ſpectatores ſuos rediuiuus inceſſit. [Poſt quæ omnia concludens repetit cauſam quam initio reddidit, & dicit:] Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore Paſſionis abſcondita, neque Gentibus in ædificatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus reuelata: nónne Diuina manu latuit, vt nunc inueniretur, cùm religioſè quæreretur? [Ac deinde pergens, hæc annectit:] Ita, vt Crucem Christi decuit, experimento reſurrectionis inuenta, & probata Crux Chriſti eſt: dignoque mox ambitu conſecratur, conditâ in Paſſionis loco Baſilicâ; quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues Altaribus, arcano poſitam Sacrario Crucem ſeruat. quam Epiſcopus Vrbis eius quotannis, cùm Paſcha Domini agitur, adorandam Populo, Princeps ipſe venerantium, promit. Neque præter hanc diem, quâ Crucis ipſius Myſterium celebratur, ipſaque ſacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolennitatis inſigne, profertur: niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui eâ tantùm cauſâ illô peregrinati aduenerint, vt ſibi eius reuelatio, quaſi in pretium longinquæ peregrinationis, deferatur. Quod ſolùm Epiſcopi beneficio obtineri ferunt. cuius & tantùm munere de eadem Cruce hæc minuta Sacri Ligni ad magnam fidei & benedictionis gratiam haberi datur. [Ibique ſubijcit diuiniſſimum Miraculum, cuius ignoratione irriſor Eraſmus luſit in Colloquio, dicens, Chriſtum ſuo tempore portaſſe humeris ſuis Crucem integram: hodie verò tot paſſim ferri ſegmenta Crucis, quot vel aſinus, ſi in vnum colligantur, portare non poſſit. Quid igitur ſanctus hinc Paulinus ait? Quæ quidem Crux in materiâ inſenſatâ vim viuam tenens [quod & de Columna Salis, in quam Vxor Lot verſa eſt, narrat Cyprianus in Carmine de Sodoma] ita ex illo tempore innumeris [inquit Paulinus] penè quotidie hominum votis Lignum ſuum commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuiduam ſumentibus & ſemper totam venerantibus. [Et vnde hæc tam mira vis?] Sed iſtam [inquit] imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem. [Demum igitur finita narratione conuertit ſermonem ad Seuerum & eos qui cum illo erant, quibus ad dedicationem nouæ Baſilicæ iam tum miſit partem particulæ de Ligno Diuinæ Crucis; quod nobis [inquit] bonum benedicta Melania ab Hieruſalem munere ſancti inde Epiſcopi Ioannis attulit: & ado-

Ioan. 11.

Prototypa annua Paſchalis adoratio Crucis.

Peregrinatio ad S. Crucem. eiuſque religioſa cuſtodia.

Segmenta Crucis vnde tam multa ferantur.

Geneſ. 19.

Cyp. Tom. 3.

[& adorare crucifixum in præſentia Crucis, quantæ ſit vtilitatis oſten-
„ dit, dicens:] Speramus autem & vobis, non ſolùm benedictionis moni-
„ mento, ſed & incorruptionis ſeminario futurum: vt eius inſpectio fidem
„ veſtram, etiam de recordatione beati illius Latronis, accendat. qui, bene
„ verſo latrocinio, longas in magnis laboribus Sanctorum vias de momenti
„ fide & momento confeſſionis anticipans, non immeritò ante ipſos Apo-
Math. 25. ſtolos & Martyres, præparatum ipſis ab initio (vt ait) Regnum primus
„ inuaſit, & pius cæli prædo diripuit: quia Chriſtum crucifixum ſimilitu-
„ dine ſuæ pœnæ videns in eo ſtatu, de quo etiam Diſcipulorum fides tur-
„ bata nutauerat, Dominum tamen maieſtatis (vt erat) confeſſus eſt: &
„ petens in Regno Dei memoriam ſui fieri, gloriam reſurrectionis ante
„ ipſam Reſurrectionem credidit: quam Apoſtoli poſteaquam facta eſt, non
„ tantùm videndo, ſed experiendo crediderunt. Ex qua hiſtoria ſic fuſiùs
à probatiſſimis Auctoribus enarrata, vident Proteſtantes, Religionem
hanc noſtram, quam illi hodie idololatriæ ſtultè inſimulant, eandem &
fuiſſe Maiorum noſtrorum Chriſtianorum temporibus maximè Chri-
ſtianis, & ipſam quoque diſſipatricem Idolorum Veneris, Iouis, & Ado-
nidis: quæ Idôla Pagani priùs ſub Hadriano huic religioni, tanquam
Theod. Hiſt. lib. 5. cap. 21. Chriſto ipſi, gentiliter oppoſuerant. Et hoc quidem ipſius Crucis ſalu-
taris fuit. Similia autem quæ & per Signa eiuſdem geſta ſunt, quis cuncta
dinumeret? Sit vnum duntaxat exemplum in illa Aqua benedicta (apud
Theodoretum) ad incendendum Templum Iouis, & fugandum inde dæ-
monem, per hoc ſcilicet, quòd ſub Altari poſita eſt, & Signata cruce.

Iam verò vt contra eandem Hæreticorum ſtolidiſſimam calumniam,
ſacrarum item Imaginum & Idolorum ſeu Ethnicarum Imaginum op-
poſitionem breuiter ſed luculenter oſtendam, hiſtoriam vnicam illuſtriſ-
ſimam ex Sozomeno hic ſubijciam. Qui vbi bella ante à me commemo-
rata inter Iuliani Apollines & Chriſti martyres, vt Babylam & alios,
Soz. lib. 5. cap. 20. deſcripſit, mox iſta addit: Illud porrò dicetur à me, quod etiam regnan-
„ te Iuliano accidit: quod quidem vt Chriſti potentiam planè indicat, ita
„ iram Diuinam aduerſus Imperatorem accenſam euidenter oſtendit.
„ Cùm certior factus eſſet Cæſareæ Philippi (eſt ea quidem vrbs Phæni-
„ ciæ, quam Paneadem vocant) præclaram eſſe Chriſti ſtatuam, quam
Luc. 8. „ mulier quæ ſanguinis profluuio laborabat, cùm eſſet morbo liberata, ibi
„ collocauerat: eam deturbauit: ſuamque in eius loco poſuit. [Vtinam
Statua Chriſti & Iuliani. contingat Regulis quibuſdam Angliæ meæ hæc & aure & corde percipe-
re, qui ſimili perfidia deturbarunt paſſim Diuina Chriſti Paſſionis inſi-
gnia, ſuaque vel Regia viliſſimarum beſtiarum, & nominatim Cicadarum
interdum,

interdum, inſignia eorum loco in ſacroſanctis Eccleſiarum parietibus po-
ſuerunt. Qui vtinam (inquam) maturè ſibi præcaueant hoc Iuliani
exemplo. Sequitur enim Sozomenus, & dicit: Quo facto, ignis vio- “
lentus de cælo delapſus, ſtatuam illam circiter pectus perſecuit, caput- “
que vnà cum collo in terram deiecit, atque in faciem humi [quo ſcilicet 1. Reg. 5.
modo coram Arca Dei olim iacuit Dagon Philiſtinorum] ea in parte de-
fixit, quæ fuerat à pectore diuulſa. Ex quo quidem tempore ad hodier- “
num diem atra, tanquam fulminis ictu ambuſta, manet. Id temporis “
igitur Gentiles ſtatuam Chriſti tanta cum violentia trahebant, vt eam “
confringerent. At Chriſtiani poſtea eius fragmenta cum collegiſſent, in “
Eccleſia poſuerunt, vbi etiam adhuc cuſtoditur. [Ac deinde poſt Euſe- “
bium narrat huius ſtatuæ Euangelicum grande miraculum:] Ex baſi, Ex Euſ. lib.
ſupra quam hæc ſtatua locata erat, herba quædam [vti narrat Euſebius, 7. cap. 14.
dicens quoque ſe ipſam Statuam oculis vidiſſe,] quæ morbis cuiuſque ge- Idē Theoph.
neris mederi ſolet, [tum ſcilicet, quando fimbriam ſtatuæ attigerat,] in Mat. 9.
enaſcebatur: quæ quidem cuius generis eſſet, nemo noſtrorum medi- Apud Copū
corum, qui vel ſcientiâ valebant medendi, vel experientiâ, omnino no- Dial. 4. c.
uit. [Porrò ſi quis etiam recentiora deſideret, habet fideliſſimam glorioſiſ- 15. & Su-
ſimi Martyris Thomæ Mori narrationem de Dæmoniaca liberata Ipſwit- rium ad an.
chij in Anglia apud ſacram Imaginem S. Mariæ Virginis atque Deiparæ. 1546. ex Moro ipſo, Dialog. Anglice ſcript. lib. 1. c. 16.

Poſt Cruces igitur & Imagines ſic aſſertas, pauca nunc dicamus de
oppoſitione etiam quæ eſt inter Idololatriam & Cultum Sanctorum ac
Reliquiarum. Quæ enim huius generis ſcripta ſunt ab Auctoribus omni
exceptione maioribus, norunt qui Antiquos legunt, extare in omni me-
moriâ infinita, eaque illuſtriſſima: ita vt nec ipſi Idololatræ hac de re
vnquam dubitauerint, ſed potiùs exiſtimauerint ſuam inde & deorum,
id eſt dæmoniorum ſuorum fortunam ſibi plangendam. Nam planctum
Hermetis Triſmegiſti Idolorum in AEgypto vatis ad AEſculapium (qui Auguſt. de
ambo poſtea in Deorum numerum à Gentilibus ſunt relati) ſuprà ex Ciui. lib. 8.
D. Auguſtino retuli. Apud quem alibi extat alterius quoque Gentilis, cap. 26.
ſcilicet Maximi Madaurenſis, ſimilis querela in Epiſtola ſua ad ipſum Motiuo 17.
Auguſtinum, cui & S. Auguſtinus ibi quantum & quo putauit modo reſ- Apud Aug. Epiſt. 43.
pondet. Sed impatientem [inquit Maximus] me eſſe tanti [Chriſtiano- “
rum] erroris, diſſimulare non poſſum. Quis enim ferat, Ioui fulmina “
vibranti præferri Mygdonem: Iunoni, Mineruæ, Veneri, Veſtæque, Sa- “
nanem: & cunctis (proh nefas) dijs immortalibus, archimartyrem Nam- “
phanionem. inter quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſpicitur, at- “
que alij interminato numero, dijs hominibuſque odioſa nomina. [Per “

Mygdonem autem, Sananem, Namphanionem, Lucitam, punica nomi-
» na, Chriſtianos Martyres irriſor intelligit. & addit:] Horum buſta, ſi me-
» moratu dignum eſt, reiectis Templis, neglectis Maiorum ſuorum Ma-
» nibus, ſtulti frequentant: ita vt præſagium Vatis illius indignè ferentis
» emineat: Inque Deum Templis iurauit Roma per vmbras. [Sed & ſimi-
lem luctum refert Chryſoſtomus ex Lamento Sophiſtæ Antiocheni.
(fortaſſe Libanij) compoſito in Idolum Apollinis ſui deſtructum per S.
Apud Chryſ. de vita Bab. cō. Gent. to. 5. col. 937. Vide ſupra Moti. 16. Babylam martyrem.] Viſus eras [inquit Sophiſta, quaſi ipſum alloquens.
Apollinem] liberatus eſſe Mortuo quodam [intelligit S. Babylam: &
liberationem putat cultum Apollinis per Iuliani Sacrificia renouatum],
quem iudicaueras malum tibi vicinum eſſe, ac tibi obſtrepere. [quia ſcili-
cet Reliquiæ S. Babylæ mutum reddiderant Oraculum Apollinis. ac tum
vulnus ſuum & ceterorum Gentilium prodit, dicens:] Vndénam hoc
» tempore gloriabimur apud eos, qui memores ſunt ſacrorum, ſtatuarum-
» que tibi erectarum? [Rurſus autem tam euidens eſt hæc inter quamlibet
Idololatriam & noſtrum cultum Sanctorum oppoſitio, vt etiam ſanctiſſi-
mi & veſtuſtiſſimi Patres in ipſis ſuis ad Chriſtianos populos concionibus,
vt eos ab omni prorſus cum Idolis & Idololatris & quibuſlibet ſuperſti-
tioſis ſocietate abſtraherent, miſerint eos ad Sanctos atque Reliquias. Sic
Chryſ. in Gen. Hom. 13. enim D. Chryſoſtomus, vbi ait: Occupemus pedes, non in Theatris,
& ſpectaculis damnoſis, Equeſtribuſque ludis [quæ ſcilicet omnia exhi-
» buerunt Pagani in honorem Idolorum ſuorum:] ſed in Eccleſijs, & do-
» mibus præcationum, Martyrumque loculis, vt ab illis benedictionem
» percipiamus, & nos à Diabolicis laqueis irretiri non ſinamus. [Idem-
que alibi contra Iudæos agens, & reprehendens Chriſtianos qui in mor-
bis ſuis ad Iudæorum ſuperſtitioſa remedia confugiebant:] Proinde tu
Idem to. 5. cō. Iud. Orat. 5. col. 930. quoque [inquit] ſi videris te puniri à Deo, ne profugias ad inimicos Iu-
dæos [pro ſuperſtitioſis alligaturis,] ne magis etiam illum in te prouo-
ces: ſed ad amicos illius Martyres ac Sanctos, qui illi placuerunt, qui-
» que multam apud illum, habent auctoritatem. [In quo quidem genere
ſingulare admodum eſt, quod refert Auguſtinus contra Paganos, mul-
tumque contra eos, & in eis contra Proteſtantes vrget, de Petronia cla-
Auguſt. de Ciu lib. 22. cap. 8. riſſima fœmina, (quæ inter ea inquit, quæ Vzali prope Vticam multa præ-
clara per S. Stephanum Martyrem facta cognouimus) mirabiliter ex ma-
gno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, lan-
guore ſanata eſt. Sic autem geſta res eſt:] A quodam Iudæo fuerat illi
» perſuaſum, vt annulum capillatio vinculo inſereret, quo ſub omni veſte
» ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet ſub gemma lapidem
in re-

in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quaſi remedio, ad S. Marty- «
ris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine cùm in confinio flumi- «
nis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens, vt iter peragerct, «
ante pedes ſuos illum iacentem annulum vidit; & capillatiam zonam «
qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cùm omnino ſuis nodis «
firmiſſimis, ſicut fuerat, comperiſſet adſtrictam, crepuiſſe, atque exi- «
lijſſe annulum ſuſpicata eſt. Qui etiam ipſe cùm integerrimus fuiſſet «
inuentus, futuræ ſalutis quodam modo pignus de tanto miraculo, ſe «
accepiſſe præſumpſit: atque illud vinculum ſoluens, ſimul cum eodem «
annulo proiecit in flumen. [Quod licèt exemplum allegauerim tantum
pro confirmatione virtutis Sanctorum contra ſuperſtitiones Iudaicas
ſecundum id quod Chryſoſtomus paulo antè dixit: tamen, & quæ ſe-
quuntur in Auguſtino, ſpero profutura ſeductoribus noſtri temporis,
& ſeductis. Sic igitur tractat hoc miraculum Auguſtinis contra Paga-
nos, adijciens ad ſuperiora: Non credunt hoc [Pagani,] qui etiam «
Dominum Ieſum per integra virginalia Matris enixum: & ad Diſci- «
pulos ſuos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe, non credunt. [Quid igitur «
hinc ad eos dicendum putas?] Sed hoc certè [inquit] quærant: & ſi «
verum inuenerint, illa credant. Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, no- «
biliter nupta, Carthagine habitat. ampla Ciuitas, ampla perſona, rem «
quærentes latere non ſinunt. [Sed quid hæc ad S. Stephanum?] Mar- «
tyr certè ipſe, quo impetrante, illa ſanata eſt, in Filium permanentis «
Virginis credidit: in eum, qui oſtijs clauſis, ad Diſcipulos ingreſſus «
eſt, credidit. Poſtremò (propter quòd omnia iſta dicuntur à nobis. «
[nam id ibi contra Paganos per multa Miracula conatur adſtruere] in
eum, qui aſcendit in cælum cum carne, in qua reſurrexerat, credi- «
dit. Et ideo per eum tanta fiunt, quia pro iſta fide animam poſuit «
ſuam. [Simile prorſus miraculum etiam tempore S. Ruperti (qui & *Rupert. de*
hoc ex Auguſtino ibi confert) oſtendit Deus cuidam monacho in die *Diuin. Of-*
Paſchæ cantanti in choro, & cogitanti, quomodo Chriſtus reſurre- *ficiis lib. 8.*
xiſſet clauſo Sepulchro. Nam ſuum mox in terra iacens cingulum re- *cap. 4.*
perit, nec tamen nodum ſolutum. Simulque dum id miraretur, au-
diuit vocem dicentem. Sic potuit clauſo Chriſtus prodire Sepulchro. «
Sed reuertor ad ea quæ huius loci ſunt, vt pluribus adhuc oſten-
dam manifeſtam oppoſitionem quæ eſt inter cultum Idolorum & cul-
tum Sanctorum.

Videat igitur Lector apud Euſebiū, quomodo Conſtantinus Magnus *Euſ. in vita*
Idolorū cultū vetuit, ſed Martyres idem & Feſtorū celebritates honorauit. *Conſt. lib. 4. cap. 23.*

Ruf. lib. 2. Apud Ruffinum etiam videat Martyrium ſeu Baſilicam pro Reliquijs
cap. 27. S. Ioannis Baptiſtæ conſtructam in loco Idoli Serapis. qui & paulo pòſt
Cap. 29. » narrat de Thoracibus eiuſdem Serapis, [quòd pro eis,] Crucis Domi-
Euag. lib. 5. » nicæ Signum vnuſquiſque in poſtibus, ingreſſibus, feneſtris, parietibus,
cap. 18. columniſque depinxit. Sed id ad Crucem pertinet. Porrò videat apud
Euagrium, quomodo potens quidam nomine Anatolius deprehenſus
» immolare Idolis, ad Imaginem quandam S. Mariæ Deiparæ fune in car-
» cere ſublimem appenſam accurrens, manibus à tergo complicatis ſe ei ſup-
» plicare preceſque adhibere oſtendit. Illa autem velut ſacrilegum dete-
» ſtata, & vt Deo inuiſum coarguens, penitus abs ſe auertit. [id quod à
militibus viſum, & alijs diuulgatum eſt.] Apparuit item ipſa Deipara
» nonnullis alijs fidelibus, eoſque contra ſceleſtum illum incitauit, in-
» quiens, Anatolium filium ſuum contumelijs afficere. [Sed & illuſtri cui-
dam de Palatio, dicens:] Quouſque defendis cauſam Anatolij, qui tum
» me, tum Filium meum tantis onerat contumelijs? Videat deinde apud
Bed. hiſt. Bedam noſtrum, quomodo Chriſtiani in Britannia noſtra poſt Perſe-
lib. 1. ca. 8. cutionem Diocletiani Baſilicas ſanctorum Martyrum fundauerint, ve-
cap 30. 32. luti victricia ſigna &c. [Et quomodo poſtea,] Fana Idolorum mutata
ſunt in Eccleſias cum Altaribus & Reliquijs. [Qui deinde illud quoque
lib. 2. ca 4. memorabile narrat, quòd Bonifacius quartus à S. Gregorio, impetraue-
» rit à Phocate Principe Pantheon Romæ:] in quo ipſe [inquit] elimi-
» natâ omni ſpurcitiâ, fecit Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis atque om-
» nium Martyrum Chriſti: vt excluſa multitudine dæmonum, multitu-
» do ibi Sanctorum memoriam haberet. [Qua in re (vt ex his quæ dixi-
mus vident omnes) nihil fecit nouum, neque à ſanctis Chriſtianis ſu-
lib. 5. c 12. perioribus alienum. Porrò narrat idem Beda de S. Wilbrordo Anglo &
Apoſtolo Phriſiæ, ſuo tempore, ante annum Dom. 696, quod] mox vt
» comperit datam ſibi à Principe licentiam ibidem prædicandi, accelera-
» uit ire Romam, cuius Sedi Apoſtolicæ tunc Sergius Papa præerat, vt
» cum eius licentia & benedictione deſideratum euangelizandi Gentibus
» opus iniret: ſimul & Reliquias beatorum Apoſtolorum ac Martyrum
» Chriſti ab eo ſe ſperans accipere, vt dum in gente cui prædicaret, de-
» ſtructis Idolis, Eccleſias inſtitueret, haberet in promptu Reliquias
» Sanctorum quas ibi introduceret, quibuſque ibidem depoſitis conſequen-
a lib. 3. ter in eorum honorem, quorum eſſent illa ſingula, quæque loca dedi-
cap 11. caret. Videantur etiam quæ refert idem de fugatis dæmonibus [a] per
b lib. 4. cap 19. Exorciſmos & Reliquias S. Oſwaldi Regis, & [b] per Pannos S. Edil-
Act. 5. 19. dridæ. Sicut & ea quæ ipſe S. Lucas in eodem genere facta narrat per

Pannos.

Pannos S. Pauli Apoſtoli, & per obſcuriſſimam Imaginem, ipſam ſcilicet Vmbram S. Petri Apoſtoli. Sunt autem eximia quæ hac in parte per S. Felicem Martyrem Nolanum frequentiſſimè, maximeque in diebus ſibi feſtiuis, facta S. Paulinus Nolanus Epiſcopus deſcribit in Natalibus, id eſt, in Carminibus quæ in Feſto S. Felicis quotannis noua compoſuit. Vbi inter cætera hæc leguntur:

iure potenti Paulin. Natal. 3.
Dæmonas exercet, deuinctáque corpora ſoluit.
Nam ſibi Felicem cæcis incumbere pœnis
Peſtiferi Proceres triſti clamore fatentur:
Occultaſque cruces gemitu teſtantur aperto,
Velatumque oculis mortalibus, at manifeſtum
Auribus, & multo præſentem numine produnt,
Cùm captiua intra deprenſi corpora Chriſtum
In Sancto fulgere ſuo clamantque probantque.
Membrorum incuſſu tremuli, capitumque rotatu,
Tormentiſque ſuis, ſed non ſua corpora torquent,
Clamantes proprios aliena per ora dolores.
Orantum veniam, latet vltor, pœna videtur.
Tum ſi quos grauiore malo violentior hoſtis Dies S. Martyris magis gratioſa.
Vinxerit, iſta Dies Diuino munere ſoluit.
Cernere tunc paſſim eſt ſacrâ purgata medelâ
Pectora Liminibus ſterni iam mente refectos,
Gratantes iam voce ſua. Concurrit hiantum
Turba tremens hominum, miſtæ inter gaudia cunctis
Proſiliunt lachrymæ, præſens Deus omnibus illic
Creditur, immenſi Felix eſt gloria Chriſti.

Et alio anno, vt oſtendat Martyrem, licèt corpore iaceret in tumulo, tamen ſpiritu viuere & vigere apud Chriſtum, ſic ait:

Vnde igitur tantus circumſtat Limina terror? Idem Natal. 6.
Quis tantos agit huc populos? Quanám manus vrget
Dæmonas, inuitoſque rapit, fruſtraque rebelli
Voce reclamantes compellit ad vſque Sepulchrum
Martyris, & ſancto quaſi fixos Limine ſiſtit?

Item alio anno, de eodem Feſto hæc habet:

Tunc ſolito grauiùs ſuccenſi dæmones ardent, Idem Natal. 7.
Flebiliuſque vlulant, & vi maiore ſubacti
Vltima iam tormenta gemunt, nec abire ſinuntur

Exceſſu facili: ſed miris antè agitati
Et varijs malè ſupplicijs, tolluntur in altum,
Suſpenſi ſolito ſublimius, & patiuntur
Aëris in vacuo, vincliſque latentibus hærent
Pænali per inane mora: per non ſua quamuis
Corpora vexatos hoſtes ſua pæna fatigat.
Soluuntur pœnis, cùm pœnas ferre videntur
Corpora: & immunes animæ expectant aliena
In membris tormenta ſuis: homo dæmone capto
Liber agit, qui non hominis, ſed dæmonis eſt crux.

Et paucis in eandem ſententiam interpoſitis, pergit ad alia mira, dicens:

His etiam potiora, tamen & ſpectata profabor.
Ante alios illum, cui membra vetuſtior hoſtis
Obſidet, ad ſacri pia Limina Martyris, agrâ
Excuſſum de plebe, rapi: admotumque ſacratis
Ante fores Sancti cancellis, corpore verſo
Suſpendi, pedibus ſpectantem tecta ſupinis.
(Quodq; magis mirum &c.
Veſtibus, vt rigidis aut ad veſtigia ſutis,
Corporis omne ſacrum caſto velatur aperto.
Scilicet, vt diuini operis reuerentia tectis
Corporibus maneat, nec pœna dæmon in ipſa
Qua cruciatur ouet, nudis prodendo pudorem
Artubus: illæſo grauiùs torquetur honeſto,
Recta licèt verſis ſedeant cùm tegmina membris.
Mira hæc ſunt, & magna: quis abneget? & tamen vſu
Nota magis, minùs auditu miranda videntur.

Quod ipſum & ego inter alios plurimos ſæpiſſimè vidi in puella dæmoniaca fieri Cameraci, quæ licèt inter exorcizandum frequentiſſimè, violentiſſimè, & velociſſimè de genibus retorqueretur in dorſum, ſic tamen ſemper veſtes eius honeſtè manſerunt, quaſi (vt ait Paulinus) vel rigidæ vel pedibus aſſutæ fuiſſent. Id quod tunc non ita grauiter animaduerſum, nunc certè poſtquam legi huc locum Paulini, ſatis equidem mirari non poſſum: maximè videns & alios grauiſſimos Auctores idem aliàs ſimiliter obſeruaſſe. Sic enim Sulp. Seuerus referens Exorciſmos S. Martini: Non credent [inquit] Martini virtutibus Chriſtiani, quas dæmones fatebantur? Monaſterium beati viri duobus à ciuitate erat

Seuer. Dial. 3. cap. 6.

milibus

milibus diſparatum: ſed ſi quoties venturus ad Eccleſiam, pedem extra «
cellulæ ſuæ limen extulerat, videres per totam eccleſiam Energume- «
nos rugientes, & quaſi adueniente iudice agmina damnanda trepidare, «
vt aduentum Epiſcopi Clericis, qui venturum eſſe neſcirent, dæmo- «
niorum gemitus indicaret. Vidi quendam appropiante Martino in aëra «
raptum, manibus extenſis in ſublime ſuſpendi, vt nequaquam ſolum «
pedibus attingeret. Si quando autem exorcizandorum dæmonum Mar- «
tinus operam recepiſſet, in cilicio & cinere, ſolo ſtratus orabat. «
Tum verò cerneres miſeros diuerſo exitu perurgeri: hos ſublatis in «
ſublime pedibus quaſi de nube pendere, nec tamen veſtes defluere ſu- «
per faciem, ne faceret verecundiam nudata pars coporum. at in parte «
alia videres ſine interrogatione vexatos, & ſua crimina confitentes. «
nomina etiam nullo interrogante prodebant: ille ſe Iouem, iſte Mer- «
curium fatebatur. [Quæ & aliàs facta etiam S. Hieronymus ijſdem ver-
bis narrat, agens de ſanctiſſima illa peregrinatione S. Paulæ: Atque *Hier. in Epitaphio*
inde (inquit) id eſt à Bethlehem diuertens, vidit duodecim Patriar- *Paulæ, tom.*
charum ſepulchra apud Sebaſten ſeu Auguſtam, id eſt, Samariam. Ibi *1.*
ſiti ſunt Heſilæus, & Abdias Prophetæ, & (quo maior inter natos mu-
lierum non fuit) Ioannes Baptiſta. Vbi multis intremuit conſternata
miraculis. Namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & «
ante Sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, voci- «
bus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire «
taurorum: alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere: «
ſuſpenſiſque pede fœminis, veſtes non defluere in faciem. [Sic enim «
eum Hieronymi locum ex Seuero emendandum (& rectè) putat Victor *Giſel. An-*
Giſelinus. Sed vt ad Paulinum reuertar, poſt illa generalia vnum par- *not. in Seuer.*
ticulare S. Felicis miraculum in dæmoniaco admirabili, anno alio refert
his verbis:

Paulin. Natal. 8.

Quidam homo non longum tempus tam prodigiali
Dæmone diſtentus fuit, vt iam non modò notos
Ille cibos hominum, vel ſi congeſta detetur
Multa menſa dape, facili conſumeret hauſtu;
Verùm & gallinas habitantum limine raptas,
Mox vt ſuſtulerat, rapido diſcerperet ore,
Et pluma incoctas non ſuffocante voraret.
Quin & funeream ſaniem ſitiebat, & oſſa
Lambebat pecudam proiecta cadauera lambens,

Obſcenus

Obſcœnus conuiua canum. Hic modò dæmone tento
Sobrius ecce procul conductum exercet agellum:
Et curante Deo ſancta Felicis in aula,
Redditus ipſe ſibi claro ſatus indice monſtrat,
Felicem meritis & Chriſti nomine ſortem.

Hæc igitur pauca ex infinitis dicta nobis ſint de oppoſitione quæ eſt inter catholicũ cultum Sanctorum, & ſeruitutem Idolorum ſeu dæmones ipſos, ſiue illi in idolis ſiue in corporibus humanis exiſtant. Reſtat autem, vt & de diuiniſſimo Altaris Sacramento idem demonſtremus. Vbi certè plangere magis libêret, quàm confutare Hæreticos. De ijs quidem qui rei erant corporis & ſanguinis eius in forma propria, ſcimus, quid ex
Luc. 23. intimis pietatis ſuæ viſceribus Patri dixerit: Pater, dimitte illis: non
» enim ſciunt quid faciunt. De iſtis verò qui rei ſunt eiuſdem corporis & ſanguinis in aliena forma Chriſtianis notiſſima, longeque certè aliter rei
1. Cor. 11. multoque magis, quàm qui manducant indignè: vereor equidem ne contra poſſit dicere, Sciunt quid faciunt: propterea non dimittetur illis. Aut ſi & hi ignorant, inexcuſabilis profectò, imò damnabilis eſt ignorantia, neſcire eos qui Chriſtiani dici volunt, rem vnam Chriſtianis omnibus ita notam, ita quotidianam, vt loquentes inde ſanctiſſimi Patres nihil
a Auguſt. Chryſ. or. de B. Philogon. tom. 2. magis vſurpauerint, quàm hoc, [a] Norunt fideles, cum interim Hæretici (quo modo cæca Ancilla [b] Senecæ) omnes præter ſe cæcos & ſtipites
b Senec. putent. Quod ſi igitur dignetur clementiſſimus Deus oculos eorum aperire, videbunt tum facilè, hoc admirabile Sacramentum eſſe illum tem-
Iud. 7. » pore Gedeonis quaſi ſubcineritium panem ex hordeo, qui videbatur vol-
» ui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernacu-
» lum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. [Eſſe
1. Reg. 5. item Arcam Dei, quæ tempore Samuelis illata in templum Dagon Dei Philiſthijm, & ſtatuta iuxta eum, proſtrauit eum ſemel & iterum, ita vt
» iacêret pronus in terra ante Arcam Domini. caput etiam Dagon, & duæ
» palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen: porrò Dagon ſolus trun-
» cus remanſerat in loco ſuo. Viderent (inquam) Sacramentum & Sacrificium hoc ita non Idolum eſſe (parcat autem comparationi, quam inuitus & à blaſphemis coactus facio) vt planè econtrariò, omnium Idolorum atque dæmonum, in hominibus, rebus, locis, ac terris, ſubuerſio
Moti. 17. ſit atque ruina. Id quod præter S. Auguſtinum, & S. Bernardum, & quos alios ſuprà citaui, declarat apertiſſimè ſanctus etiam Cyprianus in paruula
Cypr. de Lapſis, Ser. 5. illa cui culpâ Nutricis traditus erat à Magiſtratibus Gentilium panis Idoli mero mixtus, quòd carnem necdum poſſet edere per ætatem.

Recepit

Recepit à nutrice filiam poſtmodum mater neſciens quid actum eſſet.
Ignoratione igitur obreptum eſt [inquit Cyprianus] vt Sacrificantibus «
nobis eam ſecum mater inferret, [Et vide miracula partim ad preces
Miſſæ, partim ad communionem tanti Sacrificij conſecuta:] Sed enim
puella [inquit] mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, «
nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda iactari; velut tor- «
tore cogente quibus poterat indicijs conſcientiam facti in ſimplicibus ad- «
huc annis rudis anima fatebatur. [Additque:] Vbi verò Solennibus ad- «
impletis, Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus «
cæteris eius locus aduênit, faciem ſuam paruula inſtinctu Diuinæ Maie- «
ſtatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recuſare. Per- «
ſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit. «
Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore atque ore violato «
[inquit Cyprianus] Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus «
in Domini Sanguine potus de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt «
poteſtas Domini, tanta maieſtas &c. [Quod idem Diuus ipſe Paulus
antè dixerat his verbis: Quæ immolant Gentes, dæmonijs immo- *1. Cor. 10.*
lant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non «
poteſtis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non po- «
teſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. [Atque «
de hoc quis dubitare poteſt, Sacrificium (inquam) menſæ & Cali-
cis Domini aboleuiſſe Sacrificia omnia menſæ & calicis dæmoniorum,
ſecundum quod S. Auguſtinus dixit, Huic ſummo veroque Sacrifi- *Aug de Ciu. Dei lib. 10. cap. 20.*
cio, cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt: cùm ipſa quoque Sacrificia vete-
ris Teſtamenti, ab ipſo Deo inſtituta, abrogauerit? teſtante D. Paulo,
& dicente: Habemus Altare [ſeu Sacrificium,] de quo edere non ha- *Hebr. 13.*
bent poteſtatem, qui Tabernaculo deſeruiunt. &c. [diuque etiam antea «
idem prædicente Propheta, dum ex perſona Chriſti ait:] Sacrificium *Pſalm. 39.*
& oblationem [Iudæorum] noluiſti: Corpus autem perfeciſti mihi. *Hebr. 10.*
Quia [inquit in eum locum Auguſtinus] pro omnibus illis ſacrificijs *Auguſt. de Ciu. lib. 17. cap. 20.*
& oblationibus Corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. [& «
ſuperiùs:] Id enim Sacrificium (ac menſa, quam Sacerdos ipſe Mediator «
Teſtamenti Noui exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de Corpore «
& Sanguine ſuo) ſucceſſit omnibus illis Sacrificijs Veteris Teſtamenti. «
[Quod etiam poſt Auguſtinum S. Leo primus & Magnus his elegantiſſi- *Leo Ser. 3. de Paſſ.*
mis ad Chriſtum verbis dixit: Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varie- «
tate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, vna Corporis & Sanguinis tui «
implet oblatio, quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: «

„ Et ita in te vniuerſa perficis myſteria, vt ſicut vnum eſt pro omni „ victima Sacrificium, ita vnum de omni Gente ſit Regnum; id eſt, vna Eccleſia.

Hæc igitur dicta ſint de rebus ſacris, per quas Idololatria deſtructa eſt, & deſtruitur, licèt eaſdem cæci duces cæcorum, vertentes lucem in tenebras, idololatriæ & ſuperſtitionis accuſent. Nunc autem inſuper ad hunc locum pertinet, vt & de perſonis eorum qui Idôla olim deſtruxerunt, diſpiciamus, & vtrum proteſtantes fuerint an noſtri, inquiramus. Verbi gratiâ: inter Imperatores Romanos primus Chriſtianus Conſtantinus Magnus, primus quoque, longiſſimè atque latiſſimè, deſtruxit Idôla, ſicut de eo teſtatur præter alios & ante omnes Euſebius paſſim in Vita eius, libro [a] ſecundo, [b] tertio, & [c] quarto. itemque Socrates & Sozomenus in [d] Hiſtorijs. Idipſum teſtatur Socrates factum etiam à [e] Iouiano Imperatore: & à [f] Theodoſio ſeniore, conteſtante etiam Theodoreto: qui idem quoque de [g] Theodoſio iuniore narrat. Iam igitur cuius religionis fuerunt hi quatuor Imperatores laudatiſſimi, Conſtantinus, Iouianus, & vterque Theodoſius? fuerúntne Proteſtantes, an noſtri? Id ſi cui dubium aut obſcurum ſit, certò liquidéque intelliget ex Motiuo ſequenti, quod de Religione Imperatorum atque Regum tractabit. Præter iſtos autem poterit Lector obſeruare ſibi perſonas alias eodem modò, quæ olim euerterunt Idola: in quibus omnibus nullum vſquam ſine dubio Proteſtantem inueniet. Ego porrò (vt aliquid dicam apertius & neruoſius) paſſim inuenio Monachos fuiſſe iſtius facinoris auctores, & ſubinde in Templorum locis Monaſteria conſtructa eſſe. Monachi autem ipſo etiam nomine ſuo declarant ſe non fuiſſe Proteſtantes: planiuſque id declarabit Motiuum 25. quanquam ſatis id planè hæc etiam quæ nunc ſubijciam declarabunt. Ergo Sulp. Seuerus talia de beato Martino ſuo, qui & Monachus & Abbas Monachorum erat, & per Monachos ſuos iſta geſſit, in hoc genere ſcribit, quæ & Deus ipſe frequentibus coniunctis Miraculis approbare dignatus eſt: Dum in vico quodam [inquit] Templum antiquiſſimum diruiſſet, & arborem pinum quæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere, tum verò „ antiſtes loci illius, cæteraque Gentilium turba cœpit obſiſtere: & cùm „ ijdem illi, dum Templum euertitur, imperante Domino quieuiſſent, ſuc„ cidi arborem non patiebantur. Ille eos ſedulò commonere, nihil eſſe re„ ligionis in ſtipite: Deum potiùs, cui ſeruiret ipſe, ſequerentur. arborem „ illam excidi oportere, quia eſſet dæmoni dedicata. Tum ex illis vnus, „ qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis, te-

Euſ. de vit. Conſtans. a cap. 43. 44. 46. b cap. 25. 47. 51. 52. ad 57. c cap. 23. 25. 38. 39. d Socr. lib. 1. cap. 12. 14. Soz. lib. 2. cap. 4. e Soc. lib. 3. cap. 20. f lib. 5. ca. 16. 17. Theod. lib. 5. cap. 20. 21. 22. g lib. 5. cap. 36.

Seuer. in vita Mart. cap. 10.

dicis te colere, fiduciam, noſmetipſi ſuccidemus hanc arborem, tu ruentem excipe: & ſi tecum eſt tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepidè confiſus in Domino, facturum ſe pollicetur. Hîc verò ad iſtiuſmodi conditionem, omnis illa Gentilium turba conſentit: facilemque arboris ſuæ habuere iacturam, ſi inimicum ſacrorum ſuorum caſu illius obruiſſent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa eſſet acclinis, vt non eſſet dubium quam in partem ſucciſa corrueret, eo loco vinctus ſtatuitur pro arbitrio ruſticorum, quò arborem eſſe caſuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipſi ſuam pinum cum ingenti gaudio lætitiaque cœperunt. aderat eminus turba mirantium. iamque paulatim nutare pinus, & ruinam ſuam caſura minitari. Pallebant eminus Monachi, & periculo iam propiore conterriti, ſpem omnem fidemque perdiderant, ſolam Martini mortem expectantes. At ille confiſus in Domino, intrepidus opperiens, cùm iam fragorem ſui pinus concidens edidiſſet; iam cadenti, iam ſuper ſe ruenti, eleuata obuiàm manu, Signum ſalutis opponit. Tum verò tur- *Signum Crucis.* binis modo (retroactam putares) diuerſam in partem ruit: adeò, vt ruſticos qui tuto loco ſteterant, penè proſtrauerit. Tum verò in cælum clamore ſublato, Gentiles ſtupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Chriſti nomen in commune ab omnibus prædicari. ſatiſque conſtitit, eo die ſalutem illi veniſſe regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuit, qui non impoſitione manus deſiderata, Dominum Ieſum, relicto impietatis errore, crediderit. Et verè ante Martinum pauci admodum, imò penè nulli in illis regionibus Chriſti nomen receperant. quod adeò virtutibus illius, exemploque conualuit, vt iam ibi nullus locus ſit [loquitur de territorio Turonenſi in Gallia, vbi Martini epiſcopatus erat] qui non aut Eccleſijs frequentiſſimis, aut Monaſterijs ſit repletus.

[Alia quoque huius generis ſubiungit:] Nec minorem ſub idem ferè tem- *Cap. 11.* pus eodem in opere virtutem edidit. Nam cùm in vico quodam, fano antiquiſſimo & celeberrimo ignem immiſiſſet, in proximam, imò adhærentem domum, agente vento, flammarum globi ferebantur. Quod vbi Martinus aduertit, rapido curſu tectum domus ſcandit, obuium ſe aduenientibus flammis inferens. Tum verò mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter ſe elementorum quidam conflictus videretur. Ita virtute Martini ibi tantum ignis operatus eſt, vbi iuſſus eſt. [Et aliud:] In vico autem, cui Leproſum no- *Cap. 12.* men eſt, cùm idem Templum opulentiſſimum ſuperſtitione religionis voluiſſet euertere, reſtitit ei multitudo Gentilium, adeò vt non abſque iniuria ſit repulſus. Itaque ſeceſſit ad proxima loca: ibique per triduum

» cilicio tectus & cinere, ieiunans ſemper atque orans, precabatur à Do-
» mino, vt quia Templum illud euertere humana manu non potuiſſet,
» virtus illud Diuina dirueret. Tum ſubitò ei duo Angeli haſtati atque
» ſcutati inſtar militiæ cæleſtis ſe obtulerunt, dicentes, miſſos ſe à Do-
» mino, vt ruſticam multitudinem fugarent, præſidiumque Martino fer-
» rent, ne quis, dum Templum dirueretur, obſiſteret. rediret ergo, &
» opus cœptum deuotus impleret. Ita regreſſus ad vicum, inſpectantibus
» Gentilium turbis, & quieſcentibus, dum profanam ædem vſque ad
» fundamentum dirueret, aras omnes atque ſimulachra redegit in pul-
» uerem. Quo viſo, ruſtici cùm ſe intelligerent Diuino nutu obſtupe-
» factos atque perterritos, ne Epiſcopo repugnarent, omnes ferè in
» Ieſum Dominum crediderunt, clamantes palàm, & confitentes, Deum
» Martini colendum, Idôla negligenda, quæ ſibi adeſſe non poſſent.
cap. 13. » [Item aliud :] Quid etiam in pago AEduorum geſtum ſit, referam.
» Vbi dum Templum itidem euerteret, furens Gentilium ruſticorum
» in eum irruit multitudo. Cumque vnus audacior ceteris, ſtricto eum
» gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicem percuſſori præbuit. Nec
» cunctatus ferire Gentilis : ſed cùm dexteram altiùs extuliſſet, reſupi-
» nus ruit : conſternatuſque Diuino metu, veniam precabatur. [Et
cap. 14. » aliud huic ſimile :] Nec diſſimile huic fuit illud, cùm eum Idôla de-
» ſtruentem cultro quidam ferire voluiſſet, in ipſo ictu ferrum ei de
» manibus excuſſum, non comparuit. Plerumque autem contradicen-
» tibus ſibi ruſticis, ne fana eorum deſtrueret, ita prædicatione ſancta
» Gentilium animos mitigabat, vt luce eis veritatis oſtenſa, ipſi ſua
Templa ſubuerterent. [Non minùs his ſtupendum eſt, quod ante
hæc omnia narrat idem factum ab eodem viro mirabili contra Sacra
Gentilium, quemadmodum hæc fecit contra eorum Templa, aras,
cap. 9. » & Simulachra. Accidit [inquit] dum iter ageret, vt Gentilis cuiuſ-
» dam corpus, quod ad ſepulchrum cum ſuperſtitioſo funere defereba-
» tur, obuium haberet : conſpicatuſque eminus venientium turbam,
» Quidnám id eſſet ignarus, paululum ſtetit : Nam ferè quingento-
» rum paſſuum interuallum erat, vt difficile fuerit dignoſcere quid vi-
» deret. tamen quia ruſticam manum cerneret, & agente vento lintea-
» mina corpori ſuperiecta volitarent, profanos ſacrificiorum ritus agi
» credidit : quia eſſet hæc Gallorum ruſticis conſuetudo, ſimulachra
» dæmonum candido tecta velamine miſerâ per agros ſuos circumferre
» dementiâ. Eleuato ergo in aduerſo Signo Crucis, imperat turbæ, non
» moueri loco, onuſque deponere. Hîc verò mirum in modum videres
miſeros

miſeros primùm velut ſaxa riguiſſe. dein, cum promouere ſe ſummo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur: attoniti & ſemet inuicem aſpectantes, quidnam ſibi accidiſſet, taciti cogitabant. Sed beatus vir cum comperiſſet, exequiarum eſſe illam frequentiam, non Sacrorum, eleuatâ rurſum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis poteſtatem. Ita eos & cum voluit, ſtare compulit: & cùm libuit, abire permiſit. [Maximè autem omnium mirabile eſt, quod idem Seuerus de eodem S. Martino in Dialogis narrat. Vbi cùm dixiſſet, quòd monachus duntaxat, ante epiſcopatum duos mortuos vitæ reſtituiſſet, de tertio, quem in epiſcopatu ſuſcitauit, his verbis explicat, ex perſona Galli Monachi: Fuerat cauſa neſcio quæ, qua Carnotum oppidum petebamus. interea dum vicum quendam habitantium multitudine frequentiſſimum præterimus, obuiàm nobis immanis turba proceſſit, quæ erat tota Gentilium. nam nemo in illo vico nouerat Chriſtum. verùm ad famam tanti viri campos omnes latè patentes confluentium multitudo contexerat. Senſit hìc Martinus operandum, & annuntiante ſibi Spiritu totus infremuit: nec mortale ſonans Verbum Dei Gentilibus prædicabat: ſæpius ingemiſcens, cur tanta Dominum Saluatorem turba neſciret. Interea (ſicut nos incredibilis circumdederat multitudo) Mulier quædam, cuius filius paulò antè defecerat; corpus exanimum beato viro protenſis manibus cœpit offerre, dicens: Scimus, quia amicus Dei es, reſtitue mihi filium meum; quia vnicus eſt mihi. iunxit ſe cætera multitudo, & matris precibus acclamat. Tum Martinus videns pro expectantium ſalute (vt poſtea nobis ipſe dicebat) conſequi ſe poſſe virtutem, defuncti corpus proprijs manibus accepit: & cùm inſpectantibus cunctis, genua flexiſſet, vbi conſummatâ oratione ſurrexit, viuificatum paruulum matri reſtituit. Tum verò multitudo omnis in cælum clamore ſublato, Chriſtum Dominum fateri: poſtremò cuncti cateruatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter poſtulantes, vt eos faceret Chriſtianos. Nec cunctatus, in medio vt erat campo, cunctos, impoſitâ vniuerſis manu, catechumenos fecit, cùm quidem ad nos conuerſus diceret, Non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi ſolerent Martyres conſecrari. [Poſtea & hanc in iſto genere refert narrationem, ex qua rurſus patet, Monaſterijs abolita eſſe idolorum fana, idque Deo Miraculis comprobante: In vico Ambatienſi [inquit] id eſt Caſtello illo veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus, [ſiue Monachis,] Idolum noueratis grandi opere conſtructum.

Sev. Dial. 2. cap. 5.

Dial. 3. cap. 9.

" Politiſſimis ſaxis moles turrita ſurrexerat, quæ in conum ſublimè pro-
" cedens, ſuperſtitionem loci operis dignitate ſeruabat. Huius deſtructio-
" nem Marcello, ibidem conſiſtenti presbytero, Vir beatus ſæpè mandaue-
" rat. Poſt aliquantum temporis regreſſus, increpat presbyterum, cur ad-
" huc Idoli ſtructura conſiſteret. Ille cauſatus, vix militari manu & vi pu-
" blicæ multitudinis, tantam molem poſſe ſubuerti, nedum id facile puta-
" ret per imbecilles Clericos, aut infirmos Monachos quiuiſſe curari. Tum
" Martinus recurrens ad nota ſubſidia, noctem totam in orationibus perui-
" gilat. mane orta tempeſtas, ædem Idoli vſque ad fundamenta prouoluit.
cap. 10. " [Continenter autem & iſtud narrat:] Columnam immenſæ molis, cui
" Idolum ſuperſtabat, parabat euertere: ſed nulla erat facultas, quâ id dare-
" tur effectui. Tum ad orationem ſuo more conuertitur. Viſam, certum
" eſt, parilem quodammodo columnam ruere de cælo, quæ impacta Idolo
" totam illam inexpugnabilem molem ſoluit in puluerem. parum ſcilicet,
" ſi inuiſibiliter cæli virtutibus vteretur, niſi ipſæ virtutes viſibiliter ſeruire
" Martino humanis etiam oculis cernerentur. His igitur tam multis exem-
plis perſpicuum eſt, non Proteſtantes aliquos, ſed Monachos ipſos, qui-
bus nihil magis Proteſtantibus poteſt eſſe contrarium, fuiſſe iam tum
ſubuerſores Idolorum, Deo etiam per tam multa, tamque ſtupenda mi-
racula conteſtante.

An verò hoc ſaltem tempore Proteſtantes dum Sacras Imagines di-
ruerunt, ſimilia teſtimonia facinoris ſui diuinitus acceperunt? Imò con-
trarium certiſſimum eſt plurimis exemplis noſtri temporis, quibus de-
clarauit Deus mirabiliter, vt olim euerſores Idolorum bellum ſanctiſſi-
mum pro ſe gerere, ita euerſores ſacrarũ Imaginum bellum impijſſimum
contra ſe gerere. Quæ exempla breuitatis causâ prætermitto, & quia in
Anglia & in Belgio (puto autem & in Gallia) paſſim audiri poſſunt ab ocu-
latis teſtibus. Huic loco ſatis eſt, quod qui Idôla olim deſtruxerunt, ipſi
& Monaſteria conſtruxerunt, & ſacras Imagines in Eccleſijs vſurparunt.
id quod de huius quoque ipſius (ne longius abeam) beatiſſimi viri Mar-
tini imagine reperies infrà in Motiuo 21 à S. Paulino Monacho & Epiſ-
copo factitatum.

Eſt autem operæpretium, poſt iſta Latina, etiam Græcorum Mona-
chorum idem ſtudium exemplis aliquot illuſtrare. Ergo Theodoretus in
Theod. Hiſt. lib. 5. cap. 29. hiſtoria S. Chryſoſtomi hæc refert ad verbum: Cùm certior factus eſſet
" [Chryſoſtomus iam Conſtantinopolitanus Epiſcopus,] Phœniciam
" etiamnum ad nefaria dæmonum myſteria celebranda cæco furore ferri:
" Monachos Diuino pietatis ſtudio inflammatos in vnum cogit: eoſque
cum

eum edictis Imperatorijs ad Simulachrorum fana demolienda mittit. «
Opificibus autem & eorum miniſtris, qui iſta deturbarent, mercedem «
non ex Imperatoris prompſit ærario: ſed fœminas cùm diuitijs circum- «
fluentes, tum fide præclarè inſtructas induxit, vti ſumptus in eam rem «
(docuit namque, quanta laus ex tali largitione colligi ſoleat) affatim & «
liberaliter ſuppeditarent. Itaque reliqua dæmonum delubra hoc pacto «
ſolo æquanda curauit. [His etiam antiquiora, eaque valde mirabilia refert, qui & ipſe eorum pars nonnulla fuit, Ruffinus, ex eoque poſtea Socrates, de duobus Macarijs, qui tempore Valentis Ariani Imperatoris Patres Monachorum in AEgypto erant, multaque maxima miracula ediderunt.] Sed in his omnibus [inquit Ruffinus] Lucius [Arianus is epiſco- «

Ruf. lib. 2. cap. 4. Socr. lib. 4. cap. 19.

pus Alexandrinus fuit] non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum «
mirabilibus detulit: quin imo iubet Patres ipſos ablatos à grege ſuo [ſuo- «
rum ſcilicet Monachorum,] imò clàm raptos, in inſulam quandam «
AEgypti paludium deportari, in qua compererat neminem prorſus eſſe «
Chriſtianum: quò per hoc vel abſque ſolatijs, vel abſque conſuetis acti- «
bus [Monaſticis] viuerent. Senes igitur cum duobus ſolis pediſſequis «
noctu ad inſulam deducuntur: in qua erat Templum quoddam ſumma «
veneratione à loci incolis obſeruatum. Cumque primùm nauicula ſenum «
oram ſoli illius contigiſſet, ecce ſubitò Sacerdotis Templi illius virgo filia «
correpta ſpiritu, cum ingenti vociferatione & clamoribus vſque ad cælum «
datis, agi per medios populos cœpit, & crebros ducens rotatus, ſtridens «
huc atque illuc rabida ora vibrare. Cumque ad ſpectaculum tam ingentis «
monſtri, maximè quòd eſſet Sacerdotis filia (qui in honore præcipuo «
apud illos erat) populi conueniſſent, per auras eam raptam ſequentes, «
perueniunt vſque ad nauiculam ſenum. Ibi verò proiecta eorum pedi- «
bus & proſtrata, clamare cœpit: Quid veniſtis huc ô ſerui dei ſummi, «
antiquis nos & veternoſis euoluere domicilijs? In hoc loco, depulſi vn- «
dique, latebamus: quomodo vos nequaquam latere potuimus? cedimus «
antiquis ſedibus, populos veſtros terraſque recipite. Cùm hæc diceret, «
increpitus ab eis erroris ſpiritus, effugatur. Et puella ſana vnà cum pa- «
rentibus ſuis iacebat ad pedes noſtri temporis Apoſtolorum. Qui tali- «
bus exordijs prædicantes eis fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in tan- «
tam conuerſionem repentè eos perduxerunt, vt ſtatim manibus ſuis «
antiquiſſimum Templum, & in ſumma veneratione habitum, deſtru- «
erent, & eccleſiam confeſtim ædificarent. Nec ad deliberandum ſpa- «
cio temporis eguerunt, quibus fidem rerum fecerant, non verba, «
ſed virtus.

Hoc igitur

Hoc igitur modo vindicatâ Religione catholicâ à calumnia Hæreticorum, per hoc quod oſtendi clariſſimè, eam & in rebus & in perſonis ſuis eſſe Idololatriæ prorſus & omnino contrariam: vtiliſſimum erit iam in fine huius Motiui conſiderare, an nos veriùs & certiùs non poſſimus Proteſtantibus hoc crimen infigere. Multùm itaque obſeruanda eſt illa ſapientiſſima atque elegantiſſima D. Cypriani ſententia: Chriſti aduentu detectus ac proſtratus inimicus, videns Idôla derelicta, & per nimium Credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: Hæreſes inuênit, & Schiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines: & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi [id eſt Gentilitatis ſeu Idololatriæ] noctem videntur, alias [ſcilicet Hæreticorum] neſcientibus tenebras rurſus infundit. &c. [Et hoc adumbratum eſt in Euangelio, vbi eiecti de homine dæmones abierunt in porcos. Quos etiam Theodoretus Epiſcopus doctiſſimus eâdem ſapientiâ animaduertit, & literis ſic mandauit. Loquitur autem de Conſtantino Magno, ante quem regnantem Cyprianus multis annis defunctus eſt.] Is leges conſcripſit [inquit Theodoretus] quibus & hoſtias ſimulachris vetuit immolari, & ædes ſacras extruendas ſanciuit. Quinetiam Præſides, quorum mentes fides Chriſtiana imbuerat, Gentibus ac Prouincijs præfecit: deditque illis mandatum, vt Sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui contumelioſè eoſdem inſectari aggrederentur, exitium minatus eſt. Quo quidem tempore, alij eccleſias dirutas de integro erexere: alij, alias ampliores ſplendidioreſque exædificauere. His rebus hoc loco conſtitutis, noſtri animi gaudio perfuſi & voluptate, aduerſariorum autem triſtitia & mærore confecti fuerunt: quandoquidem Simulachrorum delubra occluſa, in eccleſijs Chriſtianorum dies feſti & crebri conuentus celebrati. Verùm nequam & inuidus dæmon, generis humani pernicies, cùm ſtatum Eccleſiæ Dei tam ſecundo ac proſpero flatu ferri cerneret, nullo modo pati potuit: ſed ſubdola ac peſtifera conſilia excogitare cœpit, omneſque ſedulò perueſtigauit modos, quibus eam tam præclarè ab vniuerſitatis opifice & moderatore gubernatam penitus euerteret. Nam cùm animaduerteret Gentilium errorem ſuis integumentis euolutum, & varias ac multiplices dæmonum fraudes perſpicuè deprehenſas, & creaturam à quàm plurimis nulla ampliùs dignatam veneratione, ſed pro illa Creatorem laude & præconijs celebratum: idcirco deinceps non apertè contra

Cypr. de vnit. Eccle. num. 2.

Mat. 5.

Theod. Hiſt. lib. 1. cap. 2.

Vide & Iren. lib. 1. cap. 24.

contra Deum ac Seruatorem noſtrum bellum ciere, ſed cùm homines "
quoſdam [ſcilicet, Hæreticos, & nominatim Arianos,] nomine qui- "
dem Chriſtianos, re tamen ipſa ambitionis & inanis gloriæ ſeruos re- "
periſſet, his tanquam inſtrumentis ad ſuos veteratorios conatus perfi- "
ciendos valde idoneis vti cœpit. [Atque hinc eſt, quòd Chriſtiani Explanatores veteris Teſtamenti paſſim doceant nos interpretari Idôla illorum temporum de Hæreſibus horum temporum. Vnde eſt illa regula S. Hieronymi doctiſſimi & peritiſſimi Scripturarum interpretis, dicentis: Ponitur Idôlum, quando nouum Dogma conſtituitur, &c. *Hier. in Iere. 32.*
Quam ob rem Apoſtoli etiam comparant Hæreticos illis Idolorum Prophetis, dicente S. Petro: Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in Populo: *2. Pet. 2.*
ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces qui introducent Sectas per- "
ditionis. [& paulò pòſt,] derelinquentes [inquit] rectam viam erra- "
uerunt, ſecuti viam Balaam. [propter quod de illis & eorum ſequacibus *Num. 22.*
ibi dicit:] Contigit enim eis illud veri Prouerbij: Canis reuerſus ad "
ſuum vomitum. &, Sus lota in volutabro luti. [Eidem autem pſeudo- *Iud. in Epiſt.*
prophetæ Balaam etiam S. Iudas Apoſtolus eos confert. Et S. Paulus *2. Tim. 3.*
etiam Magis AEgypti, dicens: Quemadmodum autem Iannes & Mam- "
bres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti men- "
te, reprobi circa fidem. [Qui & alibi ob eandem cauſam, quod ſcriptum *Rom. 11.*
eſt in Elia de curuantibus genua Idolo Baal, interpretatur de incre- *3. Reg. 19.*
dulis & perfidis Iudæis ſui temporis propter impium errorem quem contra Chriſtum erexerant. Quem propterea errorem Iudaicum ſi Galatæ priùs Idololatræ, tunc autem Chriſtiani, reciperent, non alio idem loco habet, quàm ſi reuerterentur ad Idôla ſua, quaſi canis ad vomitum, aut ſus lota ad lutum. Sed tunc quidem [inquit] ignoran- *Gal. 4.*
tes Deum, ijs qui naturâ non ſunt dij, ſeruiebatis. Nunc autem cùm "
cognoueritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo: quomodo conuertimini "
iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſeruire vultis? "
Dies obſeruatis [ritu Iudaico] & menſes, & tempora, & annos. "
Timeo vos ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis: [vt ſcilicet eos à "
dijs falſis conuerteret: quia nimirum ſuſceptis erroribus & Hæreſibus, denuò ad antiqua redibant. Cuius rei ratio eſt, partim quòd ſicut Idôla ſeu dij falſi fingebantur ex lapide, auro, vel argento, ita Hæreſes ex alicuius cerebro, cùm vera & catholica fides ea ſit quæ ad *Vide Aug. in pſal. 80. & de ver. Rel. ca. 38.*
nullum hominem citra Chriſtum, à quo eam Apoſtoli acceperunt & Eccleſiæ tradiderunt, referri poſſit aut debeat. partim verò quòd Hæretici non minùs addicti ſint his ſuis proprijs phantaſmatibus,

quàm olim dijs ſuis lapideis, argenteis, & aureis Idololatræ, vtrique ſcilicet pro vtriſque parati omnia & facere & pati, cùm tamen vtraque nihil ſint niſi meræ inſaniæ & vanitates falſæ, ac commenta hominum. *Vinc. Lir. cap. 15. in Deut. 13. eamus & ſequamur Deos alienos.* Noua dogmata [inquit Vincentius Lirinenſis] Vetus Teſtamentum allegorico ſermone Deos alienos appellare conſueuit, ob quòd ſcilicet ita ab Hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à Gentilibus dij ſui, obſeruentur. &c.

Quæ cùm ita ſint, vt (inquam) Hæreſes ſint Idôla, ſi quis iam dubitet an Proteſtantes ſint Hæretici, etſi id per ſingula huius libri Motiua pleniſſimè demonſtretur, tamen recurrat (ſi placet) duntaxat ad Motiuum 7 de generali nomine Hæreticorum, quo nunc facilè & ſine vlla ſermonis obſcuritate celebrantur, & ad Motiuum 38 de Antiquis Hæreſibus quas renouarunt: Et clariſſimè, quod dico, verum eſſe perſpiciet. Ex quibus concludo paulò (vt exiſtimo, vtque omnes ex his intelligunt) iuſtiori & firmiori ratione de illis, quàm illi ſuprà de nobis, quòd cultores Idolorum ſint, quoniam (inquam) Hæretici ſunt. Quod quidem argumentum generale eſt, & æquè contra omnes Hæreticos valet. Sed contra Proteſtantes eſt præterea ſpeciale argumentum, per quod multò adhuc iuſtiùs atque manifeſtiùs de illis poſſim concludere, eſſe eos Idolorum procuratores & patronos, quia oppoſuerunt ſe Catholicæ Religioni in illis ipſis articulis, iiſque non paucis, qui (vt iam copioſiſſimè & euidentiſſimè oſtendi) & argumentis & factis debellauerunt Idôla, cuiuſmodi ſunt (vt docui) Crux, Reliquiæ, Sacrificium Miſſæ, & multa alia. Vt igitur poſtremò concludam: quotquot Deo malunt quàm Diabolo placere, videre ex hoc Motiuo poſſunt, quòd, quemadmodum abſque controuerſia Religio noſtra eſt ad quam pertinent Cruces iſtæ, Imagines, Reliquiæ, & Miſſa: ita eadem ſit ſola Religio vera, ſola Diuina, amotrix omnium aliarum religionum, ſiue Ethnicæ, ſiue Iudaicæ, deturbatrix Idolòrum, tortrix, domitrix, & eiectrix dæmonum: idque tam certò, tam manifeſtò, vt indubiè dæmon ſit qui blaſphemas Hæreticorum linguas occupauit, & inſenſatis eorum mentibus tenebras has tam denſas, tam cæcas offendit.

MOTIVVM:

MOTIVVM DECIMVM-NONVM.

Quòd non ſolùm omnes pij Reges aliarum Gentium, verùm ipſi etiam antiqui Imperatores Romanorum, quorum conuerſio à Deo per Prophetas expreſſiùs promiſſa, & promittendo probata eſt, fuerint Religionis noſtræ: ideoq; certiſſimam imminere perditionem & Regibus, & cæteris omnibus qui hoc tempore defecerunt ad Proteſtantes.

QVI Scripturas Veteris Teſtamenti, & præſertim Propheticas, 1.
ſcrutati ſunt, facilè mihi concedent, Religionem Chriſtianorum Regum, maximeque Imperatorum Romanorum, ſaltem primorum, meritò ſpectandam omnibus & imitandam eſſe: quippe quæ in iiſdem Scripturis Propheticis expreſsè prædicta, ac promiſſa, & conſequẽter à Deo ipſo approbata ſit. Cùm igitur omnes Chriſtiani, tum Reges maximè, & Reginæ, aliæque illuſtres perſonæ, habent in hoc Motiuo quos iure optimo intueantur. Nam & per ſe ac ſimpliciter dignum eſt, vt Reges poſteri imitentur Reges Maiores ſuos, & multo magis Reges à Deo ipſo clariſſimè commendatos. Hinc enim S. Auguſtinus & ſe olim Manichæum, & amicum ſuum Honoratum adhuc Manichæum culpans, quòd non olim in Eccleſia Catholica quæſiuiſſent veram Religionem, dicit ironicè: Sed reuera reuocabat nos atque prohibebat à quærendo, ſacratorum perſona vilis. [& reſpondet, dici hoc non poſſe. quia omnium Dignitatum & Poteſtatum gradus huic Diuino cultui deuotiſſimè inſeruiunt. Propter quam equidem cauſam etiam factum puto, vt inter omnes Prophetas Dauid & Eſaias potiſſimùm, quorum ille non ſolùm Propheta, verùm etiam Rex, & pater plurimorum Regum, hic verò æquè Propheta, itemque frater Regis Amaſiæ, & multorum Regum nobiliſſimus patruus fuit, iſta de Regum conuerſione prædicerent: vt nihil eſſet in exemplo humile, nihil abiectum, nihil indignum imitatione Regia, ſed cuncta glorioſa, cuncta magnifica: vtque talium prophetijs informati, & talium exemplis inſtituti, quantumlibet magni ſecundum ſeculum & ſublimes ſint, tamen non dedignentur ſeruire Regi Regum Chriſto, & Eccleſiæ eius, & Sanctis eius. Voces igitur Regij Prophetæ Dauidis ſunt hæ: Coram illo procident AEthiopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent:

August. de vtil. cred. cap. 7.

Pſalm. 71.

» Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Re-
» ges : omnes Gentes ſeruient ei. &c. & replebitur Maieſtate eius omnis
» terra. fiat, fiat. [Et in alio pſalmo, quem etiam ipſe D. Paulus inter-
Pſalm. 69. pretatur de Chriſto:] Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, acce-
Epheſ. 4. piſti dona in hominibus. &c. A Templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent
» Reges munera. &c. Venient legati ex AEgypto : AEthyopia præue-
» niet manus eius Deo. Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino, pſal-
» lite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem. [Rurſus in alio
Pſal. 101. pſalmo, quem etiam Paulus de Chriſto intelligit:] Et timebunt Gen-
Hebr. 1. tes nomen tuum, Domine : & omnes Reges terræ, gloriam tuam.
» Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua. &c. Scriban-
» tur hæc in generationem alteram : Et populus qui creabitur laudabit
» Dominum, &c, in conueniendo populos in vnum, & Reges vt ſeruiant
Pſalm. 2. Domino. [Pſalmum porrò ſecundum non ſolùm idem [a] Paulus varijs
a Hebr. 1. & 5. in locis, verum [b] omnes etiam Apoſtoli, imò vniuerſi primitiui Chri-
Act. 13. ſtiani, vt patet in Actis, de Chriſto intellexerunt. In quo Pſalmo Da-
b Act. 4. uid Prophetauit duo de Regibus illuſtriſſima. Primum, quòd perſeque-
rentur Chriſtum. Alterum, quod deinde ſeruirent Chriſto. quorum
vtrumque perſpicuè impletum eſt in Imperatoribus Romanis. Hi enim
cùm trecentis annis perſecuti eſſent Chriſtianos, vnde innumerabiles
Martyres extiterunt : poſtea, incipiente feliciter Conſtantino, longo
ordine Chriſtiani fuerunt. Ex qua obſeruatione eſt illa ſapientiſſima
Aug. Epiſt. 48. D. Auguſtini ad Donatiſtas reſponſio: Non inuenitur exemplum [in-
» quit Donatiſta Vincentius] in Euangelicis & Apoſtolicis literis, aliquod
» petitum à regibus pro Eccleſia, & contra inimicos Eccleſiæ. [Reſpon-
» det Auguſtinus:] Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur
Pſalm. 2. illa prophetia, Et nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis ter-
» ram: ſeruite Domino in timore. Adhuc enim illud implebatur, quod
» in eodem Pſalmo paulò ſuperiùs dicitur : Quare fremuerunt Gentes,
» & Populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes
» conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.
[Vnde & ad Bonifacium Comitem Catholicum ita contra eoſdem Hæ-
Aug. Epiſt. 50. reticos ſcribit: Cùm itaque nondum Reges Domino ſeruirent tempo-
Pſalm. 2. ribus Apoſtolorum, ſed adhuc meditarentur inania aduerſus eum & ad-
» uerſus Chriſtum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur:
» non vtique tunc poſſent impietates Legibus prohiberi, ſed potiùs exer-
» ceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent Præ-
Ioan. 16. dicatores Chriſti, putantes ſe officiū Deo facere, ſicut prædixerat Chriſtus;
& Gen-

& Gentes fremerent aduerſus Chriſtianos : vt omnes patientia Marty- *Pſalm. 2.*
rum vinceret. Poſtea verò quàm cœpit impleri, quod ſcriptum eſt, Et *Pſalm. 71.*
adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient illi : quis "
mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in Regno veſtro, à quo tuea- "
tur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri : Non ad vos pertineat in Re- "
gno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus : quibus dici non "
poteſt, Non ad vos pertineat in Regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, "
quis impudicus ? Hæc ex Dauide. Similia autem ſunt per omnia, & quæ
Eſaias Prophetauit : niſi quòd Dauid de Capite, id eſt de Chriſto, Eſaias
autem de Corpore, id eſt de Eccleſia, loquitur : quia Caput & Corpus
vnam perſonam, ſeu vnum Chriſtum myſticum conſtituunt. Hanc enim *1. Cor. 15.*
ob cauſam Chriſtus ipſe ad eum qui de ſe dicit, perſecutus ſum Eccleſiam *Gal. 1. Act. 9.*
Dei, ita dicit, Saule, Saule, cur me perſequeris ? Idemque [b] Paulus *b 1. Cor. 12.*
propterea (quod & D. Auguſtinus annotauit) multis in locis vocat Ec-
cleſiam nomine Chriſti. Sic igitur apud Eſaiam alloquitur Deus Eccle-
ſiam : Et venient ad te curui, filij eorum qui humiliauerunt te : & ado- *Eſa. 60. & Tob. 13.*
rabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt "
te Ciuitatem Domini, Sion Sancti Iſraël. [Et ſuperiùs in eodem capi- "
te : Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus "
tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Omnes iſti congregati ſunt, "
venerunt tibi : filij tui delongè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. "
Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quan- "
do conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit "
tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha : "
omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domi- "
no annunciantes. [Ac paulò pòſt : Et ædificabunt filij Peregrino- "
rum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. &c. Et aperien- "
tur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur : vt afferatur ad "
te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & Re- "
gnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. [Et multo antè apud eundem Pro-
phetam Euangelicum:] Hæc dicit Dominus Deus, Ecce leuabo ad Gen- *Eſa. 49.*
tes manum meam, & ad Populos exaltabo ſignum meum. Et afferent fi- "
lios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt Re- "
ges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ : Vultu in terram demiſſo adora- "
bunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. & alia multa ſimilia in "
iiſdem duobus capitulis.

Quòd ſi iam exiſtat Gentilis quiſpiam, & quærat à Chriſtianis,
vbi oſtendamus has Dauidis & Eſaiæ Prophetias eſſe completas :

quodnam ei reſponſum dabunt Proteſtantes? Tempore enim Apoſtolorum perſequebantur Reges, non ſeruiebant Chriſto & Eccleſiæ. non igitur in Canonicis libris Noui Teſtamenti potuit conuerſio eorum enarrari. Nónne igitur recurrendum eſt ad Hiſtorias & alia Scripta Eccleſiaſtica, ſi Gentili volumus ſatisfacere, & Prophetarum noſtrorum veritatem fidemque defendere? Ex quo intelligere poſſunt indoctiores Hæretici vanitatem ſuam, qui nullas literas in quæſtione Religionis admittendas, niſi Canonicas, putant. Vnde ergo demonſtrabunt, Romanorum Imperatorum qui tot annis humiliauerunt Eccleſiam, & detraxerunt ei, poſteros demum veniſſe (vt ait Propheta) curuos ad eam, miniſtraſſe, ſeruiſſe, & adoraſſe eam, idque tanta cum humilitate, & vultu
II. ita in terram demiſſo, vt & puluerem pedum eius linxerint? Sed etſi hîc in Prophetis duntaxat ſubſiſtamus, & Scriptores Eccleſiaſticos non reuoluamus, an non ex his aperta res eſt, & contra Hæreticos omnino concluſa? primùm quidem, quia inter eos non adorant Eccleſiam Reges
III. & Magnates, ſed Capita ſunt Eccleſiæ. Deinde verò, quia teſtantur Prophetæ illam adhuc veram Chriſti Eccleſiam fuiſſe, cuius Reges illi tum membra fuerunt, eandemque prorſus cum ea quam eorundem Regum Maiores priùs tam crudeliter perſecuti fuerant. ita vt Sulpitius Seuerus cum alijs Scriptoribus Eccleſiaſticis narret (ſecundum Prophetas) de illis Conſtantini Magni temporibus, & dicat: Hoc temporum tractu, mirum eſt, quantum inualuerit Religio Chriſtiana. Tum ſiquidem Hieroſolyma horrens ruinis, frequentiſſimis ac magnificentiſſimis Eccleſijs eſt adornata. Namque Helena, Mater Principis Conſtantini, quæ Auguſta cum filio conregnabat, cùm Hieroſolymam agnoſcere concupiſceret, reperta ibi Idôla ac Templa protriuit: mox vſa Regni viribus, Baſilicas in loco Dominicæ Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis conſtituit. [Hieronymus etiam ad illum Eſaiæ locum à me iam commemoratum, Et ædificabunt &c. ſic ait: Videmus, Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare eccleſias expenſis publicis, & aduerſus perſequutiones Gentium, atque inſidias Hæreticorum, Legum ſcita pendere. [Idemque ad ſimilem Zachariæ Prophetæ locum, ſimiliter:] Hæc Perſecutionis tempore [inquit] in eccleſijs Chriſti expleta conſpeximus, quando in tantam rabiem Perſecutorum feritas excitata eſt, vt etiam conciliabula noſtra deſtruerent, Diuinos Libros ignibus traderent: omnes inſulæ, metalla, carceres, Confeſſorum & Martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet, rurſum eccleſias conſtruendas, ab his ipſis qui antè deſtruxerant: non quòd

Sen. Hiſt. Sac. lib. 2. pag. 152. Soc. lib. 1. cap. 12.

Hier. l. 17. in Eſa. 60.

Idem in Zac. 8.

quòd iidem homines fuerint, ſed quòd eadem Regalis Poteſtas quæ priùs "
ſedebat in inſidijs cum diuitibus, & quaſi ex Senatuſconſulto Chriſti no- Pſalm. [illegible]
men conabatur extinguere, nunc expenſis Reipublicæ eccleſiarum Ba- "
ſilicas extruat, & exaltet ſumma faſtigia, vt non ſolùm laquearia & tecta "
fulgentia auro decoret, ſed parietes diuerſi marmoris veſtiat cruſtis; & "
Diuinos Libros quos priùs tradebat incendio, nunc deauratos & pur- "
puratos, & gemmarum varietate diſtinctos, in cuſtodiam Romani ve- "
neretur ſtatus. Sed de Templis iſtorum Imperatorum plura in Moti-
uo 21 dicturus ſum. Nunc autem illud tantùm volo, quòd perſpicuum
ſit tum ex prædictione Prophetarum, tum ex hiſtoria temporum, Eccle-
ſiam quam priùs Tyranni adeò deuaſtauerant, eandem prorſus iam illis
conuerſis non ſolùm extitiſſe, ſed etiam incredibiliter longeque magis
floruiſſe. Quo poſito & conceſſo, ſequitur neceſſariò & euidenter, non
eſſe credendum Proteſtantibus, propterea quòd tantum differunt ab Ec-
cleſia illius temporis, vt, ad ſuos conatus defendendos, dicere cogantur,
Eccleſiam illo tempore, tunc (inquam) quando ſecundum Prophetas &
Hiſtorias multo magis claruit, illo ipſo tempore vel perijſſe, vel ſaltem
diſparuiſſe. Cuius abſurdiſſimæ aſſertionis neceſſitas ex ſequentibus per-
ſpicietur ab omnibus.

Illud igitur primùm admoneo, propter imperitos, non me hic ag- IIII.
gredi rem difficilem, ſed planè facillimam, vt antiquorum Regum &
Imperatorum Religionem inueſtigem: Non ſolùm enim inter Impera-
tores Romanos, qui ſemper illuſtriſſimi fuerunt, verum etiam inter Re-
ges aliarum Gentium obſcuriores, probè ſciunt docti omnes, ſiue Catho-
lici ſiue Proteſtantes, primùm quinam ex illis Pagani & qui Chriſtiani
fuerint: deinde inter Chriſtianos etiam, qui Catholicam fidem tenuerint
adamuſſim, qui rurſus ab eadem vel paululum aberrauerint. Verbi gra-
tiâ: ſi cui placeat aſcendere ſeriatim per lineam Regum Angliæ noſtræ,
ecce, hodie regnat Elizabetha, ante eam ſoror eius Maria, quam ante-
ceſſit frater vtriuſque Edouardus ſextus, de quibus nihil attinet dicere,
quia eorum facta oculis etiam vſurpauimus. Ergo ante hos tres pater
eorum Henricus octauus regnauit, qui primus fecit hoc Schiſma, mul-
tum ſcilicet mutatus & à ſe ipſo, & à patre ſuo Henrico ſeptimo, cæteriſ-
que Chriſtianis regibus Angliæ vſque ad Edelberthum, de quo Ven. Beda Beda Hiſt.
ſcribit, quòd Anno Dominicæ Incarnationis 613 (qui eſt annus viceſi- Ang. lib. 2. cap. 5.
mus primus, ex quo Auguſtinus Epiſcopus cum ſocijs [Monachis] ad "
prædicandum Genti Anglorum miſſus eſt [à Gregorio Papa primo & "
Magno] poſt regnum temporale, quod quinquaginta & ſex annis glorio- "
ſiſſimè:

„ ſiſſimè tenuerat, æterna cœleſtis Regni gaudia ſubijt: qui tertius quidem
„ in Regibus Gentis Anglorum &c imperauit, ſed primus omnium cœli
„ Regna conſcendit. [Inter hunc igitur & Henricum octauum, qualis quiſque fuerit, vtrum Paganus an Chriſtianus; & ſi Chriſtianus, vtrum Catholicus, an Hæreticus, multumné an parum quid innouans: nemo Hiſtorias Gentis noſtræ legens poterit ignorare. Multo autem minùs ignorari poteſt religio Imperatorum Romanorum, de quibus, quoniam maximè conſpicui fuerunt, Hiſtoriæ quàm plurimæ (præter alios Scriptores claſſicos) narrauerunt. ita vt aſcendendo à Maximiliano ſecundo qui nunc imperat, vſque ad Conſtantinum Magnum primum Imperatorem Chriſtianum, nullius religio ſit obſcura: ſed probè ſciatur, quemadmodum ante Conſtantinum (quando à Iulio Cæſare omnes, excepto Philippo Chriſtiano, erant Gentiles) qui ipſorum Gentilium fuerint ſeu perſecutores ſeu fautores Chriſtianorum, ita poſt Conſtantinum ſimiliter, qui fuerint Apoſtatæ, & qui Hæretici, & qui Catholici. vt, quòd Iulianus fuerit Apoſtata: hæretici autem, inter ceteros, Conſtantius, & Valens, Arrianus vterque: qui autem Catholicam fidem, nihil innouantes, ad æternam ſuam gloriam ſectati ſunt, fuerunt (vt paucos nominem de primis) dictus Conſtantinus, & mater eius Helena, & Conſtans filius eius, item Iouianus, Valentinianus ſenior, Gratianus, Theodoſius ſenior, eiuſque filij Arcadius & Honorius, & Arcadij filius Theodoſius iunior cum ſorore Pulcheria, vt poſteriores taceam. Horum igitur iam quæ fuerit religio illa ab Eſaia prædicta, atque à Deo vt antè promiſſa, ſic pòſt impleta, intueamur. Amplificare autem hunc locum licet, addendo (ſecundum Prophetas) Reges etiam vniuſcuiuſque Gentis, eos maximè quorum ſanctitas & miraculoſa virtus magis eminuit. qualis in Gallia noſcitur S. Ludouicus: in Anglia verò, S. Edouardus, & poſt Conqueſtum (vt vocamus) S. Richardus, & in cunctis alijs Regnis ſimiles. Sed ego, vitandæ prolixitatis gratia, ſolos Romanos Imperatores, eoſque antiquos, perſequar, vt notiores vniuerſis, & clariùs à Prophetis expreſſos.

De his ergo, tribus euidentiſſimis modis colligo & concludo, quòd
V. eadem fuit Religio eorum quæ hodie noſtra eſt. Primò, ex tempore quo regnarunt, quod tempus (vt præmonui) tam manifeſtè vident Proteſtantes noſtrum eſſe, & non ſuum, vt compulſi dicant, licèt abſurdiſſimè, Eccleſiam Chriſti iam tum vel nullam, vel certè inuiſibilem fuiſſe, quia Imperatores iſti & alij tum viſibiles Chriſtiani, non Proteſtantes, ſed noſtri fuerunt. Secundò, ex religione Maximiliani qui nunc imperat, quem noſtrum eſſe in confeſſo eſt. eundemque eiuſdem eſſe religionis,

cuius

cuius fuit Conſtantinus Magnus & cæteri antiqui, ſic euidenter oſtendo. Ecce enim, nihil mutatus eſt Maximilianus iſte à patre ſuo Ferdinando, qui proximus ante eum Imperator fuit: nihil rurſus Ferdinandus à fratre ſuo Carolo quinto: nihil Carolus à Maximiliano Auo & anteceſſore ſuo: nihil Maximilianus ille à Friderico patre: & ſic deinceps aſcendendo ad Carolum Magnum Anno Domini 800, & vlteriùs ab hoc Carolo vſque ad Conſtantinum Magnum Anno Domini 300. non quidem, quaſi nullus in medio mutauerit: ſed quia noti ſunt omnes qui mutauerunt, & notum quid mutauerint, (vt modò dixi de Conſtantio & Valente Arrianis;) & ſimul notum, quòd Maximilianus noſter nullum illorum in mutatione quacunque ſequitur. Hæc itaque eſt breuis & enucleata concluſio: Maximilianus, qui noſter eſt, nihil ipſe mutauit; nec Conſtantium in Arrianiſmo, nec alium vllum in eo quod quiſque mutauit, imitatur. manet ergo Maximilianus immutatus à Conſtantino Magno. fuit igitur Conſtantinus Magnus hoc idem, quod eſt Maximilianus, id eſt, noſter. quam concluſionem indubiè nullus Hæreticus poteſt refellere, vt rurſus oſtendam in Motiuo 45, vbi eandem concluſionem repetam de Romanis Pontificibus. Tertiò, quòd noſtri fuerint antiqui illi Cæſares, ex rebus ipſis ſingulis quæ de eorum religione ſcribuntur, copioſiſſimè & manifeſtiſſimè licet oſtendere. Nam vt Romanorum hodie religio eſt (ſicut & tum fuit) à qua Conſtantius Arrianus, vel quilibet alius Imperator hæreticus variabat, ita etiam Romanorum hodie religio eſt (ſicut & tum fuit) à qua Conſtantinus Magnus & cæteri omnes Imperatores Catholici nihil variabant. Vbi hoc imprimis attenta conſideratione digniſſimum eſt, quòd quidam ſunt articuli (de illis loquor à quibus Proteſtantes defecerunt) Romanæ religionis quæ hodie eſt, ſicut & tum & ſemper fuit, qui ipſi articuli non ſolùm in religione etiam illorum Imperatorum fuerunt, ſed & ita fuerunt, vt præbuerint Chriſtianis hominibus Motiua grauiſſima, ad demonſtrandam contra Paganos Deitatem Chriſti ipſius. Plurimi tales articuli commemorari poſſent; ſed tres duntaxat ſubnotabo. Et vnum quidem ex Motiuo 15 de VI.
Veneratione Sanctorum, vbi ſanctos Patres induxi demonſtrantes Gentilibus, quòd Chriſtus ſit Deus, hoc modo: repetam enim pauca verba S. Chryſoſtomi: Etiam Romæ [inquit] quæ vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad Sepulchra a Piſcatoris & pellionis currunt & Reges, & Præſides, & Milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi propè Apoſtolos,

Chryſ. ho. 5. quod Chriſtus ſit deus, cōtra Gētiles col. 1032.
a Theophyl. in Luc. 2.

ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantque Piſca- torum oſtiarij Reges. Neque hinc in morte confunduntur, ſed honeſtantur & ipſi, & eorum nepotes, & pronepotes. [Item verba S. Auguſtini ad Gentiles:] Videtis [inquit] ipſas ſeculi huius Poteſtates, quæ aliquando pro Simulachris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & contra eadem Simulachra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos legeſque vertiſſe, & Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen [id eſt, Romanos Imperatores] ad Sepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. [& addit robur Motiuo, dicens:] Hæc omnia Scripturæ Diuinæ ante longiſſima tempora, futura eſſe teſtatæ ſunt. [Quæ vtique Scripturæ, niſi quas ego in hoc & ſuperiori Motiuo citaui de deſtructione Idolorum, & cõuerſione Regum, aliæque multæ ſimiles? Noſtra igitur eſt Religio, per quam illæ Scripturæ complentur: ita vt verbis S. Auguſtini contra Ethnicos, triumphemus & nos contra Proteſtantes, atque dicamus: Hæc omnia tanto robuſtiore fide lætamur fieri, quanto maiore auctoritate prædicta eſſe in Sanctis Literis inuenimus. Ad quod Motiuum Chriſtianorum ſi reſpondere poſſint Proteſtantes, nempe rem gratam fecerint Gentilibus: eoque magis, quòd nullum deinde habentes modum dicere quo eædem Scripturæ impleantur, Dauidem, & Eſaiam, & cæteros, pſeudoprophetas facient.

Aug. Epiſt. 42. ad Madaurenſes.

VII. Alium articulum repeto ex Motiuo 13 de religioſo Vſu S. Crucis, vbi idem S. Chryſoſtomus contra eoſdem Gentiles demonſtrat Chriſtum eſſe Deum, quia Reges poſitis diadematis, Crucem ſuſcipiunt, licèt mortis maledictæ ſymbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in armis crux. [Et alibi:] Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum, Crux, diadematibus & coronis clarius factum eſt. Neque enim ſic Regiâ coronâ ornatur caput, vt Cruce: quæ omni cultu dignior: & quam omnes priùs abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inuenitur, apud Principes, apud ſubditos, &c: ſubinde omnes eâ ſe ſignant, inſcribendo in nobiliſſimum membrum noſtrum. In fronte enim noſtra, quaſi in columna, quotidie figuratur. &c. Mira eſt hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans quòd maledictæ mortis ſymbolum fuerit: ſed omnes ipſo magis ornantur, quàm diadematũ coronis. &c. Vellem audire à Pagano, vnde ſymbolum tam maledictæ mortis ac ſupplicij omnibus tam deſiderabile, ſi non magna Crucifixi virtus? [Prodeant igitur ex inſidijs ſuis ſuccenturiati hæretici, & hic rurſus Pagano ſuccurrant.

Chryſ. vbi ſupra.

Idem Hom. 54. in Ioan. 19.

VIII. Tertium articulũ peto inde, quòd ijdem Imperatores antiqui agnoue-

agnouerint Eccleſiaſticos in Eccleſiaſticis fuiſſe capita ſua, & hoc rurſus
maximũ contra Paganos pro Chriſto Motiuum duxerint Chriſtiani Ma-
iores noſtri. Sed hæc inferiùs tractabo. Nunc autem articulos aliquot nudos
ſine hac appendice motiua contra Paganos, videamus.

Hæc igitur omnia, cultum Sanctorum, Sacrificium Miſſæ, idque IX.
ipſum & in honore Sanctorum, & pro defunctis oblatum, præter alia
non modica, Conſtantino Magno in religione fuiſſe, ex vnica Euſebij, *Cõſtantinus Magnus.*
qui contemporaneus ei atque familiaris fuit, narratione conſtabit. ª Apo- *Euſ. de vita*
ſtolorum Templum in vrbe ſui cognomine [id eſt, Conſtantinopoli,] *Conſtantini*
ad perpetuam illorum memoriam conſeruandam, ædificare cœpit. [Et *lib. 4. cap. 58. 59.*
poſt deſcriptionem magnificentiſſimæ ſtructuræ:] Hæc [inquit] omnia *a Soc. lib. 1.*
dedicauit Imperator, vt Seruatoris noſtri Apoſtolorum memoriæ apud *c. 12. & lib.*
omnes Gentes æternitatem compararet. [Sed quid in eo opere aliud *2. cap. 30.*
ſpectabat?] Attamen [inquit] in ipſa coædificatione etiam aliud quiddam "
ſpectabat, quod primis temporibus obſcurum, ad extremum ab omni- "
bus manifeſtè deprehenſum eſt. [Quidnam illud erat?] In opportunum *Cap. 60.*
venturæ mortis diem hic locum ſibi prouida diſpenſatione deſignauit, "
incredibili fidei propenſione prouidens, cùm iam corpus ſuum commu- "
nem cum Apoſtolis appellationem poſt mortem participaret, fore, vt "
defunctus quoque precationum, quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum glo- "
riam offerendæ, particeps efficeretur. [Sed illam communionem appel-
lationis quomodo procurauit?] Capſas illic duodecim, quaſi ſacras quaſ- "
dam columnas, ad Apoſtolici collegij honorem memoriamq́ue attollens, "
medium inter ipſos conditorium ſuum locabat, quod vtrinque ſeni clau- "
debant Apoſtoli: ſano certè (vt dixi) conſilio præcogitans, quòd mortui "
corporis tabernaculum ibi dignè decenterq́ue quieſceret. Atque hæc ille "
longo antè tempore cogitatione cùm depinxiſſet, Eccleſiam Apoſtolis "
dedicauit, quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ ſuæ con- "
ciliaturam exiſtimans. Neque ſanè vota eius expectationemq́ue fefellit "
Deus. Id vt oſtendat, narrat conſequenter mortem eius Nicomediæ: &
quòd Milites cadauer aureâ capſulâ includunt: & vndique purpurea *Cap. 66.*
veſte contectum, Conſtantinopolin perducunt. Vbi cùm luminibus "
circum funus aurea ſuper candelabra accenſis, aliquandiu dum adeſſet
filius, corpus aſſeruaſſent: demum ad Apoſtolorum ædem cum omni
pompa deferunt. vbi populus frequens vnà cum Sacerdotibus, non ſine *Cap. 71.*
lachrymis, & ſanè magno cum gemitu, preces pro anima Imperatoris Deo "
fundebant: [Ac paulo pòſt:] & quem votis expetiuit locum, vnà cum "
Apoſtolorum memoria conſequutus eſt. Nam adhuc quidem licet con "

» templari, ter beatæ animæ tumulum Apoſtolici nominis appellatione
» decorari, & ad Dei populum aggregari, Diuiniſque ceremonijs & myſti-
» co Sacrificio ſanctarumque precationum ſocietate perfrui. [Eſt porrò
illud huius primi Chriſtiani Imperatoris elogium à ſapientibus viris gra-
uiter conſiderandum, quod refert Sozomenus, dixiſſe eum in Edicto quo-
Soz. lib. 1. cap. 8. dam ad ſubditos Orientales (non quò gloriaretur, affirmans, ſed quò Deo
„ gratias ageret) Deum, cum ipſum idoneum ſuæ voluntatis adminiſtrum
„ eſſe iudicaret, à mari Britannico ad regiones vſque in Oriente ſitas dedu-
» xiſſe, quò tum Chriſtiana augeretur Religio: tum qui Diuini cultus gra-
» tiâ vel fidem conſtanter in tormentis confeſſi fuiſſent, vel Martyria to-
leranter perpeſſi, [quales ante ſua tempora in decem Perſecutionibus in-
» numeri extiterant] illuſtrioribus honoris inſignibus ornarentur. [Hinc
Euſ. in vita Conſt. lib. 4. cap. 25. igitur fuit, quod de eo Euſebius ſcribit:] Omnino omnibus Romano Im-
perio ſubiectis Gentibus & Legionibus idololatriæ fores clauſæ erant,
» repreſſumque quoduis Idôlis ſacrificandi genus. Etiam ad ipſos Gen-
» tium Præfectos Imperatoris nutu & voluntate Edictum perlatum eſt,
» vt illi perinde Dominicum Diem venerarentur. Ijdem conſecratos Mar-
» tyribus dies honore proſequebantur, & feſtorum ſolemnitates in Ec-
» cleſijs celebrabant. quæ omnia ſecundùm Imperatoris voluntatem gere-
bantur. [Quod item in longa comparatione pietatis eius, & flagitij prio-
Lib. 3. c. 1. rum Eccleſiæ perſecutorum dicit inter cætera:] Illi Dei ſeruos fœdis
» addicere ſupplicijs: Hic, eos qui hæc patraſſent, perſequi: & Sanctorum
Hier. in Catalogo. Dei Martyrum memoriam colere etiam non deſtitit. [Vnde & S. Hie-
» ronymus in Vita S. Lucæ dicit:] Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam
» vrbem viceſimo Conſtantini anno oſſa eius, cum Reliquijs Andreæ
» Apoſtoli, tranſlata ſunt de Achaia. [Idemque contra Vigilantium hæ-
cõ. Vigil. Scrip. 2. reticum:] Dolet [Vigilantius] Martyrum Reliquias pretioſo operiri
„ velamine: & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in ſterqui-
» linium: vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo [inquit]
» ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrile-
» gus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ,
» Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim: apud quas Dæmo-
» nes rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam
X. Arcadius Imp. » confitentur? Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui
» oſſa B. Samuelis longa poſt tempora de Iudæa tranſtulit in Thraciam?
» Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui
» rem viliſſimam & cineres diſſolutos [ſic vocabat Hæreticus Sanctas Re-
» liquias] in ſerico & vaſe aureo portauerunt? Stulti omnium Eccle-

ſiarum

ſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquijs : & tanta lætitia, quaſi "
præſentem viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Pa- "
læſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in "
Chriſti laudes vna voce reſonarent? Videlicet [ironicè ait Hæretico] "
adorabant Samuëlem, & non Chriſtum, cuius Samuël & Leuita & "
Prophetes fuit. [Inſigne eſt huius generis exemplum, quod de Arcadij XI. *Theodoſius iunior.*
huius filio Theodoſio iuniore Theodoretus narrat. Pater eius Arca-
dius & præſertim mater Eudoxia non defuerant actoribus illis tragicis,
qui S. Ioannis Chryſoſtomi depoſitionem, exilium, & mortem fue-
rant machinati. Sed Alexander demum Antiochenus Patriarcha cœ- *Theod. lib. 5. cap. 35. 36.*
pit cataſtrophen inducere. Is enim primùm Magni Ioannis [inquit
Theodoretus] nomen in Tabulis Eccleſiæ inſcribendum curauit. Po- *Vide Supra Moti. 8. Ioannitas.*
ſtea verò ipſæ etiam Ioannis Doctoris præſtantiſſimi Reliquiæ fuere Con-
ſtantinopolim, vrbem primariam, traductæ. Itaque fidelis hominum "
cœtus, Pelagus, nauigiorum multitudine velut continentem efficiens, "
Boſphori oſtium ad Propontidem ſitum luminaribus cooperuere. "
[Et adijciens dicit:] Hunc Theſaurum is qui iam Imperium admi- "
niſtrat (qui vt aui, [Theodoſij ſenioris,] nomen fert, ita ſynceram "
eius pietatem ſeruat) in illam vrbem importandum curauit. Idemque, "
vultu & oculis in Sancti illius viri Loculo defixis, pro Parentibus "
[Arcadio & Eudoxia] preces fudit, orauitque vt iniuriarum per igno- "
rationem factarum veniam illis tribueret. Iampridem autem eius Pa- "
rentes mortem obierant, illo iam tum valde adoleſcente orbo relicto. "
[Quoniam autem narrans hoc Theodoretus dicit hunc Theodoſium XII. *Theodoſius ſenior.*
ſeruaſſe pietatem aui Theodoſij, opportunum puto, illius quoque ſe-
nioris Theodoſij ſimilia geſta ſubiungere. Scribit igitur Socrates (idem- *Soc. lib. 5. cap. 9. Soz. lib. 7. cap. 10.*
que Sozomenus) quòd Corpus Pauli Epiſcopi [Conſtantinopolitani]
(quem * Philippus Præfectus Imperatorius [ſub Conſtantio Arriano,]
propter Macedonium [Arrianum,] in exilium eiecit, Cucuſique, quæ eſt *a Soc lib. 2. cap. 21.*
vrbs Armeniæ, ſtrangulandum curauit)] Imperator hic Ancyrâ Conſtan- "
tinopolim tranſtulit: ibique cum magno honore & reuerentia excipiens, "
in Eccleſia, quæ eius nomine nuncupata eſt, repoſuit: quam Eccleſiam "
Macedonius eius perſecutor extruxerat, [inquit Sozomenus,] quæque "
adhuc de iſtius Pauli nomine nomen ſeruat. quæ res multos veritatis "
ignaros, velut & mulierculas, & è plebe complures, ſuſpicari facit, Pau- "
lum Apoſtolum hic eſſe conditum. [Qui & aliam Tranſlationem con- XIIII.
tinenter narrat:] Circa idem tempus & Meletij Reliquiæ Antiochiam "
tranſlatæ, & iuxta loculum Babylæ Martyris conditæ fuerunt. "

 Fertur

„ Fertur autem, eas regiâ continuè viâ ex Imperatoris mandato intra mœ-
„ nia in Ciuitates fuiſſe receptas, præter conſuetudinem Romanis vſita-
tam [non enim ſolent intromittere tanta populorum agmina, rem ferè
„ contrariam ſecuritati ciuitatum] & alternatis pſalmorum cantibus vno-
XIIII. quoque in loco honoratas, donec Antiochiam vſque tranſportarentur.
Sozo. lib. 7. cap. 21. [Et multis interpoſitis, aliam rurſus:] Circa hoc tempus Conſtantino-
„ polin tranſlatum fuit Ioannis Baptiſtæ caput, quod Herodias ab Herode
„ Tetrarcha petierat.[quod primum tranſlatum eſſe refert à Monachis qui-
buſdam Sectæ Macedonianæ Hieroſolymis in Ciliciam. inde ſub Valente
Arriano, in Pagum Coſilai prope Conſtantinopolim. non enim cogi po-
terant muli qui vehiculum trahebant, progredi vltra Pantichium, qui
„ eſt locus Chalcedonis. Tandem igitur, ſiue Deo [inquit] ſiue ipſo Pro-
„ pheta exuſcitante, venit in hunc Pagum Theodoſius Imperator. cum-
„ que Baptiſtæ Reliquias tollere vellet, ſola ei reſtitit Matrona, quæ erat
Virgo Sacra, & ſacris virginibus præfuit. quæ tamen multis Imperatoris
„ precibus tandem ceſſit, irritum fore Imperatoris conatum ex eo rata,
„ quod tempore Valentis acciderat. Imperator nihilominus purpurâ ſuâ
„ thecam in qua iacebat ſacrum caput, inuoluens, accipiebat, ac reuerſus
„ ante vrbem Conſtantinopolim condidit, in loco quem Hebdomon vo-
„ cant, ædificato ibidem in honorem Dei ampliſſimo pulcherrimoque tem-
plo. Matronam tamen inducere non potuit Imperator, vt relinqueret
ſectam Macedonianam. ſed Vincentius presbyter eius e veſtigiò ſecutus
eſt, & cum Catholicis communicauit. nam hanc ſtatuerat conditionem,
„ vt ſi Baptiſta ſequi vellet Imperatorem, & ipſe quoque cum eodem abſ-
XV. que omni hæſitatione conſcientiæ cõmunicaret. Deinceps verò narrat
Soz. lib. 7. cap. 24. idem, Imperatorem hunc ducturum contra Eugenium Tyrannum, bello
periculoſiſſimo, veniſſe priùs in Eccleſiam iſtam quam in honorem
„ Ioannis Baptiſtæ conſtruxerat, & auxiliarem ſibi inuocaſſe ipſum Bap-
Ruf. lib. 2. cap. 33. tiſtam. de quo etiam Ruffinus: Præparatur [inquit] ad bellum non tam
„ armorum telorumque, quàm ieiuniorum orationumque ſubſidijs. nec
„ tam excubiarum vigilijs, quàm obſecrationum pernoctatione munitus,
„ circumibat cum Sacerdotibus & Populo omnia Orationum loca: ante
„ Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia
Num. 26. ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat. [Sed de bello hoc plura infe-
XVI. riùs. Satis autem ex his patet, Theodoſium nepotem (vt dixit Theodo-
Theodoſius iunior. retus) in huiuſmodi religione ſeruaſſe pietatem Theodoſij aui. de quo
Euag. lib. 1. cap. 16. nepote narrat etiam Euagrius, quod maiora robuſtioraque Ignatij viri
Niceph. lib. 8. cap. 19. planè diuini [Epiſcopi Antiocheni] oſſa à beſtijs relicta (quæ, ſicut tum à
Ioanne

Ioanne Rhetore,tum ab alijs memoriæ proditum eſt, poſteaquam ſanctus " Martyr beſtiarum ventres,vti ei erat in optatis, ſepulchri loco in Amphi- " theatro Romano conſecutus fuerat, Antiochiam deportata fuerunt) re- " gnante hoc Theodoſio, quod fuit longo tempore poſt eius martyrium, " in cœmeterium tranſlata ſunt: quippe Deus Opt. Max. animum Theo- " doſij impulit, vt diuinum illum Martyrem maioribus afficeret honori- " bus, & Templum iam olim dæmonibus dedicatum (quod indigenæ " Templum Fortunæ nuncupant) Ignatio victori & martyri conſecraret. " Itaque quod olim Fortunæ dicatum fuit, iam ſacrum ſanctuarium & tem- " plum auguſtum ad Ignatij memoriam celebrandam factum eſt: cuius " martyris ſacræ Reliquiæ curru cum ſolenni pompa per ciuitatem por- " tatæ, & in templo repoſitæ fuerunt. Qua de cauſa Feſtum celebre, & " lætitia communis ad noſtram vſque ætatem peragitur: quod quidem " feſtum à Gregorio Pontifice [Antiocheno] multò maiore magnificentia " illuſtratum eſt. Iſta propterea in eo loco facta fuerunt, quòd Deus ſacras XVII. Sanctorum ſuorum memorias ibi coli honorarique voluit, propter id " quod ſceleſtus ille & impius tyrannus Iulianus ibi attentauerat, vt cul- " tum Apollinis Daphnæi reſtitueret, quem Reliquiæ Babylæ martyris eò " tranſlatæ à Gallo Cæſare & fratre ipſius Iuliani, mirabiliter compeſcue- rant, & demum ipſo Iuliano inſpectante deleuerant. quam hiſtoriam hoc loco ab Euagrio commemoratam, pleniſſimè ego in Motiuo 16 pertra- *Gallus & Iulianus.* ctaui, & hîc nihilominus eam ſignificare volui, quia illuſtriſſimum con- tinet exemplum religionis Imperatorum, quam hoc loco exquirimus. Nam Gallus hic [vt refert Sozomenus] Antiochiæ ætatem degens, quo- *Soz. lib. 5. cap. 18.* niam Chriſtianus erat & quia in primis eos qui pro religione Chriſtiana " martyrium obierant, colebat, conſtituit locum illum Daphnen purgare " tum ſuperſtitione Gentilium, tum intemperantium hominum contu- " meliâ. Atque cum perſuaſum haberet, ſe facilè hoc perfecturum, ſi modò " Eccleſiam ibi in Delubri loco extrueret: tranſtulit in Daphnen loculum " Babylæ martyris, qui Eccleſiam Antiochenam præclarè admodum re- " xiſſet, martyrioque occubuiſſet. [Et qui fuerit euentus, videatur in Mo- tiuo antedicto. Ac fuit quidem Gallus vir pius [vt ait Theodoretus] & *Theod. lib. 3. cap. 3.* ad extremum vitæ diem pietatem excolere non deſtitit. [Iulianus autem tandem apoſtatauit. Veruntamen ambo ſimul in prima ætate (erant au- tem filij Conſtantij fratris Conſtantini Magni) & moribus & factis [vt " ait Sozomenus] euidentem pietatis ſignificationem dederunt: quippe *Soz. lib. 5. cap. 2.* Sacerdotes & alios bonos viros religioniſque Chriſtianæ ſtudioſos plu- " rimi facere, templa frequentare, debito honore Sepulchra Martyrum "

„ colere viſi ſunt. Nam ferunt, eos illo tempore valde laboraſſe, vt Sepul-
„ chrum Maniæ martyris ampliſſimo Templo circundarent [qua de re
Theod. lib. 3. cap. 2. etiam Theodoretus ſcribit] opuſque inter ſe diſpertiuiſſe. ac dum alter
„ alterum ſumptu & magnificentiâ ſuperare contenderent, rem planè ad-
„ mirabilem accidiſſe, omninoque incredibilem, niſi quòd multi, qui ean-
„ dem ab ijs qui oculis illam aſpexiſſent, ſe audiuiſſe memorarent, ad no-
„ ſtram vſque ætatem in vita manſiſſent. Siquidem partem operis à Gallo
„ ſuſceptam pulchrè progreſſam eſſe, & ex animi proceſſiſſe ſententia: ſed
„ opus Iuliani partim corruiſſe &c. eo quòd Martyres non æqui bonique
„ conſuluerunt ædem ſibi ædificari vel ab Apoſtata futuro, vel etiam tum
„ ſimulato Chriſtiano. Geſtum autem hoc eſt iuxta Cæſaream, vbi & cultu
„ & educatione digna Principibus duo fratres dignati ſunt, & diſciplinis ac
„ exercitationibus illi ætati accommodatis inſtructi, denique ab artis di-
„ cendi magiſtris, & à ſanctarum Literarum doctoribus ita inſtituti, vt in
Soc. lib. 3. cap. 1. numerum Cleri aſcriberentur. [quod quidem factum narrat Socrates, poſtquam venerat Iulianus Imperatori Conſtãtio in grauiſſimam Ethnicíſmi ſuſpicionem. tunc enim,] quaſi inter ſpem & metum poſitus, quò
„ ſuſpicionem vitaret, qui iamdudum verè Chriſtianus erat, iam ſpecie
„ quadam eſſe præ ſe tulit: abraſâque cute, vitam Monaſticam ſimulauit:
„ atque adeò in Eccleſia Nicomedienſi Lector deſignatus eſt. Ex quibus omnibus clariſſimum eſt, quæ fuerit tunc Religio quam coluerunt Chriſtiani Imperatores, & quam Iulianus Apoſtata deſeruit, ſicut eandem nunc Proteſtantes quoque deſeruerunt.

Extant autem infinita huiuſmodi veſtigia & exempla religionis noſtræ in antiquis Imperatoribus: in illis (inquam) ipſis Imperatoribus, quorum conuerſionem & religionem Prophetæ expreſsè prædixerunt, &

XVIII. prædicendo imitandam omnibus commendarunt. Qualia in Theodoſio

Theodoſius iunior, Pulcheria, & reliquæ ſorores eius. Soc. lib. 7. cap. 22.

iuniore, & tribus ſororibus eius, ac nominatim in Pulcheria illa nobiliſſima atque ſanctiſſima, multo adhuc plura narrantur. vt quod refert Socrates, cum crebrò ieiunaſſe, & maximè feria quartâ, & ſextâ, [quos vulgus vocat dies Mercurij & Veneris.] Atque hoc ab eo factitatum
„ fuit [inquit] dum Chriſtianam viuendi rationem cumulatiſſimè explere
„ contenderet. [Additque porrò:] Eius Regia non diſſimilis fuit Mona-
„ ſterio. Nam primo diluculo ille ipſe cum ſororibus ſuis hymnos alternatim decantatos recitauit. &c. [Bibliothecam parauit inſtructiſſimam
„ ex Libris ſacris, & Interpretum.] Quinetiam adeò pius fuit, vt omnes
„ Dei Sacerdotes honorificè coleret: eoſque potiſſimùm, quos intellexe-
„ rat pietate in primis excellere. Fertur præterea ſacrum, quo Epiſcopus

Chebro-

Ebræorum, qui Conſtantinopoli mortem obijt, indutus erat, quæſiuiſſe, «
eumque quantumuis ſordidatum induiſſe: perſuaſus nimirum, ſe aliquid «
ex mortui ſanctimonia inde percepturum. [Erat autem Theodoſius hic «
recens ablactatus, cum mortuus eſt Pater Arcadius. ac idcirco procuratrix
eius & Imperij Pulcheria ſoror cõſtituta, primùm Deo virginitatem ſuam
(vt ſcribit Sozomenus) deuouit, deinde & duas ſorores ſuas (Arcadiam & Soz. lib. 9.
Marinam) ad idem vitæ inſtitutum educauit. Atque vt ea quæ conſtitue- cap. 1.
rat, conſignaret, ac Deum ipſum & Sacerdotes omneſque ſubditos teſtes «
faceret voluntatis ſuæ: ex auro gemmiſque pretioſis admirabile quoddam «
donarium, & ſpectaculum omnium pulcherrimum, pro virginitate ſua & «
Imperio fratris, Sacram Menſam Eccleſiæ Conſtãtinopolitanæ dedicauit: «
idque ipſum vt cunctis eſſet conſpicuum, in fronte eiuſdem menſæ literis «
expreſſit. &c. Fratrem ad pietatẽ inſtituebat, aſſuefaciens vt & cõtinenter «
oraret & eccleſias frequenter accederet, & donarijs ac cimelijs templa ho- «
noraret, & in pretio haberet Sacerdotes ac cæteros viros bonos, & eos qui «
ſapientiam Chriſtianorum legibus approbatam ſectarentur, [id eſt Mona- «
chos.] Quinetiam cùm per doctrinas adulterinas videretur turbanda eſſe «
religio, ſtudioſè ac prudenter obſtitit: nam quòd noſtrâ memoriâ nouæ «
hæreſes non inſurrexerint, ipſam potiſſimùm in cauſa fuiſſe cõperiemus. «
Et ſanè dicere longum foret, apud quos, & quot Templa magnificè illa «
conſtruxerit, quotque pauperũ diuerſoria, & conuentus Monaſticos inſti- «
tuerit, perennes his ipſis largita ſumptus. ita vt Deus ipſe eam & precan- «
tem promptè exaudiat, ac ſæpiùs de rebus agendis ſua apparitione certio- «
rem faciat. [In quo genere illud Diuini erga illam amoris illuſtre argu- cap. 2.
mentum refert, quòd cum ſanctæ Reliquiæ Quadraginta Militum, qui
apud Sebaſtiam Armeniæ tempore Licinij martyrium fecerant, ſecretò «
admodum conditæ eſſent in quadam domo cum horto extra mœnia Ciui-
tatis Conſtãtinopolitanæ: & domo poſtea collapſa, terraque ac ruderibus «
ingeſtis in Oratorium ſubterraneum, vniuerſus locus exæquatus eſſet, «
quia Templum inibi magnificum Deo Cæſarius vir potens in honorem «
Thyrſi martyris ædificarat: [tandem Pulcheriæ poſt multum temporis]
tertiò apparuit admirandus ille Thyrſus, & Martyres qui ſub terra abſcon- «
diti latebant indicauit, & ad ſe transferri iuſſit, vt & eiuſdem loci & eiuſdem «
quoque honoris ſecum participes eſſent: ſimul & ipſi quoque Quadra- «
ginta Martyres, militaribus veſtimentis candidis induti, ſemetipſos «
illi conſpicuos fecerunt. [Demum igitur multo labore, & diligenti
foſſione in loco à duobus quibuſdam olim vtcumque conſcijs deſignato,]
pyxides argenteæ duæ repertæ ſunt, in quibus ſanctæ Reliquiæ iacebant. «

» Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd ſe
» tanta reuelatione dignatus eſſet, tum quòd ſanctarum Reliquiarum in-
» uentionem aſſecuta eſſet. Poſt hæc pretioſiſſimâ thecâ Martyres hono-
» ratos, iuxta venerabilem Thyrſum compoſuit, publica feſtiuitate (vt
» æquum erat) cum debito honore ac pompa ac pſalmodijs celebrata. Cui
» & ipſe ego [inquit Sozomenus] interfui. quæ geſta ſunt Proclo Eccle-
» ſiam Conſtantinopolitanam gubernante, ita vt omnes fermè adhuc ſu-
» perſint, qui feſtiuitati mecum interfuerunt. [Ecce hæc eſt illa Pulcheria,
Lau. Humfredus. quam antiquus nunc hæreticus, obſoletus orator, Laurentius Humfre-
dus Reginæ Elizabethæ propoſuit imitandam, in Oratione quam anno
1575, Septemb. 11. habuit apud eandem in aula Wodſtochienſi prope
Oxoniam. Nam cùm dixiſſet, In Religionis cura & cultu omnis Regum
dignitas, omnis ſalus ſubditorum, omnes priuatæ & publicæ commodi-
tates vertuntur, auſus eſt homo impudens, Caluiniſta ad Caluiniſtriam,
† i. impius ad impiam. vel potius † ὁ ἀσεβὴς πρὸς τὴν ἀσεβῆ, inter exempla ſubinferre, ac dice-
» re: Hoc ſenſit Pulcheria & virgo [ſcilicet ad Virginem verba faciebat ze-
» lator virginitatis] & ſub Theodoſio fratre paruulo imperatrix, de cuius
» pia gubernatione Eccleſiaſtica Hiſtoria ſic prodidit: Mihi ſanè videtur
Soz. lib. 9. cap. 1. [ſunt verba Sozomeni, quem hactenus citaui]. Deus oſtendere, ſolam
» pietatem imperatoribus ad ſalutem ſufficere: ſine hac, robur imperij, co-
» pias, opes, reliquum apparatum nihil valere. [Quod quàm idoneum illis
perſonis, illi loco, illi denique religioni fuerit exemplum, ex his quæ dixi,
poteſt intelligi. Socrati autem & Sozomeno etiam Theodoretus conci-
Theod. lib. 5. cap. 36 nit, dicens quòd Theodoſius hic Deum laudibus & hymnis celebrare non
» ceſſat, huius conſuetudines ſocias habens ſorores ſuas, toto vitæ tempore
» virginitatem excolentes.

XIX. Qui & in certiſſimum eiuſdem ſyncer æ ac ſpectatæ fidei argumen-
» tum pergit narrare: Vir quidam [inquit] vitam excolens monaſticam,
» animo paulò audaciore præditus, ad Imperatorem rei cuiuſdam petendæ
» gratiâ accedit. Quod cum ſepiùs fruſtrà feciſſet, Imperatori Eccleſiaſtica
Excommunicatio. interdicit communione: vinculoque Eccleſiæ ei iniecto decedit. Impe-
» rator autem fide cumprimis excellens, ad Palatium, cùm tempus inſta-
» ret conuiuij, & omnes conuiuæ adeſſent, [venit, &]. dixit ſe non priùs
» capturum cibum, quàm Eccleſiæ vinculo ſolueretur. Proinde vnum ex
» familiariſſimis ad Epiſcopum mittit, oratum, vt poteſtatem faciat ei qui
» ipſum ligauerat, vinculo ſoluendi. Cùm autem Epiſcopus reſpondiſſet,
» non debere cuiuſque vinculum admittere, ſignificaſſetque eum ſolutum
» eſſe: non tamen ſolutione illa contentus eſt, donec ille qui eum ligauerat,

magno

magno cum labore conquiſitus, communioni illum reſtituiſſet. Eiuſ- "
modi namque erat Imperatoris erga leges diuinas fides. quâ etiam indu- "
ctus, Simulachrorum delubra, quæ etiamnum reliqua erant, adeò fundi- "
tus deturbari euertique mandauit, vt ne veſtigium quidem veteris Gen- "
tilium erroris (iſtam namque ſententiam in Edicto inſeruit) poſteris re- "
ſtaret ad intuendum. In hac autem pietate ſua erga Eccleſiam Dei & XX.
Monachos eius imitatus eſt auum Theodoſium, qui non ſolùm excom- *Theodoſius*
municatus à S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, humillimè paruit, (de *ſenior.*
quo plura mox dicam) verum etiam admonitus à Macedonio Monacho *Theod. lib.*
Literarum ſacrarum prorſus ignaro, ſed ſanctiſſimo, remiſit protinùs gra- *5. cap. 19.*
uiſſimas pœnas, quas omnibus Antiochenis iratus comminatus fuerat, propter ſeditionem quorundam ibi ex nouo quodam & peregrino Tributi genere ob frequentiam bellorum impoſito natam, in qua ſeditione multitudo furens cùm alia patrauit maleficia, tum quoſdam ex magiſtratibus interfecit, tum ſtatuam æneam Placillæ vxoris ſuæ deturbauit, & per magnam vrbis partem ignominioſè traxit. Tantum valuit apud Imperatorem catholiciſſimum atque pijſſimum vnius Monachi ſancta, ſalutaris, & pacifica admonitio. Hunc Theodoſium imitatus eſt Theodoſius Pulcheriæ, auum nepos. Iſtius autem Oratoris Regina quæ malè ab hæreticis feriata ſacras virgines & Monachos toto regno excluſit, eorumque bona diripuit, & non alicuius vulgaris monachi, nec Mediolanenſis epiſcopi, ſed & Monachi (etiam odio conſentiente) ſanctiſſimi, & ipſius Summi Pontificis, omnium Chriſtianorum Patris ac Domini, venerandæ memoriæ Pij quinti Excommunicationem, non temerè neque leuiter latam, ſed iniurijs nefandis, ſacrilegijs horrendis, exceſſibus innumeris in Eccleſiam Dei & ſacroſancta omnia audacter impieque commiſſis extortam, non ad prandium vſque, ſed iam totos ſex annos pro nihilo ducit: hæc (inquam) talis non Pulcheriam, non Theodoſios, non cæteros
qui poſt regnum terrenum iam cum Chriſto in cælis regnant, ſed illum XXI.
Deo & hominibus exoſum Iulianum apoſtatam ad eandem certiſſimam *Iulianus*
animæ ſuæ perniciem & damnationem etiam ipſi Lucifero dæmonum *apoſtata.*
maximo importabilem imitatur. illum (inquam) Iulianum, cuius poſtea- *Cõſtantinus Magnus.*
quam apoſtatauit religionem licet colligere partim ex illa multorum narratione de Reliquijs S. Babylæ, quam in Motiuo 16 pleniſſimè perſecu- *Soz. lib. 5.*
tus ſum: partim ex ijs quæ de eo narrat Sozomenus, dicens: Clericis *cap. 5.*
omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria ipſis à Con- *a quas habet idem.*
ſtantino donata, ademit: a legeſque eorum cauſa conditas abrogauit: & *Soz lib. 1.*
eos denuò curijs addixit. Porro à Virginibus & Viduis, quæ in clerum *cap. 9.*

» erant propter egeſtatem aſcriptæ, ea exigi mandauit, quæ antè ab ærario
» publico acceperant. Nam cum Conſtantinus res Eccleſiæ rite diſpoſuiſ-
» ſet, ex vectigalibus cuiuſque ciuitatis, ea quæ erant ſatis ad res comparan-
» das neceſſaria, Clero cuiuſque Eccleſiæ erogauit, illudq́ue lege ſtabiliuit.
» &c. pecuniam, monimenta, vaſa ſacra ex eccleſijs Dei abſtulit. &c. etiam
» Sacerdotes, & clerici, & alij multi Chriſtiani, dum de pecunijs quæ ſacræ
» erant, & eccleſiarum propriæ, inquiſitio fieret, grauiter torquebantur, &
» in carceres etiam conijciebantur. Quare ex his omnibus coniectura capi
» poteſt, eum, quanquam in cædibus faciendis, & ſupplicijs ad corpus cru-
» ciandum excogitandis, paulò moderatior fuit his qui antè Eccleſiam fue-
» rant perſecuti, in alijs tamen rebus longè fuiſſe crudeliorem. [Quod qui-
Theod. Hiſt. lib. 1. c. 11. dem de congiario ſcribit quoque Theodoretus in Conſtantino Magno:]
» literas ad Prouinciarum Præfectos dedit, mandauitq́ue, vt certus frumenti
» numerus Viduis, & his quæ perpetuam ſeruant Virginitatem, quinetiam
» illis qui Diuinis Miniſterijs obeundis conſecrati ſunt, in ſingulis ciuitati-
» bus quotannis ſuppeditaretur: eumq́ue non tam egentium neceſſitate,
» quàm ſuâ ipſius magnificentiâ menſus eſt. Huius congiarij tertia pars ad-
» huc ſuppeditatur: quippe impius Tyrannus Iulianus totum penitus ab-
a Theod. li. 3. cap. 6. ſtulerat ille quidem, [quod rurſus in a Iuliano repetit:] ſed qui ei ſucceſſit
» in Imperio, hoc quod iam ſuppeditatur, donari mandauit. [Et ſubijcit:]
XXII. Quòd ſi congiarium Conſtantini, triplo maius fuit, quàm quod iam datur:
Iouianus imp. » facilè inde quiſque, ſi modò voluerit, illius Imperatoris magnificentiam
» poterit perſpicere. [Erat autem Iuliani ſucceſſor Iouianus Imperator pijſ-
Theod. lib. 4. cap. 4. ſimus, de quo Theodoretus iterum ſuo loco:] Conſcripſit legem [inquit]
» quæ iubebat frumenti congiarium, quod Conſtantinus Magnus Eccleſijs
» donauerat, eiſdem reddi. Nam Iulianus, qui contra Deum ac Seruatorem
» noſtrum bellum ſuſcepit, illud vetuerat dari. At quoniam fames ex Iuliani
» impietate in Remp. illata, obſtabat: idcirco Iouianus tertiam partem ſolùm
» id temporis præberi mandat: polliceturq́ue, fame ſedata, integrum congia-
rium donatum iri. [Quæ eadem Sozomenus quoque de Iouiano ſcribit,
aliud etiam memorabile adijciens. Dignum ſanè exemplum, & ſalutare
Sozo. lib. 6. cap. 3. Chriſtianis Principibus ad imitādum.] Cùm [inquit] experientiâ didiciſ-
ſet, Imperium propter iram Diuinam in Iulianum, qui ante ipſum regna-
» uerat, accenſam, acerbè afflictatū fuiſſe: abiectâ omni cunctatione, ſcripſit
» ad Præſides Prouinciarum, vt in eccleſias frequentes conuenirent, & Di-
» uinum Numen ſtudioſè colerent, docerentq́ue ſuos ſolam Religionem
» Chriſtianā verum Dei cultum in ſe complecti. Porrò Eccleſijs & Clericis,
» Viduis & Virginibus immunitatem reddidit: & ſi quid aliud vel ad com-
modum,

modum, vel ad honorem Religionis noſtræ à Conſtantino ac liberis ſuis, "
aut donatum, aut lege ſancitum fuiſſet, poſtea autem à Iuliano illis abla- "
tum. [Ac tum illud aliud quod ſignificaui, ſubijcit:] Miſit item ad Secun-
dum Præſidem Generalem Edictum, quod iubebat, vt qui Sacratam Vir- "
ginem vel ad nuptias contrahendas pellicere conaretur, vel laſciuo ſolùm "
obtutu aſpiceret, maximè omnium ſi per vim rapere tentaret, capitis ſup- "
plicio multaretur. [Et vnde hæc tanta ſeueritas?] Iſtam legem ideo tu-
lit, quòd quidam improbi viri, regnante Iuliano, tales Virgines vel vi, "
vel perſuaſione ad hanc corruptelam inductas, ſibi connubio iunxiſſent: "
quemadmodum fieri ſolet [inquit] cùm Religionis ſtatu perturbato, "
turpis libido id genus ſceleris conſciſcendi impunitatem proponit. "
[Quod & hoc perturbatiſſimo tempore videmus non aliquos vulgares
feciſſe, ſed ipſum adeo Lutherum, Bucerum, Petrum Martyrem, &
alios plurimos quos vt capita ſua ſectantur Proteſtantes. Et audebunt
adhuc vendicare ſibi Iouianum cæteroſque antiquos Imperatores Chri-
ſtianos atque Catholicos, quos commendauit Iſaias Propheta; & qui
iſtam turpitudinem extremo ſupplicio mulctauerunt: ac non potiùs a-
gnoſcent, Iuliani apoſtatæ qui eiuſdem turpitudinis patronus & incen-
tor fuit, ſe coapoſtatas eſſe atque ſequaces? Eiuſdem legis Iouiani me-
minit quoque Nicephorus. extatque hodie in Corpore Iuris Ciuilis in- *Niceph. lib. 10. cap. 39.*
ſerta per Iuſtinianum Imperatorem, in hæc ipſa verba: Si quis non dicam *In L. Si-*
rapere, ſed attentare tantùm iungendi causâ matrimonij ſacratiſſimas Vir- *quis 6. De*
gines auſus fuerit, capitali pœna feriatur. [Longiſſimè igitur abſunt, plane- *Epiſc. & Cler. &c.*
que ex diametro repugnant Principibus his Proteſtantes cum principibus
ſuis. Quod quidem ſi pro copia quæ ſuppetit, pertractare iſto modo ſi-
gillatim velim, multi inde exirent libri. Alia nihilominus adhuc capitula
pauca attingenda ſunt.

Sunt igitur duo præclariſſima exempla Imperatricum, quæ ex voto XXIII.
etiam præſtantiſſimorum Imperatorum, Peregrinationem ſanctam Hie- *Theodoſius iunior, &*
roſolymitanam confecerunt. Erant hæ, Mater Conſtantini Helena, & *Eudocia*
Eudocia vxor Theodoſij iunioris. Itaque de Theodoſio & Eudocia hæc *vxor.*
ſcribit Socrates: Quinetiam Eudociam coniugem Hieroſolymam miſit: *Soc. lib. 7. cap. 46.*
quippe pollicitus erat, illam hoc votum perſoluturam, ſi filiam in ma- "
trimonio collocatam cerneret. [quam eandem, Eudoxiam nomine, nup-
tam Valentiniano Imperatori Occidentis, Socrates paulo antè retu- *Cap. 43.*
lit.] Eudocia igitur [inquit] & Eccleſias Hieroſolymorum, & om- "
nes alias in vrbibus verſus Orientem ſitas, tum eò proficiſcendo, "
tum domum redeundo, varijs ornamentis honorificè illuſtrauit. "

[Eiuſdem ſanctæ Peregrinationis meminit Euagrius etiam, dicens inſuper, quòd Eudocia hæc Conſtantinopoli Hieroſolymam bis profecta ſit, & quòd in ſancta illa Chriſti ciuitate multas res ad Dei Seruatoris honorem illuſtrandum geſſerit. Nam ſancta [inquit] ædificauit Monaſteria, &c. Templum extruxit præterea ad memoriam S. Stephani, primi & Diaconi & Martyris, ſplendore ac pulchritudine eximium, [in quo & ipſa ſepulta eſt poſtea. De Peregrinatione autem S. Helenæ in alijs Motiuis multa dixi: ac idcirco huic loco ſatis ſit, quod Euſebius de ea in Vita Conſtantini ſcribit, illam, cum Deo omnium gubernatori debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet; & pro filio ſuo, tanto & tam præclaro Imperatore, proque liberis eius Cæſaribus, Deo chariſſimis, ſuis nepotibus, gratias per preces agendas eſſe putaret: ætate iam ingraueſcente, ſingulari quodam conſilio, & prouida animi cogitatione, vereque regia, adductam, properè inſtar adoleſcentulæ veniſſe in ſacroſanctam Terram. Ac poſteaquam locis, in quibus Seruatoris erant impreſſa veſtigia, debitam venerationem adhibuerat, idque conuenienter Prophetico ſermoni dicenti, Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius, pietatis ſuæ monumenta, quibus poſt ſe relictis, poſteris hominibus prodeſſet, ſtatim fabricare aggreditur: [duo ſcilicet Templa auguſtiſſima,
XXIIII. vnum in Monte Oliuarum, vnde Chriſtus aſcendit, alterum in Bethlehem, vbi natus eſt. Quo tempore etiam (vt ſcribunt Theodoretus, Socrates, & Sozomenus) aliud facinus, quod poſterorum memoriæ meritò commendari debet, obiuit. Nam mulieres quæ toto vitæ tempore Virginitatem excolebant [vt eas Theodoretus vocat: Socrates autem eodem modo nominat Virgines quæ eccleſiaſticæ viuendi regulæ ſe conſecrauerant: Sozomenus verò, Sacras Virgines] primùm omnes in vnum congregari, & ſedibus præparatis accumbere iuſſit: deinde illa ipſa ancillæ munus exequi, apponere cibaria, pocula illis porrigere, fundere vinum, & gutturnium cum malluuio afferre, aquam denique earum manibus, dum lauant, miniſtrare non dedignata eſt. [Quod exemplum ſanctiſſimum ita Proteſtantes docuerunt Reginas imitari, vt ſacras virgines in regnis ſuis nec eſſe permittant, ſed ipſa earum Monaſteria Chriſtianiſſima, ſicut & aliarum omnium religioſarum perſonarum, inuaſis fundis, direptis bonis, ipſaque ſacroſancta virginitate libidini cuiuſlibet proſtituta, euerterint atque diruerint. Non ſic Helena factitauit Regina ſanctiſſima, non ſic filius eius Conſtantinus celeberrimus Imperator. cuius ea extat apud Euſebium & Sozomenum veteris legis Ethnicæ iniurioſæ virginibus alijſque cælibatum eligentibus correctio, quæ facilè declarat, cum tam

Euag. lib. 1. cap. 20. 21. 22.

S. Helena mater Conſtantini Magni.

Euſ. in vita Conſt. lib. 3. cap. 41.

Pſal. 131.

Theod. lib. 1. cap. 18. Soc. lib. 1. cap. 13. Soz. lib. 2. cap. 1.

Conſtantinus Magnus.

Euſ. de vita Conſt. lib. 4 cap. 26.

eum tam diſſimilem fuiſſe Proteſtantibus, quàm ſimiles hi ſunt Ethnicorum. Eſt autem res omnium cognitione digniſſima: Vetus erat apud Romanos lex, [inquit Sozomenus,] quæ vetuit cælibes, ſi annum ætatis vigeſimum quintum præterijſſent, paribus cum his qui nuptias contraxiſſent, priuilegijs frui: iuſſitque præter alia multa, etiam vt nihil commodi, etiamſi genere propinqui eſſent, ex teſtamento ſuorum caperent. Quinetiam eos qui nullos habebant liberos, dimidiata parte bonorum, quæ erant reliquæ, mulctauit. Hæc lex à veteribus Romanis [inquit] ſancita fuit eo conſilio, vt non vrbem Romam ſolùm, verum etiam cæteram ſuam ditionem hominum multitudine complerent: quandoquidem haud longo tempore ante legem latam, quàm plurimos bellis inteſtinis ac ciuilibus amiſerat. [Quid igitur hic fecit Conſtātinus?] Cum videret eos [præter alios] qui & virginitatem excolere, & ſine liberis eſſe, propter Dei amorem in animum induxiſſent, hac de cauſa in deteriore eſſe conditione: &c: legem promulgauit, quæ iuberet, vt tum cælibes, tum liberis carentes, pari iure cum cæteris omnibus fruerentur. Imò verò etiam decreuit, vt qui caſtimoniæ & virginitati ſe conſecraſſent, priuilegio quodam præ cæteris donarentur: deditque tum maſculis tum fœminis poteſtatem, etiamſi adhuc impuberes eſſent, Teſtamenta, contra conſuetudinem communiter in Rep. Romana obſeruatam, faciendi. [Quod idem narrans Euſebius, dicit pro Conſtantino,] multos ſine liberis vixiſſe, non quòd ſobolis propagationem ſucceſſionemque abhorrerent, ſed quòd acerrimum philoſophiæ [ſic vocarunt Græci Patres Vitam Monaſticam] amorem muliebri connubio anteponerent. Præterea caſtitatem & inuiolatam virginitatem multas mulieres Sacris dicatas conſtanter retinuiſſe, cum omni puritate & ſanctitate perfuſa vita ſe totas corporibus & animis Deo conſecrarent [indeque infert:] Quid ergo? ſuppliciône hoc dignum exiſtimari debet, an potiùs admiratione quadam, & approbatione? *Soz. lib. 1. cap. 9.*

XXV. Aliud exemplum & Religionis noſtræ in illis primis Chriſtianis Imperatoribus, & econtrariò apoſtaſiæ Proteſtantium in Iuliano apoſtata, cernet longè clariſſimum, qui animaduertet, quàm illi Viuificam Crucem, & Signa eiuſdem ſacroſancta venerabiliter habuerunt, & quàm Ethnicè è diuerſo Iulianus in ea quoque parte defecit. Et alibi quidem retuli, ipſam Crucem ſalutarem diuinitus reuelatam S. Helenæ, & Signa eius Conſtantino ſæpè oſtenſa de cælo. Nunc igitur de eius fabricatione & veneratione iſtorum Chriſti Signorum, pauca de plurimis ex hiſtorijs ſubnotabo. Primùm ergo Euſebius in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & in Vita *Moti. 12.* *Conſtantinus Magnus.* *Euſeb Hiſt. lib. 9. c. 9.*

narrat,

Eu. in vita lib. 1. cap. 31. narrat, quòd deuicto Maxentio prophano Tyranno, mox ingreſſus Romam in triumpho, maximiſque acclamationibus acceptus, dans glo-
,, riam Deo mandauit, effigiem ſuam, ſalutare Signum Crucis dextrâ te-
,, nentem, in celeberrimo loco totius vrbis poni, hac inſcriptione in baſi
,, Latinis literis inſculpta:

Hoc ſalutari Signo, vero fortitudinis indicio, noſtram ciuitatem
Tyranni iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans,
priſtinæ amplitudini & ſplendori reſtitui.

Euſ. Hiſt. lib. 10. c. 4. Vnde poſtea inducit idem quendam in Panegyrica oratione Tyri laudes Chriſti buccinantem, & dicentem, quòd omnes iam hoſtes & inimicos
,, ſuos ita penitus deleuit, vt ne nominari quidem aliquando videantur: &
,, amicos ſuos præter omnium opinionem ad tantam gloriam euexit, vt
,, iam (quod quidem non aliàs) Summi Imperatores, honorem, quem ſunt
,, ab eo conſecuti, planè ſentientes, in deteſtabiles mortuorum Idolorum
,, vultus ac effigies expuant, profanos dæmonum cultus proterant, &c,
,, Chriſtum Dei filium ſummum vniuerſorum Regem fateantur, eum
,, Seruatorem inſcriptionibus in columnis inciſis pronuncient, & præclara
,, eius facinora, victoriaſque contra impios partas literis maiuſculis ad per-
,, petuam memoriam in tabulis media in Vrbe, quæ totius Orbis terrarum
,, Regina eſt collocatis, ſcitè deſcribendas curarint. [Nec Romæ ſolùm,

Euſ. in vita Conſt. lib. 3. cap. 48. verùm Conſtantinopoli quoque videas etiam adhuc [inquit idem Euſebius in Vita eius] apud Fontes in medio foro poſitos Paſtoris præclari

an David contra Goliath? vel contra vrſum & Leonem? ſymbola, illis qui ſacris literis eruditi ſunt, ſatis cognita. Danielem quoque cum Leonibus in ære inciſum, aurique laminis ſplendeſcentem. Tantus item & tam diuinus amor Imperatoris animum complexus eſt, vt in ipſo Palatij introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio
,, tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, Salutaris Paſſionis
,, inſigne, ex lapillis pretioſis cuiuſque modi, auroque multo, politè elabo-
,, ratis confectum, figendum curauerit. Iſtud Imperatori ſanctiſſimo Re-
,, gni firmum videbatur eſſe propugnaculum. [Et ſuperiùs in eodem

Cap. 2. 3. Libro narrat, quòd ſe] in luce & omnium oculis collocauit, atque in-
,, terdum vultum ſalutari illâ Paſſionis ſignauit notâ. Quinetiam in tabula
,, depicta, quam in ſublimi ante Palatij veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium
,, oculis contemplandum propoſuit: ſalutareque Paſſionis inſigne, ſupra

Triumphus Eccleſiæ. caput ipſius locatum, in pictura exprimendum: inimicam autem illam
,, & hoſtilem belluam [id eſt, Diabolum] quæ Eccleſiam Dei impiorum
,, tyrannide [eatenus] oppugnaſſet, in altum demerſam, Draconis ſpe-
,, cie & figura (ſecundum Scripturas) deſcribendam curauit. Iſtius autem

rerum conuerſionis tam admirabilis, tamque Eccleſiæ ſalutaris, initium *Lib. 1. cap.*
deſcribit Euſebius ſumptum inde, quòd inſtante bello Maxentiano, Con- *22. 23. 24.*
ſtantino Imperatori admodum anxio, & precanti Deum Patris ſui (is *25.*
enim Chriſtianus fuit: necdum Conſtantinus ipſe Chriſtum niſi tam te-
nuiter nouerat) Viſio quædam diuina, & imprimis admirabilis apparuit.
quam ab ipſomet Conſtantino ſe multò pòſt audiuiſſe teſtatur, cùm noti-
tia erat & familiari colloquio ab eo dignatus. [Viſio porrò hæc erat:] Cùm "
iam ſol ad medium cælum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus pau- "
lulùm inclinante, dixit ſe Crucis Signum ex lucis ſplendore figuratum, "
in ipſo cælo, Soli imminens, manifeſtò oculis aſpexiſſe, inque eo inſcrip- "
tionem conſignatam, quæ hæc verba complectebatur, In hoc vinces. & "
totus exercitus, huius prodigij cum eo ſpectator factus erat. [dixit porrò, "
nocte ſequente] dormienti ſibi Chriſtũ Dei cum Signo in cælo monſtrato "
viſum eſſe, præcepiſſeque, vt exemplari ad imitationem illius Signi quod "
in cælo apparuerat, fabricato, eo tanquam præſidio in prælijs cum hoſtibus "
committendis vteretur. [Quam effigiem poſtero mox die ab artificibus
auro & lapidibus pretioſis factam, contigit [inquit Euſebius] vt nos ocu- "
lis, Deo largiente & ipſo Imperatore oſtendente, olim contemplaremur. "
[ibique ſubijcit deſcriptionem iſtius Vexilli ſeu Labari inſtar Crucis fa-
bricati, & quòd] Iſto ſalutari Signo Imperator, tanquam hoſtilis cuiuſ- "
que & infeſtæ violentiæ propugnaculo, ſemper vſus eſt. Cuius & ex- "
preſſæ ſimilitudines, mandauit vt vniuerſum exercitum perpetuò ante- "
cederent. [Eademque repetit Socrates in Hiſtoria, ſicut & alij plerique. *Soc. lib. 1.*
qui apertum etiam perhibet teſtimonium his Euſebij ſcriptis (ne fortè *cap. 1.*
impudens quiſpiam Hæreticus, non aliud habens quod ad hæc tam mani-
feſta reſpondeat, audeat negare.) Dicit igitur Socrates, eadem quæ ipſe *Soc. lib. 1.*
narrat, de huius Imperatoris laudibus, amplo & graui dicendi genere, *cap. 12. &*
ab Euſebio cognomẽto Pamphilo pertractata eſſe: & nominat alibi ipſos " *4.*
libros Euſebij de vita Conſtantini. Refert igitur idem Euſebius dein- *Euſ. de vi-*
ceps multas adhuc alias Conſtantini (à cuius ore & hæc audiſſe ſe [a] me- *ta Conſt.*
morat) de Licinio etiam Tyrãno reportatas virtute eiuſdem Vexilli victo- *lib. 2. cap.*
rias. ita vt experientiâ doctus Imperator, ſicubi partem aliquam ſui exer- " *3. ad 19.*
citus languentem cernebat, ibi ſalutare illud Vexillum locari mandaret. " *a cap. 8.*
eiuſque adiumentis extemplò parta ſit victoria, dimicantium ſcilicet viri- "
bus diuina quadam potentia cõfirmatis. [qui & hoc Euſebio coràm narra-
uit, quòd cùm propterea quinquaginta ſatellitum ſtrenuiſſimos delegiſſet, *Idem Soz.*
qui ordine geſtantes humeris vexillum, cũ illo celeriter adeſſent vbique, *lib. 1. cap.*
vnus fortè meticuloſus alteri illud tradidit, nec prius fuit ex acie egreſſus, *4.*

„ quàm mox telo coniecto in ventre confoſſus ſit: illéque contrà qui ſa-
„ lutare trophæum, ſublime & erectum portabat, omnino eius ſubſidio
Mulier mi-racula. euaſit incolumis: adeò vt ſæpè cùm tela frequentia ab hoſtibus in eum
„ iacerentur, qui ipſum ferebat, ſaluus extiterit, & vexilli haſtile tela miſſa
exceperit. [ita tantum etiam, vt poſtea ipſe quoque Licinius hæc intelli-
„ gens,] milites circum ſe hortatus ſit, ne huic vexillo exaduersò irent,
„ cauerentque ne fortuitu aut per imprudentiam in illud oculos conijce-
rent. [Ex quibus videre poſſunt principes viri huius ætatis, quòd Impe-
ratoris illius Chriſtianiſſimi religio & noſtra fuerit, & eadem ſupra omnes
Euſ. de vita Conſt. lib. 4 cap. 5. vires humanas victorioſa. Nam & Scythas ipſos, [inquit adhuc Euſe-
„ bius] quibus ſuperiores Imperatores vectigales fuerant, Conſtantinus
„ Seruatoris ſui ope confiſus, triumphale illud Signum contra iſtos etiam
oſtendens, breui ſpacio omnes ſuperauit. [Eratque adeò deditus huic
Lib. 2. cap. 12. 14. Signo, vt etiam Tabernaculum Crucis fixum extra caſtra haberet pro
„ Oratorio, vbi inediâ etiam & corporis afflictatione ſeipſum coercuit, vti
„ Deum benignum adiutorem haberet. Et ſcribit Socrates, quòd vbi à
matre Helena accepit de Hieroſolymis particulam Dominicæ Crucis
Soc. lib. 1. cap. 13. Conſtantinopoli, exiſtimauerit Ciuitatem in qua illa ſeruaretur, ſaluam
„ & incolumen fore. [Quinetiam memoriæ prodidit Euſebius precatio-
nem eius, in qua Chriſto Deo gratanter dicit:] Tuo enim impulſu res
Euſ. de vita Conſt. lib. 2 cap. 54. ſalutares & aggreſſus ſum, & confeci: tuoque vexillo vbique hoſtibus
„ oppoſito, exercitum ab illis triumphantem duxi. Quinetiam ſiquando
„ Reip. vſus poſtulat, illa ipſa tuæ virtutis ac potentiæ inſignia ſequens,
contra hoſtes audacter procedo. [Vnde & alibi idem in laudem Conſtan-
Orat. de laud. Conſt. pag. 336. „ tini hæc dicit:] Imperator autem triumphale Signum honorat, diuinita-
tem quæ in eo eſt, reipſa expertus. Nam iſto, hoſtium multitudines in
„ fugam verſæ: iſto, Dei aduerſariorum inanis oſtentatio compreſſa: iſto,
„ barbara hominum genera ſubiugata: iſto, poteſtates dæmonum inaſpe-
„ ctabilium abactæ: iſto, ſuperſtitioſæ aſtutiæ & erroris ludibria refutata.
„ Iſti denique cumulatam omnium bonorum quibus fruimur, expletionem
„ acceptam referens Imperator, columellas triumphales, quibus illius de-
„ cus illuſtretur, vbique terrarum collocauit. &c. Qui & Salutare Crucis
„ Signum omnibus prædicat, &c. [quæ ille dicit, conferens noua cum ve-
teribus, & oſtendens ad honorem Chriſti in quanto meliorem ſtatum
res ſub Conſtantino Chriſtiano commutatæ ſunt ab eo quod ſub priori-
„ bus Ethnicis Imperatoribus fuere. Illi [inquit] in Idolis confiſi, miſeri
„ miſerè perierunt. Hic noſter loricâ pietatis ſeptus, munituſque vitali
„ Signo crucis, victoriam reportauit. Deinde grata animi voluntate in-
ductus,

ductus, columellis erectis, omnibus hominibus hoc Signum triumphale prædicauit: inque media vrbe [Roma] quæ omnium princeps eſt, hoc inſigne trophæum contra omnes hoſtes erexit: edixitque palàm, vt omnes hoc ſalutare Signum, cùm Romani, tum totius orbis terrarum Imperij munimentum agnoſcerent. Quod quidem cùm omnes homines ſcire, tum milites imprimis docuit. Vnde [vt idem alibi refert] etiam in ipſis armis, ſalutaris trophæi Signum inſculpi, armatoque exercitui præferri iubet: & vt ſolum hoc ſalutare trophæum, non vllam (vt antè [ſub Ethnicis] conſueuerant) inauratam ſtatuam ſequerentur. [Qua de re vtile eſt audire Sozomenum plura, & quæ etiam à Iuliano poſtea circa hoc geſta ſunt, referentem. Conſtantinus [inquit] mandatum viris arte peritis dat, vt Signum, quod à Romanis Labarum vocatur, in effigiem Crucis, auro & lapidibus pretioſis colluſtratam, mutarent. Hoc ſignum bellicum in multo maiore honore, quàm alia, propterea fuit, quòd ſemper Imperatorem antecedere, & à militibus adorari conſueuit. quod quidem cùm ſignum eſſet Imperij Romani omnium præſtantiſſimum, arbitror à Conſtantino ob hanc cauſam imprimis in Signum crucis mutatum, vti aſſiduo eius aſpectu & cultu ſubiectos ſuos pedetentim à patrijs [id eſt, Gentilibus] ritibus deſuefaceret: eumque ſolum Deum exiſtimarent, quem coleret Imperator, atque illo duce & adiutore in bello contra hoſtes gerendo vterentur. [Hoc igitur Conſtantinus Imp. Chriſtianus fecit. Sed quid apoſtata Iulianus?] Cum omnia quæ ad Religionem Chriſtianam delendam facerent, ſedulò moliretur; & omnia quæ ad religionem Gentilium reſtituendam facere viderentur, machinaretur; & maximè omnium copias militares ad illam profitendam aſſuefacere conaretur: illud quod in ſignis militaribus Romanorum principem locum obtinebat, quodque Conſtantinus Diuino mandato, vti ſuprà commemoratum eſt [inquit Sozomenus] in inſigne Crucis commutauerat, ad veterem effigiem & figuram traducere decreuit. Nam dedit operam, vt in publicis imaginibus iuxta ipſum Iupiter depingeretur, Mars item & Mercurius: ad eum finem, vt ſimulatione honoris Imperatori decreti, ſubiectos res vnà depictas latenter venerari cogeret, &c. [Ex quibus rurſus perſpicuè vident Proteſtantes, & in hac Crucis parte Iulianum apoſtatam & reſtauratorem Idolorum, ſuum eſſe: Conſtantinum autem Chriſtianiſſimum, noſtrum eſſe. ſicut noſtri fuerunt cæteri quoque omnes Imperatores Chriſtiani atque Catholici: in quibus Theodoſius & Valentinianus tantam huic ſalutari Signo venerationem detulerunt, vt legem ſanxerint, quæ hodieque extat in Codice Iuſtiniani in hæc verba:

In vita lib. 4. cap. 21.

Soz. lib. 1. cap. 4.

Iulianus apoſtata. Soz. lib. 5. cap. 16.

Theodoſius ſenior, & Valentinianus imp.

In L. vlt. C. Nemini licere &c. Cùm ſit nobis cura diligens, per omnia ſuperni Numinis religionem tueri: Signum Saluatoris Chriſti nemini liceat, vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis [ne ſcilicet pedibus calcaretur] inſculpere vel pingere: ſed quodcunque reperitur, tolli, grauiſſima pœna mulctando eo, qui contrarium ſtatutis noſtris tentauerit, ſpecialiter imperamus. [Propter quam honoris cauſam Leo etiam Imperator decreuit, vt] Neque monachi, neque quicunque alij cuiuſcunque ſtatus atque fortunæ, in ædes publicas vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem Crucem, & ſanctorum Martyrum Reliquias illicitè inferre conentur. [Ipſe quoque Iuſtinianus in hunc modum:] Sed & ipſas honorandas Cruces, cum quibus in Litanijs ingrediuntur, non alibi niſi in venerabilibus locis reponi. [Hæc igitur erat veterum Imperatorum, de quibus Iſaias locutus eſt, hæc vera, hæc victorioſa, hæc triumphalis religio.

Leo Imp. In L. Decernimus C. de epiſcopis & cler. &c. Iuſtinianus Imp. In authen. de ſanctiſ. epiſ. §. omnibus autem Laicis.

XXVI. *Theodoſius ſenior.* Id quod alio nobiliſſimo exemplo patet in Theodoſio ſeniore, quòd (inquam) noſtræ Catholicæ religionis virtute admirabilem illam de Eugenio & Arbogaſte tyrannis ethnicis victoriam reportauit. Primùm enim Monachus erat, qui ei futura prædixit. de quo S. Auguſtinus ita ſcribit: Ioannem Monachum de belli ciuilis euentu maior Theodoſius conſuluit Imperator: habebat quippe etiam prophetiam. [de quo Monacho aliud ibi mirabile narrat. Sozómenus etiam & Theodoretus narrant fuſiùs:] Theodoſius interim ſollicitus [ait Sozom.] conſtituit vti conſilio Ioannis Monachi, Thebaïde morantis, quem inibi ob futurorum ſcientiam celeberrimum fuiſſe [b] ſuperiùs dictum eſt. Itaque Eutropium, ex Eunuchis aulicis vnum, qui ipſi fidus erat, in AEgyptum miſit, vt, ſi fieri poſſet, ipſum adduceret: vel ſi ſequi grauaretur, ſaltem quid facto opus eſſet, ex ipſo cognoſceret. Ille igitur cùm ad Ioannem perueniſſet, vt ad Imperatorem veniret non impetrauit: ſed reuerſus nunciauit illi, quòd & in illo bello victor futurus eſſet, & ſublato Tyranno in Italia moriturus. Quæ vtraque fuiſſe vera, euentus docuit. [Deinde profecturus Conſtantinopoli in Italiam ad hoc bellum gerendum, priùs (vt ſuprà ex Ruffino & Sozomeno recitaui) in Templo à ſe conſtructo S. Ioanni Baptiſtæ,] auxiliarem ſibi inuocauit eundem Baptiſtam, [& alibi quoque] ante Apoſtolorum & Martyrum thecas proſtratus, auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat. [Tertiò, poſt primum prælium ſuadentibus ducibus dilationem belli vſque ad initium veris,] Imperator fideliſſimus [inquit Theodoretus] eorum conſilium repudiauit. Nam non committendum eſt, inquit, vt Salutaris Crux tantæ arguatur

Aug. de cura pro Mort. cap. 17. Soz. lib. 7. cap. 22. Theod. li. 5. cap. 24. b lib. 6. ca. 28. 29. num. 15.

arguatur imbecillitatis, Herculiſque ſtatuæ tantum virtutis noſtro teſti- ‹‹ monio tribuatur. Quippe vt Crux noſtrum exercitum, ita illa hoſtium ‹‹ antecedit: [Quartò, poſt hoc pernoctat in oratione Dei, in Eccleſia quadam iuxta caſtra. vbi per quietem vidère ſibi viſus eſt, duos viros [inquit ‹‹ idem Theodoretus] candido veſtitu amictos, equis albis vehi: qui ipſum ‹‹ bono animo eſſe, timorem abijcere, prima luce arma capere, & exercitum ‹‹ in aciem educere iubent. Nam ſe auxiliares, & velut anteſignanos ad eum ‹‹ miſſos eſſe: & alterum eſſe Ioannem Euangeliſtam, Philippum Apoſto- ‹‹ lum alterum. Eadem quoque viſio militi ſecundum quietem apparuit. ‹‹ [quo mox audito, Imperator:] Non meâ (inquit) causâ hæc militi oblata ‹‹ eſt viſio (ipſe namque illis qui victoriam promiſerant, fidem adhibui) ſed ‹‹ ne quiſpiam exiſtimaret, me, vtpote prælij faciendi cupidum, eam confin- ‹‹ xiſſe. nam mihi primum communis omnium Dominus illam oſtende- ‹‹ rat. Quare omni metu prorſus amoto, anteſignanos noſtros & principes ‹‹ belli gerendi ſequamur: atque nemo bellantium multitudine metiatur ‹‹ victoriam, ſed eorum potentiam, qui ſe duces nobis præbent, quiſque ‹‹ conſideret. [Ac paulò pòſt:] Cùm autem tela [inquit Theodoretus] vtrin- ‹‹ que conijci cœpta ſunt, tum Anteſignani Imperatoris verè promiſſa præ- ‹‹ ſtitêre. Nam ventus violentus è regione hoſtibus irruens, illorum ſagit- ‹‹ tas, iacula, ſpiculaque in ipſos retorquet. &c. Quinetiam tanta pulue- ‹‹ ris copia in eorum facies impetu ferebatur, vti palpebras occludere eos ‹‹ coëgerit. Imperatoris autem exercitus, nullo damno ex illo turbine ac- ‹‹ cepto, fidentibus animis hoſtes trucidant. [Eſt autem digniſſimum omnium Chriſtianorum graui conſideratione, quòd cum hanc ipſam hiſtoriam etiam Paulus Diaconus & alij plerique narrent, tum S. Auguſtinus *Diac.* (quemadmodum & Paulus Oroſius) non ſolùm narrat, verumetiam accu- *Oroſ.* ratè tractat eam contra Paganos pro Chriſto in illo inſigni Opere de Ci- *Soc. lib. 5. cap. 24.* uitate Dei, multùm contra Gentiles (ſicut ego contra Hæreticos) immo- *Soz. lib. 7.* rans his victorijs Chriſtianorum Imperatorum, indeque Chriſti cauſam *cap. 24.* exquiſitè defendens. Poſtquā igitur primùm de hoc Theodoſio narrauit, *Auguſt. de* & contra Ethnicos vrſit, quòd contra Maximum tyrannum in anguſtijs *Ciu. lib. 5.* curarum ſuarum non eſt lapſus ad curioſitates ſacrilegas atque illicitas: *cap. 23. 24. 25. 26.* ſed ad Ioannem in AEgypti Eremo conſtitutū; quem Dei Seruum pro- ‹‹ phetandi ſpiritu præditum fama crebreſcente didicerat, miſit; & vicit, idque (vt refert Theodoretus) ſine ſanguine. (ſic enim tum Ioannes Mo- *Theod. ibidem.* nachus prædixerat:) poſt hoc, inquam, Auguſtinus tractat id, quòd & tyrannū Eugeniū, accepto rurſus Prophetico reſponſo, fide certus oppreſſit: contra cuius robuſtiſſimū exercitū magis orando, quàm feriendo pugnauit.

„ Milites nobis [ait] qui aderant, retulerunt, extorta ſibi eſſe de manibus „ quæcunque iaculabantur, cùm à Theodoſij partibus in aduerſarios ve- „ hemens ventus iret, & non ſolùm quæcunque in eos iaciebantur conci- „ tatiſſimè raperet, verumetiam ipſorum tela in eorum corpora retorque- ret. Vnde & Poëta Claudianus, quamuis à Chriſti nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

Claud. in Paneg. de 3. Honorij conſulatu.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

[Eſt autem quod ſequitur in Auguſtino, & Chriſtianum, & lepidum, „ licet graue Paganis vulnus:] Victor autem, ſicut crediderat, & prædixe- „ rat, [ex viſione ſuprà narrata] Iouis ſimulachra, quæ aduerſus eum fue- „ rant, neſcio quibus ritibus, velut conſecrata, & in Alpibus [vbi bellum „ gerebatur] conſtituta, depoſuit. eorumque fulmina, quòd aurea fuiſſent, „ iocantibus (quod illa lætitia permittebat) curſoribus, & ſe ab eis fulmi- „ nari velle dicentibus, hilariter benigneque donauit. [& cætera quæ ſe- quuntur, aptiſſima huic loco, niſi quòd prolixitatem caueo. ſicut & illud antegrediens de Rhadagaiſo Rege Gothorum Pagano, qui ſub Honorio „ Theodoſij filio catholico,] vno die tanta celeritate ſic victus eſt, vt ne „ vno quidem non dicam extincto, ſed nec vulnerato Romanorum, multo „ amplius quam centum millium proſtrato exercitu, ipſe cum filijs mox „ captus pœna debita necaretur. [& vide quid ſequitur:] Nam ſi ille tam „ impius, cum tantis & tam impijs copijs Romam fuiſſet ingreſſus, cui „ pepercíſſet? quibus honorem locis Martyrum detuliſſet? in qua perſona „ Deum timeret? cuius non ſanguinem effuſum, cuius pudicitiam vellet „ intactam? Quas autem iſti pro dijs ſuis voces haberent, quãta inſultatione „ iactarent, quòd per illos ille viciſſet? &c.

Honorius Imp. Cap. 23.

Innumeræ autem poſſunt ad hunc locum opportunè referri victoriæ ſimiles, & veteres & recentes, per noſtram catholicam religionem à catholicis Chriſtianis partim contra Hæreticos, partim contra Paganos obtentæ. vt quod de S. Felice Martyre Nolano narrat Auguſtinus, & dicit: Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verumetiam ipſis hominum aſpectibus Confeſſorem apparuiſſe Felicem ciuibus vel inquilinis piè à ſe dilectis, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis. [Et quod Oſorius Epiſcopus narrat [a] de S. Iacobo Apoſtolo non ita pridem viſo in Congenſi regno AEthiopiæ, cùm inter Chriſtianos ibi nouos & Ethnicos bellum dubium gereretur. quæque narrat idem [b] paſſim de mirandis Luſitanorum in Africa & in Oriente victorijs. Et quæ refert Surius de [c] Heluetijs Catho-

Aug. de cura pro Mortuis cap. 16.
a Oſor. hiſt. de rebus Eman. lib. 3 fol. 88. & l. 8. f. 273.
b fol. 101. ad 104. 111. 118. 168. 291. 382.
c Sur. an.

Catholicis dimicantibus cum Zuinglianis, ſimiliaque plurima in eodem 1531. 52.
Commentario. & apud Tilmannum Bredenbachium in [i] Hiſtoria Belli 46.47.62. 64.65.66.
Liuonici. 67.68.69.

Sed ne longiùs ab antiquis Imperatoribus recedam, quintò & vlti- 71. 72.
mò animaduerto in eadem Theodoſij victoria quod ſcribit [d] Sozome- i Bred. fol. 33.42 49.
nus, quòd eo tempore quo pugna hæc committeretur, ex eo Templo d Soz. li 7. cap. 24.
Dei quod erat in Hebdomo [nuncupatum Baptiſtæ] in quo preces fu- "
derat Imperator [proficiſcens ad bellum,] egreſſus dæmon quidam, ſu- "
breptus in ſublime, Ioanni Baptiſtæ ſit conuiciatus, & capitis obtrunca- "
tionem exprobrarit, magnaque voce clamarit: Túne me vincis, & exer- "
citui meo inſidiaris? Huic rei qui fortè præſentes aderant, cùm magnum "
eſſet apud omnes ſtudium de bello vel audire aliquid, vel dicere noui, "
obſtupefacti adnotarunt, eundem hunc fuiſſe diem, quo hunc euentum "
belli extitiſſe, non multò poſt ab ijs cognouerunt, qui pugnæ interfuerãt. "
[Hæc igitur vna bellica hiſtoria Theodoſij (quanquam & alias multas attigerim, pleniſſima eſt oſtenſio, quòd Imperatores ij non fuerint Proteſtantes, ſed religionis noſtræ: & quòd eadem religio noſtra meritiſſimò tum à magnatibus, tum à cæteris omnibus, tanquam Chriſtiana, tanquam ſalutaris, tanquam diuina, ſit amplectenda.

XXVII. Si velim porrò alios adhuc particulares articulos hoc modo perſequi, nullus ſit finis. Hæc igitur deinceps pauca pro omnibus generaliora ſufficiant. Primùm, quòd vt ego iam tam multa ſpecificaui in quibus Imperatoribus illis laudabiliter ab Eſaia denotatis conuenit nobiſcum, ita nullus hæreticus econtrariò poſſit vnum quippiam huiuſmodi, in quo à nobis diſcordauerint, ſpecificare: quia ſicut hæc quæ demonſtraui, ita & reliqua omnia quæ de eis ſcribenda ab aliquo tulit occaſio, noſtra ſunt. vt, quòd eundem, quem nos, ſenſum habuerint de [a] Eccleſia, & [b] Catholica, & [c] Romana, de [d] Traditionibus, de [e] Concilijs, de [f] patribus, de [g] libero arbitrio, de [h] merito operum, de [i] efficacia Sacramentorum, de [k] Sacrificio Miſſæ, de [l] punitione Hæreticorum, & ſi quid aliud literis eſt mandatum. Secundò videantur infrà in Motiuis 21, 22 & 24 ea quæ de Templis per illos conſtructis, & Diuinis officijs ac Miniſtris liberalitate eorum ibidem inſtitutis, ſum dicturus. Nam ex ijs rurſus cognoſcentur particularia eorum noſtra fuiſſe. Tertiò inſpiciantur leges eorum, quæ hactenus in Codice Iuſtiniani Imperatoris, & in Authenticis extant: Certe periti Iuris illius ſapientiſſimi (Ciuile ſeu Romanum vocant)

a Conſtantinus Orat. ad Sanctorum cœtum cap. 1.
b Euſ. Hiſt. lib 10 cap. 5. 7. & de vita Cō. li. 3. cap. 16. 17. 18.
c Conc. Nicen. editum à Piſano, fol. 82. Theod. hiſt. lib. 5 ca. 2.

d Euſ. de vita Cō. lib. 3. cap. 58. 59. 60. e Euſ. de vita Cō. lib. 3. cap. 18 lib. 4. cap. 27. Soc. lib 1. cap 6 f Soc. lib. 5. cap. 10 g Conſt. in Orat cap 6. h Ibidem cap. 12. i Euſ. in vita lib. 4. cap. 61. k Conſt. in Orat. cap 12. l Aug Epiſt. 146.

vocant) facile mihi teſtes erunt, omnia quæ illic de Religione extant, (quæ quidem valde multa ſunt) noſtra eſſe. id quod etiam vel ex ipſis
a Cod li. 1. Tit. 3 feud. li. 1. Tit 6. Authē. cōſt. 5. 133. b Cod. lib. 9 Tit. 13. c Cod. lib. 1. Tit 2. 12. 19. Authent. cōſt. 7. 46. 5c. 120. 131. d Authent. conſt. 83.
plerique Titulis cito innoteſcet: vt [a] De Monachis, Abbate, Abbatiſſa, & Aſceterijs ſeu Monaſterijs, ac Priuilegijs eorum. [item,] [b] De raptu Virginum, ac Viduarum, nec non Sanctimonialium. [item,] [c] De ſacroſanctis eccleſijs, ac priuilegijs earum, rebuſque earum non alienandis; deque his qui ad eas confugiunt, ne extrahantur. [item,] [d] Vt Clerici apud proprios Epiſcopos primùm conueniantur, & poſt hoc apud ciuiles iudices, vt hi ſcilicet illorum duntaxat ſententias exequantur. Quæ omnia, & alia multa ſimilia licet videre collecta à Ioanne Baptiſta Ficklero Societatis Ieſu (vt puto) in Libro quem vocauit Theologiam Iuridicam, ſeu, Ius ciuile Theologicum, qui liber hoc anno prodijt Dilingæ, continetque plurima huic loco aptiſſima, licet multa quoque impertinentia. Et quod dixi de Iure ciuili Romanorum, idem mihi conſcij ſunt periti Iuris noſtri municipalis Anglicani prudentiſſimi, quòd & illud per omnia teſtimonium perhibet religioni noſtræ, dum veterem Regum noſtrorum Chriſtianorum religionem, quæ fuerit, legentibus inſinuat. quod ipſum vel ille etiam Liber fecerit quem ipſi noſtri Hæretici nuper Saxonicâ noſtrâ & Latinâ linguâ ediderunt, & vocarunt Archæonomian, ſeu de priſcis Anglorum Legibus, continentem leges antiquorum ſeptem vel octo Regum noſtrorum. quibus etiam ex Hiſtorijs Bedæ noſtri
a Bed. Hiſt. lib. 5. cap. 22.
& aliorum addi nonnullæ poſſunt, vt [a] illa Naitani Regis Pictorum non Tonſuram Clericorum introducentis (quippe quæ ſemper poſt Gentem baptizatam inerat) ſed corrigentis ad eam quæ vocabatur Tonſura S. Petri Apoſtoli.

XXVIII. Quanquam igitur hæc omnia ſatis ſuperque ſint, ad Religionem Imperatorum & generatim & ſpeciatim cognoſcendam, placet tamen latiùs adhuc vnum illud ſpeciale tractare, quod ſuprà nonnihil attigi, & de quo Eſaias Propheta clariùs expreſſiuſque prædixit, quando ſcilicet
Iſa. 49. & 60.
ex ore Dei promiſit, Eccleſiæ, quòd Imperatores iſti venirent ad eam curui, & vultu in terram demiſſo adorarent eam, & puluerem pedum eius lingerent, ſeu adorarent veſtigia pedum eius, & miniſtrarent & ſeruirent ei. ita vt Gens & Regnum quod non ſeruiret ei, periret. quod
Pſalm. 44.
Dauid etiam prophetauit, dicens: Et filia Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes Diuites plebis. Contemplentur iam mihi prudentes, in qua Eccleſia impleantur iſta. Pro qua igitur Eccleſia portarunt gladium omnes iuſti ac pij principes? cui Eccleſiæ iurauerunt fidelitatem? à qua Eccleſia acceperunt ſinguli Titulos nobiliſſimos Religionis,

gionis, vt ille ſcilicet vocetur Rex Chriſtianiſſimus, hic Rex Catholicus, alius Defenſor fidei catholicæ? Et cui Eccleſiæ, tanquam matri regenerationis eorum pientiſſimi ac gratiſſimi filij, donarunt iſtas immunitates, exemptiones, honores, priuilegia, prærogatiuas? adeò vt Romani ipſi Imperatores, antè crudeliſſimi tyranni, & trecentis annis atrociſſimi perſecutores ſeu (vt Eſaiæ verbo vtar) humiliatores Eccleſiæ, cùm primùm conuerſi fuiſſent, & eo ipſo tempore quo totius Orbis iſtius Domini fuerunt, protinus Imperiali ſua ciuitate, totaque Italia ceſſerint, & in aliam mundi plagam magnificentiam terreni Imperij ſui transtulerint, locum dantes (quantum regendæ Reip. permiſit neceſſitas) Vicario Chriſti, cuius miniſterio in ſocietatem & hæreditatem Regni cælorum vocati fuerant. ſolius indubiè Chriſti Seruatoris noſtri opus (qui eſt Rex Regũ, & Dominus Dominantiũ, ac Deus omnipotens) tam mirabiliter tãque potenter adferentis ad Eccleſiã ſuam ipſam fortitudinẽ Gentium, vt Iſaias vocauit, ac donantis *Iſa. 60.*
Eſth[illegible] domũ Aman, tamq́ue contra ſpem & ſuprà fidem ſub pedibus Ro- *Eſth. 8.*
manorũ fidelium Satanam (qui prius innumera millia ipſorũ trucidauerat, *Rom. 16.*
ita vt cum Dauide & Paulo poſſent dicere, Quia propter te mortificamur *Pſalm. 43.*
tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis) penitus conterentis. Noſtra *Rom. 8.*
igitur Eccleſia eſt, vt vident omnes, quæ (ſecundũ Scripturas) omne genus hominũ lege & diſciplina rexit: quæ fideles Principes non minus ſubditos, nec minus obedientes filios habet, quàm plebeios; ſic planè, vt Deus prædixit, promiſit, ac ordinauit fore. quæ propterea Eccleſia nunquam Imperatorem, Regem, Principẽ, ſeu potentem quemlibet exemit à debita erga Eccleſiam Dei & veros Paſtores obedientia. Contẽplentur igitur ex alia parte omnes, quid apud Proteſtantes fiat, quomodo ibi cuncta hæc prorſus contrario more gerantur, vbi principes non modò non docentur obedientiam erga Eccleſiam, humilitatem, miniſteriũ, ſeruitutem, idq́ue ſub pœna perdendi & ſui & Regni: ſed turpiter ſeducuntur, miſerè falluntur, & ſupra omnem adulandi modum mulcentur ipſo titulo Capitis & Supremi Gu- "
bernatoris Eccleſiæ, etiã in cauſis Eccleſiaſticis. quorũ rebelles voces tãto "
antè præuidit regius Propheta, cum ex eorũ perſona dixit: Dirumpamus *Pſalm. 2.*
vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum ipſorũ. parum ſcilicet cõſide- "
rantes minas quæ ibi ſequuntur, quales ſunt & illæ quas ex Iſaia recitaui.
Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. & infrà: Et "
nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino "
in timore & tremore: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur "
Dominus, & pereatis de via iuſta. Sufficiunt igitur hac in re tam manifeſtæ Scripturæ: ſed in plenitudinem demonſtrationis, apponam & exẽpla:

vt concordante ſimul prædictione & impletione, nemo de Imperatoribus, nemo de Eccleſia dubitet.

XXIX. *Cõſtantinus Magnus. Euſ. de vita Conſt. lib. 4 cap. 24.* Hinc igitur fuit, quòd Conſtantinus ille verè Magnus, non Imperator ſolùm, ſed Imperatorum etiam piorum typus & forma, amabili & humaniſſima alluſione appellauit ſe externarum rerum quaſi Epiſcopum quendam. Nam cùm epiſcopos nonnullos conuiuio excepiſſet, nobis [inquit Euſebius] audientibus, [ait:] Vos intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo epiſcopus conſtitutus ſum. [Cuius generis & illud eſt, *a Ruf. Hiſt. lib. 1. cap. 1* quòd cum [a] ex Sacerdotum ſententia (vt ait Ruffinus) apud vrbem Nicæam Epiſcopale Concilium propter Arium conuocaſſet, *b Euſeb. in vita Conſt. lib. 3. cap. 10.* [b] primùm in medio conuentu (ſunt verba Euſebij qui intererat) erectus conſtitit: ac cùm parua quædam ſella ex auro fabricata illi eſſet loco poſita, non priùs *c Theo hiſt. lib. 1 cap. 7* conſedit, quàm Epiſcopi ad id innuiſſent. [c] Iſtud enim [inquit Theodoretus] ſibi permitti ab Epiſcopis poſtulauerat. *d Ruf. lib. 1. cap. 2. Theod. lib. 1. cap. 11.* [d] Sed & in eo concilio [inquit Ruffinus, idemque cæteri conteſtantur] admirabile factum Principis non puto reticendum. [Interpellatus frequenter à iurgantibus
„ Epiſcopis, certo die ſuſcepit à ſingulis libellos querimoniarum: quos
„ ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quid contineretur aperiens,
„ ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis
„ dedit de nobis quoque iudicandi. & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos
„ autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter
„ vos expectate iudicium, & veſtra iurgia quæcunque ſunt, ad illud Diuinum
„ reſeruentur examen. &c. Et ideo his omiſſis, illa quæ ad fidem Dei
„ pertinent, abſque vlla animorum contentione diſtinguite. Cùmque
„ hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne inno-
„ teſceret vlli hominum ſimultatio Sacerdotum. iureiurando adiecto [in-
„ quit Theodoretus] ſe ne verbum quidem in illis ſcriptum perlegiſſe.
„ Quinetiam eum hoc adieciſſe memorant: Si ſuis oculis epiſcopum alienæ
„ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo palu-
„ damento ſe obtecturum, ne cernentes ſcandalizaret aſpectus. [ecce verus *Gen. 9.* Sem, & verus Iapheth: cùm è contrario Hæretici & ipſi imitentur & doceant ſeductos ſuos imitari Cham maledictum, atque irridere & detegere turpitudinem Patris, imò etiam dubia, imò & ſincerè ac ſimpliciter bona & honeſta ſiniſtrè & corruptè iudicare atque traducere. Porrò condemnata demum in Concilio Ariana doctrina, Arius ſicut priùs ab Epiſcopo ſuo excommunicatus fuerat, ita iam & ab Imperatore exilio per- *Soz. lib. 2. cap. 25.* petuo mulctatus eſt. ſed contigit poſtea, vt ſoror eius Conſtantia inducta ſit per deceptionem presbyteri cuiuſdam Arriani bene ſentire non

dico de-

dico de Arianiſmo, ſed de Ario: eaque moriens commendauerit Conſtantino fratri eundem presbyterum. à quo & ipſe ſimiliter deceptus, vel ſaltem dans aliquid petitioni vltimæ ſororis,] Arium & Euzoïum reuocauerit ab exilio. [vbi audita eorum fidei confeſſione verbis ſubdolis " concepta,] illos eadem cum Epiſcopis in Concilio Nicæno coactis ſentire " arbitratus, re quidem admodum delectabatur, vtpote Eccleſiaſticæ pacis fideique amantiſſimus. attamen ſibi non tantum ſumpſit authoritatis " [inquit Sozomenus] vt eos antè in communionem reciperet, quàm " cauſa ab illis, penes quos erat poteſtas, ſicut Eccleſiæ norma poſtulat, & " dijudicaretur, & diligenter examinaretur. Itaque illos mittit ad Epiſcopos " Hieroſolymis id temporis conuocatos. [qui cum clancularij fautores " Arianiſmi eſſent, receperunt illos in communionem, & abutentes Imperatore maculam quandam eius alioqui illibatæ gloriæ induxerunt: tanti res momenti eſt, non dico Hæreſi, ſed vel Hæretico, nec ſtudioſè, ſed vel errore & deceptum fraude quorundam quemlibet quomodolibet patrocinari.

Feliciùs ſucceſſit pijſſimo Imperatori eadem religioſa erga Epiſcopos obſeruantia, & cuſtodia menſuræ ſuæ, in cauſa celeberrima Cæciliani catholici epiſcopi & Donatiſtarum. & hoc ideo, quia cum catholicis tum agebat epiſcopis, & non, vt priùs in cauſa Arij, cum Hæreticis. De hoc igitur ſic ſcribit S. Auguſtinus Donatiſtis: Maiores veſtri cauſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi [nedum de cauſa fidei] iudicare, " eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit. Quod & factum " eſt in vrbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum " multis collegis ſuis. [quos Donatiſtæ accuſare apud Imperatorem auſi ſunt, quòd malè iudicarint. Vnde, vt alio in loco, ſicut & in eodem, dicit Auguſtinus] dedit ille aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet " Epiſcoporum: non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque " enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces " querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe " iudicaret: ſed alios, vt dixi, Epiſcopos dedit. à quibus tamen illi ad ipſum " rurſum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum deteſtetur audiſtis. tamen eis ceſſit, vt de illa cauſa poſt Epiſcopos iudicaret, à ſanctis Antiſtitibus poſtea veniã petiturus, dum tamen " illi quod vlterius dicerent non haberent, ſi eius ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi prouocauerunt.

Aug. Epiſt. 166.

Epiſt. 162.

XXX. Hinc eandem menſuram ſuam & reliqui pòſt Chriſtiani Imperatores firmiſſimè cuſtodierunt. Vnde Valentinianus ſenior rogatus aliquando ab Epiſcopis, vt ſibi de doctrina fidei ritè conſtituenda in vnum conueniendi poteſtas permitteretur, reſpondit:] Sibi, qui vnus è Laicorum numero erat, non licere, ſe eiuſmodi negocijs interponere: Et ideo Sacerdotes & Epiſcopi, inquit, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, vbicunque ipſis lubitum fuerit, in vnum conueniant. [Atque hoc Sozomenus de eo ſcribit: ſed de fratre eius Valente Imperatore Ariano, multum diſſimilia, tum eo in loco, tum alio ſequenti, vbi rurſus de vtroque: Valentis [inquit] ira in cunctum totius Orbis terræ clerum, eccleſijs ſolùm Occidentis exceptis, ſæuijt. Nam Romanis verſus occaſum Solis habitantibus præfuit Valentinianus, qui & doctrinæ Concilij Nicæni approbator fuit, & piè admodum in Deum affectus: adeò vt neque Sacerdotibus quicquam imperare, neque nouare aliquid in inſtitutis Eccleſiæ, quod ſibi deterius videretur vel melius, omnino aggrederetur. Nam quamuis eſſet optimus ſanè Imperator, & ad res gerendas valde accommodatus, tamen hæc ſuum iudicium longè ſuperare exiſtimauit. [De quo aliud inſigne huius generis exemplum conſcriptum eſt à Theodoreto in electione Epiſcopi Mediolanenſis poſt mortem Auxentij Arriani. Dixit enim ibi Imperator iſte, accerſitis ad ſe epiſcopis, inter cætera: Quare hominem ita inſtructum, in ſede & gradu Epiſcopali iam collocate, vti & nos, à quibus hoc gubernatur Imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehenſionem (nam cùm ſimus homines, errore labi neceſſe eſt) velut medicinam animorum cupidè amplexemur. [Epiſcopis autem illis ipſius ſapientiæ & pietati offerentibus eam electionem: Maior eſt [inquit] hæc prouincia, quàm quæ viribus noſtris ſuſtineri poſſit. [Poſtremò igitur electus eſt ſanctus Ambroſius. Quo paucis pòſt diebus valde liberè apud Imperatorem verba faciente, reſque nonnullas tanquam minùs rectè à magiſtratibus adminiſtratas coarguente, reſpondit Imperator: Noui iampridem tuam in loquendo libertatem. nec tamen tuæ ordinationi reſtiti, verumetiam ſuffragatus ſum. Quare, ſicut Diuina præſcribit lex, noſtrorum animorum erratis medicinam facito.

Valentinianus ſenior. Soz. lib. 6. cap. 7.

Valens Arrianus.

Soz. lib. 6. cap. 21.

Theod. hiſt. lib. 4. cap. 5. 6.

Ecce, hi ſunt Imperatores ab Iſaia præuiſi. Et hi ſunt, quos ille Magnus Ambroſius oppoſuit vni Imperatori puerulo, ſub cuius nomine inſidiata eſt [a] mater Arriana Iuſtina, vt Mediolani, Catholicis eiectis, Arriani regnarent. Erat hic Valentinianus iunior. eumque cum alijs Laicis elegerat alius Auxentius ſeu Mercurinus Arrianus iudicem ſi-

a Soz. hiſt. 5. cap. 11. Iuſtina Arriana.

cem fidei, ad conſiſtorium eius citari faciens Ambroſium. recuſans *Amb. Epiſt.*
igitur hic venire, reſcripſit dicens: Nec quiſquam contumacem iudi- *lib. 5. Ep. 32. ad Va-*
care me debet, cùm hoc aſſeram quod Auguſtæ memoriæ Pater tuus *lentinia-*
(Valentinianus ſenior) non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam legi- *num Imp.*
bus ſuis ſanxit, In cauſa fidei, vel eccleſiaſtici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. (hæc enim verba Reſcripti ſunt.) hoc eſt, Sacerdotes de ſacerdotibus voluit iudicare: idque etiam in morum cauſa. Quis igitur contumaciter reſpondet Clementiæ tuæ? Ille qui te Patri ſimilem eſſe deſiderat, an qui vult eſſe diſſimilem? Niſi fortè vilis quibuſdam tanti Imperatoris exiſtimatur ſententia, &c. Quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei Laicos de Epiſcopo iudicaſſe? &c. Certè ſi vel Scripturarum ſeriem Diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in cauſa fidei, in cauſa (inquam) fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Eris (Deo fauente) etiam ſenectutis maturitate prouectior: & tunc de hoc cenſebis, qualis ille epiſcopus ſit, qui Laicis ius Sacerdotale ſubſternit. Pater tuus (Deo fauente) vir maturioris æui dicebat, Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos. Tua nunc dicit Clementia, Ego debeo iudicare? &c. Ego ſequor tractatum Niceni Concilij, à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare. Quam fidem etiam parens Clementiæ tuæ Theodoſius beatiſſimus Imperator & ſequitur, & probauit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, &c. Si tractandum eſt, tractare in Eccleſia [non in Conſiſtorio] didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio: ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. &c.

Quanquam igitur ex his ſatis clareat piorum Imperatorum hac in XXXI.
parte religio, magis tamen adhuc eminuit eadem, cùm quidam eorum in enormia peccata incidiſſent. Vbi imprimis obſeruandum eſt, & Chriſtianis Principibus ſeriò inculcandũ, quid S. Auguſtinus reſpondens Gentilibus dicat, Nos Chriſtianos quoſdam Imperatores non ideo fœlices dicere, *Auguſt. de*
[quia temporalibus ſucceſſibus abundarunt.] Sed fœlices eos dicimus, ſi *Ciu. Dei, li. 5. cap. 24.*
iuſtè imperant, [cæteraque bona primùm illic enumerata faciant.] Et, ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem fœlicitatis æternæ. [Deinde quantum ad mala:] Si pro ſuis peccatis, humilitatis, [id eſt, pœnitentiæ] & miſerationis, & orationis ſacrificium,

i 3 Deo ſuo

„ Deo ſuo vero immolare non negligunt. [Et harum rerum exemplum
Theodoſius dat ibi Theodoſium maiorem, primùm quantum ad bona: deinde quan-
Ienior. Cap. 26. tum ad mala eius, in quæ mala ſic dicit : Quid autem fuit eius religioſâ
„ Humilitate mirabilius, quando in Theſſalonicenſium grauiſſimum ſcelus,
„ cui iam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam, tumultu
„ quorundam qui ei cohærebant, vindicare compulſus eſt: & Eccleſiaſticâ
„ coërcitus diſciplinâ, ſic egit pœnitentiam, vt Imperatoriam Celſitudi-
„ nem, pro illo populus orans, magis fleret videndo proſtratam, quàm
„ peccando timeret iratam? [Quod exemplum alibi quoque pulcherrimè
Aug. 50. Homi. ho. 49. & acerrimè vrget apud adulteros, qui ſiue coniuges, ſiue vota fefelle-
„ runt.] Si deuiaſtis à propoſito, vel vinculo coniugali, vel deuotione con-
„ tinentiæ: ſit [inquit] in vobis dolor & humilitas pœnitentiæ. Apertiùs
„ dico, nemo dicat, non intellexi: &c: agite pœnitentiam, qualis agitur in
„ Eccleſia, vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, Occultè ago,
„ apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo
Matth. 18. ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo
Matth. 16. ſine cauſa ſunt Claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei,
„ fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis quod ille negat? nónne
Iob. 31. „ vos decipimus? Iob dicit, Si erubui in conſpectu populi confiteri pec-
„ cata mea. Talis iuſtus theſauri Diuini obryzi, tali camino probatus, iſta
„ dicit: & reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub bene-
„ dictione Dei? Quod non erubuit Imperator, erubeſcit nec Senator, ſed
„ tantùm curialis? ſuperba ceruix, mens tortuoſa? Fortaſſis, imò quod non
„ dubitatur, propterea Deus voluit, vt Theodoſius Imperator ageret pœ-
„ nitentiam publicam in conſpectu populi, maximè quia peccatum eius
„ celari non potuit: Et erubeſcit Senator, quod non erubuit Imperator?
„ erubeſcit nec Senator ſed tantùm curialis, quod non erubuit Imperator?
„ erubeſcit plebeius ſiue negociator, quod non erubuit Imperator? Quæ
„ iſta ſuperbia eſt? Nónne ſufficeret gehennæ, etiam ſi adulterium nul-
lum eſſet? [Videat Lector, ſi placet, Epiſtolam illam verè paſtoralem
Amb. lib. 5. Epiſt. 28. & de obi. Theod. D. Ambroſij, in qua humilitatem ſeu pœnitentiam iſtam Theodoſio
ſuadet. Videat etiam orationem eiuſdem de obitu Theodoſij, in qua pijſ-
ſimum Imperatorem ob illam pœnitentiam actam magnificè laudat.]
2. Reg. 12. An pudet te, Imperator, hoc facere, quod Rex Propheta? [& cætera in
Pſalm. 50. Epiſtola. Deinde in obitu:] Defleuit in Eccleſia publicè peccatum ſuum,
„ quod ei aliorum fraude obrepſerat: Gemitu & lachrymis orauit veniam.
„ Quod priuati erubeſcunt, non erubuit Imperator publicè agere pœni-
„ tentiam: neque vllus poſtea dies fuit, quo non illum doleret errorem.

[& antè:]

[& antè:] Regnum ſuum Deo ſubiecit, & pœnitentiam geſſit, & pec- «
catum ſuum confeſſus veniam poſtulauit. per humilitatem peruênit ad «
ſalutem. &c.

Sed totam hiſtoriam paulò latiùs audiamus. eſt enim digniſſima, & Imperatorem illum pijſſimum (ac cum illo, & cæteros) Eccleſiæ noſtræ facilè vindicat, Proteſtantium autem Principes palam arguit eſſe degeneres. copiosè autem ſcripta eſt à Sozomeno, maximeque à Theodoreto. Ac primùm quidem admirationem maiorem excitat tempus ipſum quo res geſta eſt, mox ſcilicet poſt ſtupendam illam (quam dixi) de Eugenio Tyranno victoriam. Nam Imperator [inquit Sozomenus] ſu- *Soz. lib 7. cap. 24. Theod. lib. 5. cap. 17.*
blato Eugenio, cùm Mediolanum veniſſet, ad eccleſiam proceſſit, vt ora- «
ret. [Et quid tum factum eſt?] Sed cùm iam ad oſtium perueniſſet, oc- «
currit ei Ambroſius, eius ciuitatis epiſcopus: & apprehensâ illius pur- «
purâ, in præſentia populi, Siſte gradum, inquit. homini enim ob peccata «
profano, & manus innoxio ſanguine commaculatas habenti, fas non eſt, «
antequam pœnitentiam egerit, vel ſacrum ingredi ſolium, vel ad Diui- «
norum Myſteriorum communionem admitti. Quibus igitur oculis in- «
tuebere Templum illius qui eſt omnium Dominus [vt eſt apud Theo- «
doretum] quibus pedibus ſanctum illud ſolum calcabis? Quî, quæſo, «
manus iniuſta cæde & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem ſa- «
croſanctum Corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum eius «
ſanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente, tantum ſanguinis tam «
iniquè effudiſti? Recede igitur, & ne conare nouo ſcelere ſcelus antè «
editum augere: ſed capeſſe vinculum, quo vt ligeris, Dominus omnium «
cælitus ſententiam dat. quod quidem vinculum vim habet & morbum «
animi depellendi, & te ad ſanitatem reſtituendi. [Quid igitur Imperator?] «
obſecutus (nam Diuinis educatus Eloquijs accuratè norat tum quæ eſſent «
officia Sacerdotum, tum quæ Regum propria) cum gemitu & lachrymis «
ad Palatium reuertitur. [Peccatum autem Imperatoris ſic narrat Sozo- «
menus:] Botherichæ, tum temporis apud Illyrios Militum Præfecti,* «
auriga, pincernam Domini impudicè intuitus, de ſtupro interpellarat: «
eaque de cauſa comprehenſus, in vinculis erat. Inſtante autem ſolenni «
equeſtri certamine, populus Theſſalonicenſis illum, velut ad eam con- «
certationem neceſſarium, dimitti poſtulabat. Quod quoniam non im- «
petrabat, in grauem ſeditionem efferbuit, ac tandem etiam Bothericham «
ipſum interfecit, [cum alijs quibuſdam magiſtratibus, vt Theodoretus
ait.] Qua re nunciata Imperator præter modum excanduit: & [compul- «
ſus, vt Auguſtinus dixit, tumultu quorundam qui ei cohærebant], etiam

poſt epiſ-

poſt epiſcoporum interceſſionem, tamen tale dedit præceptum, vnde]
,, ſeptem hominum millia [ſecundum Theodoretum] inſontes pariter
,, cum ſontibus, interfecta à militibus fuiſſe ferantur. [in quibus etiam]
,, Peregrini [ſecundum Sozomenum] qui modò vel adnauigauerant, vel
,, de via aduenerant. [Et inter cæteros,] Mercator pro filijs ſuis duobus
,, captis ſeipſum offerens, orabat, vt filijs ſeruatis, ipſe interficeretur: &
,, in eius facti mercedem, auri quicquid habebat militibus pollicebatur. Illi
,, calamitatem hominis miſerati, pro vno ex filijs, quocunque vellet, ſup-
,, plicationem admittunt: duos verò dimittere, tutum ſibi non eſſe dicunt,
,, ob id quod numerus deficeret. (nam certum numerum eorum qui ad-
,, fuerant, interfici præceperat Imperator.) Pater itaque vtrumque lamen-
,, tabundus ac plorans intuitus, neutrius electionem facere ſuſtinuit: ſed
,, in continua hæſitatione, donec interficerentur ambo, ſuſpenſus manſit,
æquali vtriuſque amore victus. [Ob iſtas igitur tam iniuſtas cædes Am-
,, broſius Imperatorem ad pœnitentiam compulit.] Atque longo, [inquit
,, Theodoretus,] temporis ſpacio dilapſo (octo enim menſes iam præterie-
,, rant) Seruatoris Natalitia fuere celebrata. Imperator autem conſidet in
,, Palatio, lamentis ſe dedens, & magnam vim profundens lachrymarum.
,, Quod cùm animaduertiſſet Ruffinus, qui tum Magiſter Aulæ fuit, ma-
,, gnaque apud Imperatorem auctoritate, vtpote familiaritate ei coniun-
,, ctior, ad illum accedit, rogat cauſam fletus. Tum Imperator lugens acer-
,, bius, & maiorem in modum flens: Tu (inquit) Ruffine ludis? Nam
,, quantis ipſe in malis verſer, non ſentis. Ego verò gemo, & meam ipſius
,, deploro calamitatem, dum mente complector, quàm facilis aditus ad ſa-
,, crum Templum ſeruis & mendicis pateat, liberéque illis ad Dominum
,, ſuum deprecandum detur introitus: mihi autem non modò ad illum lo-
,, cum, verumetiam ad cælum ipſum acceſſus præcluſus ſit. Nam venit
,, mihi in mentem ſententiæ à Domino prolatæ, quæ palàm dicit: Quem-
Matth. 18. cunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatus & in cælis. Cui Ruffinus,
,, Curram (inquit) ſi placet, ad Epiſcopum, ei ſupplicabo, perſuadeboque
,, vt tua ſoluat vincula. At non eſt, inquit Imperator, tibi morem geſtu-
,, rus. Noui enim adeò iuſtam æquamque Ambroſij eſſe ſententiam, vt
,, non metu Poteſtatis Imperatoriæ ſit legem Diuinam violaturus. Verùm
,, cùm inſtaret Ruffinus, pollicereturque ſe Ambroſio perſuaſurum, Im-
,, perator iubet properè abire: Ipſeque falſa ſpe inductus, & Ruffini con-
,, fiſus promiſſis, paulò pòſt ſequitur. Vt primùm autem Ruffinum diuus
,, vidit Ambroſius: Videris mihi, inquit, Ruffine canum impudentiam
,, imitari. Nam tametſi tuo ſuaſu tam crudelis facta eſt cædes, tu tamen
ita per-

ita perfricuiſti os, vt nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem «
Dei inſaniuiſſe. Vbi verò Ruffinus obnixè eum orauerat, dixeratque Im- «
peratorem breui eo venturum: ſanctus Ambroſius Diuino zelo accenſus, «
Ego, inquit, Ruffine, prædico me illum ab introitu ſacri veſtibuli prohi- «
biturum. Quòd ſi Imperium mutarit in Tyrannidem, cædem lubens equi- «
dem excipiam. Quibus auditis, Ruffinus Imperatori per internuncium «
ſignificat, hortaturque vt maneat in Palatio. Quæ cùm Imperator in me- «
dio foro accepiſſet: Eo (inquit) illuc nihilominùs, quò iuſtas debitaſque «
contumelias ſubeam. Vbi verò ad ſacros Templi parietes aduenit, non «
ingreditur in Templum ille quidem: ſed ad Epiſcopum, qui in ædicula «
ſalutatoria ſedebat, accedēs, obſecrat vt vincula ſibi ſoluat. At Ambroſius, «
eius aduentum dixit eſſe tyrannicum: eumque ipſum contra Deum inſa- «
nire, & illius leges proterere. Tum Imperator: Non obſtinato animo, in- «
quit, leges ſancitas impugno, neque ſacra veſtibula per nefas introire cu- «
pio: ſed oro, vt mihi ſoluas vincula, & proponas tibi ante oculos clemen- «
tiam illius qui eſt Dominus omnium: & ne mihi occludas ianuam, quam «
ille omnibus, quos peccatorum ſuorum pœniteat, patefecit. Cui Ambro- «
ſius: Quam tu, inquit, pœnitentiam, poſt tam graue ſcelus admiſſum, «
oſtendis? quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu ſananda adhi- «
buiſti? Tuum eſt, inquit Imperator, medicamenta oſtendere, eaque tem- «
perare: & vulnera, quæ ægriùs curantur, obligare: Meum autem, quæ ſunt «
adhibita, accipere. Tum D. Ambroſius: Quoniam, inquit, iracundiæ per- «
miſiſti iudicium, & non rectæ rationi, ſed animo irato obſecutus, ſenten- «
tiam pronunciaſti: conſcribe legem, quâ deinceps ſententiæ per iracundiā «
pronunciatæ, irritæ ſint, & nullius momenti: cognitioneſque cauſarum «
de cæde, & publicatione bonorū, ad triginta dies ſcriptis proditæ maneant, «
vti recta ratione de illis iudicium des. Atque diebus illis confectis, qui de- «
creta illa ſcripſerint, mandata tua tibi oſtendant. Ac tum quidem cōpreſſā «
iracundiā, ratione ſola cauſam expendens, inquires in decreta: & ita perſpi- «
cies, iniquáne ſint, an æqua. &c. Iſtud conſilium Imperator, quoniam pru- «
dentiſſimum eſſe cenſebat, libenter amplexatus, iubet extēplò legem con- «
ſcribi, ſuaque ſubſcriptione confirmat. Qua re confecta D. Ambroſius eius «
vincula ſoluit. [Multa autem adhuc ſunt, multumque memorabilia, quæ
deinceps ſecuta ſunt. [Itaque Imperator fideliſſimus [inquit Theod.] in
ſanctum Templum ingreſſus, non ſtans Dominum precatus eſt, neque «
genibus flexis, ſed pronus humi abiectus, verſum illum Dauidis recitauit: «
Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbū tuum: &c: *Pſal.* 118.
& lachrymarum guttis ſolum rigare, veniamque ſupplex petere cœpit. «

» Vbi autem tempus poſtulauit, vt dona Sacræ Menſæ offerret, ſurgit:
» atque non minorem lachrymarum vim, quàm antea, effundens, in San-
» ctuarium ingreſſus eſt. Cùm verò dona, vti ſolebat, obtuliſſet, intus
» prope cancellos manſit. At rurſus magnus ille Ambroſius non conti-
» cuit quidem, ſed locorum differentiam eum docuit. Ac primùm ſciſci-
» tatur, Ecqua re egeret? Et cùm reſpondiſſet Imperator, Se expectare
» Diuinorum Myſteriorum perceptionem: ſignificauit illi per prima-
» rium Diaconum, qui ei miniſtrabat, ad loca interiora ſolis Sacerdoti-
» bus aditum patêre, eademque alijs omnibus inacceſſa eſſe, nec debere
» tangi. Iubet igitur vt exeat, & cum reliquis Laicis conſiſtat. Nam pur-
» pura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit. Quam admonitio-
» nem itidem excepit lubens Imperator fideliſſimus: reſponditque, ſe
» non animi confidentiâ inductum, manſiſſe intra cancellos, ſed hanc
» conſuetudinem Conſtantinopoli didiciſſe. Quare habeo, inquit, etiam
pro hac medicina gratiam. [Ex quibus erumpit S. Theodoretus, &
» ipſe epiſcopus, in hæc admirabundus verba:] Tantis & tam eximijs vir-
» tutis ornamentis enituit tum Epiſcopus, tum Imperator. Vtrumque
» enim admiror: alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum
» propter facilem obedientiam: & illum propter diuini zeli ardorem,
» hunc autem propter ſynceram fidem.

Conferant iam Proteſtantes inter ſe Ambroſium Mediolanenſem epiſcopum, & Pium quintum Romanum Pontificem, Theodoſium Imperatorem totius Orbis & Elizabetham Reginam Angliæ, cædem Theſſalonicenſium & deuaſtationem omnium Eccleſiarum Anglicanarum, eiectiones Epiſcoporum aliorumque Paſtorum, deprædationes, incarcerationes, mactationes Catholicorum, cum cæteris exceſſibus & enormitatibus, priuatis & communibus, quæ materiam aliquando Hiſtoriæ iuſtæ ſuppeditent. ac tum cogitent, quales eos cenſeret Regina magiſtros, quales Paſtores, ſi non mallet (ſicuti ab ipſis corrupta eſt) non modò caput Hæreticorum, verumetiam ſerua flagitiorum eſſe, quâ eam grauiſſimâ notâ à Sede Apoſtolica publicè inſignitam mundus ad ſempiternam eius ignominiam videt. Quanto autem vtilius erat Theodoſio, quòd talis Imperator talem inuênit Epiſcopum, eique excommunicanti paruit tam fideliter! Vbi tum erant peſtilentiſſimi iſti adulatores, qui Laicis ius Sacerdotale ſubſternunt, & Reges ac Reginas in Eccleſiæ caput imponunt? Vnicuique mors ſua non tardat: ac tum ſentient deceptores atque decepti, vbi ſint. Vtinam autem qui cum Theodoſio & ſupra Theodoſium incomparabiliter ſunt in culpa, ſint

etiam

etiam cum Theodoſio in pœnitentia, vt videamus eos cum illo & in
venia. Legis autem illius ſapientiſſimæ, quam Ambroſius Imperatori
præſcripſit in partem ſatisfactionis, vtilitatem perſpiciet qui deinde *Theod. hiſt.*
narrantem leget Theodoretum de Seditione Antiochenſium, quam *lib. 5. cap. 19.*
& ſuprà attigi. Vbi rurſus iratus Imperator grauiſſima minatus eſt: ſed *num. 20.*
lex quæ hortatu magni illius Ambroſij lata erat, obſtabat, quò minùs ſta-
tim fierent. ſicque interim interuênit mirabilis ille (de quo & dixi) Mo-
nachus Macedonius, & Principem mitigauit.

Aliud huius generis exemplum, ſæpè à me antè promiſſum, quod XXXII.
hanc Chriſtianorum Imperatorum religionem ſubijciat oculis, licèt *Philippus*
euentu planè contrario, ſi hic retulero, Motiui huius erit finis. Eſt au- *Imp.*
tem non ſolùm Theodoſio, verùm Conſtantino etiam Magno antiquius:
Actores porrò erant S. Babylas Antiochenus epiſcopus, & Imperator ali-
quis tum Chriſtianus, nempe (vt aliàs oſtendi mihi videri) Philippus. *Moti. 16.*
Scriptum verò eſt ab illo celeberrimo Patre S. Ioanne Chryſoſtomo, tunc
quidem quando ſcripſit Antiocheno Presbytero, poſtea verò Patriar-
cha Conſtantinopolitano: nec ſcriptum modò, ſed accuratiſſimè etiam
tractatum pro Deitate Chriſti contra Gentiles, quemadmodum & hiſto-
ria de Miraculis Reliquiarum eiuſdem S. Babylæ poſt mortem, quam in
alio Motiuo perſecutus ſum. ita vt hîc rurſus videre queant omnes, quòd
etiam in hac parte Religionis noſtræ Proteſtantes per latus Gentilium
confodiantur. Eſt enim titulus libri Chryſoſtomiani, De Vita S. Babylæ *Chryſ. tom.*
Martyris, contra Gentiles. Legatur tota hiſtoria in Auctore: ego non poſ- *5. De Vita Babyl. col. 885.*
ſum niſi ſummis capitibus inſiſtere: ſic igitur narrationem orditur:

Fuit Imperator quidam Maiorum noſtrorum temporibus, homo “
crudelis, &c. Viſum fuerat genti cuidam cum hoc Imperatore bello de- “
certanti, bellum tandem componere &c, & firma aliqua pactione fœdus “
confirmare. Itaque fœdere facto, dato atque accepto iureiurando, & Regi “
præterea ſuo ſuadere conantur, vti ſuum ille filium (puer autem is admo- “
dum erat) pro certo pacis pignore deponeret. &c. Rex igitur perſuaſus “
filium dedidit, vt ipſe quidem opinabatur, amicis ac ſocijs: vt verò rei “
exitus probauit, beluæ omnium beluarum crudeliſſimæ. [Nam Impera- “
tor puerum interfecit. quo tam immani ſcelere pro dignitate amplificato,
addit Chryſoſtomus: Et puer quidem plagâ acceptâ, exanimis iacebat. “
At percuſſor &c aliud facinus longè atrocius iungit priori. Nam manus “
illas impias tam innocentis ſanguine vbi conſpurcauit, atque conſcelera- *Col. 887.*
uit, nouamque illam tragœdiam peregit: quaſi nullo prorſus à ſe ſcelere “
facto, effrons & ipſis etiam ſaxis durior, ad Dei Optimi Maximi Tem- “

plum feſtinabundus accurrit. [Ibique reddit cauſam mirantibus, cur qui tam ſæuum patraſſet facinus , Diuinâ ſtatim plagâ percuſſus non fuerit. eſt autem cauſa hæc , quòd iuſtitiæ lege aliam ſublimiorem legem habet Deus, per quam dat peccatoribus pœnitentiæ locum. quod & erga hunc
„ homicidam ſacrilegũ obſeruauit. cæterum tantùm abfuit [inquit] vt por-
„ rectum ille medicamentum admitteret,vt vel medicum ad ſe hoc nomine miſſum trucidauerit. [Medicinæ autem rationem narrat his verbis: Forte
„ fortuna per quod tempus crudelis ac miſeranda (quam dixi) fabula licen-
„ tioſè ageretur, magnus quidam atque admirabilis vir & noſtri huius gre-
„ gis [Antiocheni] curam gerebat: Babylas huic nomen erat. Is igitur per
„ eos dies Chriſti eccleſiam hanc à Spiritus gratia ſibi concreditam quum
„ haberet,Heliam, atque eius æmulum Ioannem,non dico prætergit, ne in-
„ uidioſo admodum verbo vtar, ſed vſqueadeo eſt aſſecutus,vt ne tantillum
„ quidem illorum generoſorum pectorum libertati conceſſerit.Neque enim
Luc. 3. „ paucarum ciuitatum Tetrarcham [vt Ioannes Hærodem,] neque gentis
3. Reg. 21. vnius Regem [vt Helias Achab:] ſed eum, qui imperio ſuo plurimam to-
„ tius orbis partem contineret;,ipſum, ipſum hunc (inquam) homicidam,
„ de quo nobis eſt ſermo;eundem multarum Gentium, multarũ ciuitatum,
„ immenſi item exercitus dominum; eundem quoquò te vertas,tum ab im-
„ perij amplitudine,tum à morum ferocitate terribilem: quaſi vile quoddam
„ ac nullius pretij mancipium,ſic à Dei Templo exegit:tanta adeò cum con-
„ ſtantia atque animi præſentia, cum quanta Paſtor ſcabioſam ac morbidam
„ ouem ab ouili excludit, dum prohibet ne laborantis ouis morbus ad reli-
„ quum quoque gregem contagione ſerpat. [Quod facinus glorioſum & ad-
mirabile vbi depinxit ſuis coloribus,hinc ex perſona & comitatu Imperia-
li, illinc ex humilitate Babylæ ſenis, dixitque inter cætera:] Atqui quantâ
col. 888. Babylas erga cæteros fiduciâ vſus ſit, hinc conſtare poteſt:quemnam enim
„ ex alijs metueret,qui aduerſus ipſummet Imperatorem tãtam ſibi poteſta-
col. 890. tem ſumeret?&c:[tandem ad varias eius vtilitates explicandas venit,dicẽs:
„ Ac factũ quidem hoc videri poteſt vnum modò eſſe egregiæ virtutis opus:
„ Veruntamen ſi quis id perpendat, ac tãquam explicans vndique diligenter
„ ſpeculetur,inueniet & alterum, & tertium item emolumẽtum inde ſimul
„ enaſci, magnumque inibi vtilitatis theſaurum recondi. [Primum igitur
emolumẽtum audiamus.] Siquidem vnus tantum [inquit] is fuit,quem
„ à Templo expulit Babylas: at multi extitere qui lucrum inde reportarunt.
„ Quotquot enim erant qui fidem ſuam Chriſto nondum obſtrinxiſſent
„ (de ijs loquor qui Tyranni huius imperio parebant: id autem Imperium
„ bonam totius Orbis partem occuparat) ij certè omnes obſtupuere & ad-
miratiõ

mirati ſunt: Indeque edocti, quantam ſeruis ſuis libertatem Chriſtus impertierit, deriſerunt ſuam ipſorum illiberalem & abiectam ſeruitutem: & perſpexerunt, quantum inter ſe diſcrepent Chriſtianorum nobilitas, & Gentilium probrum. Qui enim apud illos [quemadmodum etiam qui apud Proteſtantes] templorū adminiſtrationem ſuſcepere, ij reges ſuos colunt pluſquam dominos, pluſquam Idôla etiam ipſa quæ adorant, regūque metu ſtatuis ipſis aſſident: [& cætera ſequentia de rebus Chriſtianorū non ſimiliter ab Imperatorum fauore pendentibus, ſed contrà, tum etiam magis florentibus & inuictis, quando Imperatores aduerſarios & inimicos habēt: quæ in Motiuo ſecundo verbatim poſui. Poſteaque confert hoc facinus Babylæ cum Philoſophis Gentiliū, vt per huius gloriam vaniſſimas illorū laudes explodat, vt (inter cæteros) Diogenis Dolium, & libertatem illam ſermonis apud Alexandrum Macedonum regem, proficiſcentem cum exercitu aduerſus Perſas, & iubentem dicere, ſi qua re indigeret. nulla [inquit ille] niſi quòd Regem rogauit, ſibi à ſole ne obſtaret. [offecerat enim apricanti. Hâc igitur ſtolidiſſimi inaniſſimi Philoſophi παρρησίᾳ penitus exploſâ, quia nulli ciuitati, nulli domui, nulli viro, nulli mulierculæ, nec minimum lucrum peperit: ſubiungit Chryſoſtomus è diuerſo, & dicit: Sed lucrum à libera Martyris noſtri voce natum iam ipſi demōſtrauimus: idque vlteriùs progreſſi apertiùs detegemus. [quo tandem modo?] Tum enim Babylas [inquit] iniurium Imperatorem, quatenus Sacerdoti fas eſt, puniuit: Principum altos ſpiritus cōpreſſit: Diuinis legibus, dum violarentur, opem tulit: ſuppliciū pro iniuſtè occiſo exegit, ſuppliciorum omnium grauiſſimū, ijs quidem certè qui mente ſana ſunt. &c. pœnam enim ſumpſit tum ſe dignā, tum idoneā quæ illum conuerteret, ſi modò ſtupidus admodū non fuiſſet: nequaquā poſtulando, vt ſibi ad ſolis radios caleſcenti abſcederet Rex, neu à ſole obſtaret; quin potiùs impudenter in Tēpli ſepta ingrediētem, atque omnia cōfundentem, quaſi canem quendā aut ſeruum improbū à Domini ſui aula excludendo. Vides nunc, me nō iactabundè, nō temerè paulò antè dixiſſe, Philoſophorū veſtrorū miracula à Babyla pueriles ſenſus opera reddita fuiſſe? &c. [Poſt quæ primū emolumentū cōcludit, vt trāſeat ad ſecundū:] Itaque eò noſtra redeat, vnde aberrauit, oratio. Ergo Babylas, vt dictū eſt, tum eos qui nondū Chriſti fidem receperant, cōpeſcuit: tū eos, qui iam receperant, religioſiores etiamnū reddidit, nō priuatos homines modò, ſed & milites, & militum duces, & præfectos: planū faciens, ipſum etiam Regē, cūque qui ſummus fuerit apud Chriſtianos, nuda tantūmodo eſſe nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos deferēdus fuerit, quiſquis etiam diadema geſtet, hunc vel infimis quibuſque adæquari.

Col. 591.

Col. 593.

K 3 [Deinde-

[Deinde iam ſecundum emolumentum:] Adhæc eorum certè ora ob-
,, turauit, qui impudentia quadam abutentes affirmare vellent, quum
,, Chriſtiani libertatem Apoſtolis tribuimus, eam non niſi fictam quan-
,, dam à nobis iactantiam eſſe. &c. [Ac tum:] Exiſti & hinc [inquit] ter-
tium quoddam raræ virtutis facinus atque exemplum. [quodnam illud?
,, auſcultent Proteſtantes:] Futurorum enim poſthac & Sacerdotum &
,, Regum animos, horum quidem demiſit, illorum autem extulit: planum
,, faciens, terræ & eorum quæ in terra fiunt, curam ac præfecturam veriùs
,, reſidere penes Sacerdotem, quam penes eum qui paludamento orna-
,, tus, ac purpurâ indutus eſt: necnon oportere de poteſtatis huius ampli-
,, tudine Sacerdotem nihil detrahere, ſed hominem potiùs exuere, quàm
,, auctoritatem huic principatui ſupernè à Deo attributam deponere. Pro-
,, inde qui ſic è vita deceſſerit, vel mortuus nemini non prodeſſe poterit.
,, At qui ordinis huius deſertor fuerit [quanto magis Proteſtantium Pſeu-
doëpiſcopi, qui non deſertores eius modò, ſed deſerendi eius magiſtri
,, ſunt?] non ſolùm nemini mortuus vſui eſt, ſed viuentium quoque, qui-
,, bus præeſt, quàm plurimos ſegniores molliorcſque reddit, exteris ipſe
,, interim & vituperabilis & ridiculus. Idem etiam cùm è viuis deceſſerit,
,, multo cum mœrore ac dedecore ad Chriſti tribunal ſiſtitur: vnde ipſum
,, poſtea trahentes in fornacem ardentem abducent poteſtates eæ quibus
id negocij demandatum eſt. &c. [Poſtremò & quartum emolumentum
,, adiungit.] Quinetiam & aliud item non minus ijs quæ dixi, bonum nos
,, Babylas docuit, quòd videlicet vnumquemque oportet ſuo officio fungi,
,, etiamſi inde nullum lucrum ad alios dimanet. neque enim ipſi, ad Im-
,, peratoris quidem emolumentum, libertas profuit, nihilo tamen ſecius
,, ſuas omnes partes, atque officium omnibus numeris impleuit. &c. Quaſi
,, enim abundè ſatis ad impietatem non eſſet, homicidium patraſſe, &
,, fronte perfricta in Dei Templum inſilijſſe, ſic homicidio priori & alte-
Col. 894. rum adiecit homicidium. &c. [Quo pacto?] ſacerdotio contumeliâ affi-
,, ciendo ſe accinxit, vinctúmque ferro Babylam, atque in carcerem con-
,, iectum ita tum excruciabat ab eodem beneficij pœnas exigens, vbi plus
,, quam etiam parentes proprios vereri eum conueniebat &c. Hîc pote-
,, ras Herodis fabulam non iam auribus tantùm haurire, ſed & coràm ma-
,, iori ſanè cum petulantia atque immodeſtia ſpectare: &c. [Et pergit
,, Chryſoſtomus:] Coniectus ergo in carcerem Babylas, gaudebat quidem
,, de vinculis, dolebat autem de eius exitio, à quo vinctus fuerat. & c. qui
,, ſe poſtremò, & furori & inſaniæ, rationis gyro relicto, in extremi exitij
,, voraginem coniecit: Babylam à carcere eductum, iubens vinctum ad
mortis

mortis ſupplicium abduci. &c. Sanctus igitur Babylas morti ſe propin- *Col. 196.*
quum dum videret, corpus ſuum vnà cum ferreis illis catenis ſepelien- "
dum mandauit: planum faciens, quæ ignominioſa videntur, ea quoties "
propter Chriſtum fiunt, honorifica eſſe ac ſplendida: eumque qui ea "
patitur, non ſolùm non diſſimulare, ſed inde ſibi placere oportere: &c: "
& ne quis Gentilium exiſtimaret certamina ac dedecora vi ac neceſſita- "
te à noſtris ſuſtineri, &c. Et extant etiam nunc [inquit Chryſoſtomus] "
cum Babylæ cineribus compedes, Eccleſiarum Præfectos omnes com- "
monefacientes, vt vinciri, vt iugulari, vt quiduis pati oporteat, prompto "
atque alacri animo, ac magna item cum voluptate, vt concreditæ nobis "
libertatis ne leuiſſimam quidem partem prodamus, aut contaminemus. "
[Quæ porrò deinceps miracula poſt mortem eius per ſacras eius Reliquias Deus operari dignatus eſt, in Motiuo 16 ex hoc ipſo Chryſoſtomo deprompta continentur. Et hæc igitur hiſtoria declarat idem quod illa Theodoſij antedicta, illam & fuiſſe & eſſe oportuiſſe religionem Chriſtianorum Imperatorum, vt ſicut alij Laici, Epiſcopis Eccleſiæ ſe humiliarent atque ſubmitterent. Quod etiam Imperatorem iſtum feciſſe poſtea ſumma cum modeſtia, memoriæ proditum eſt. Sic enim de eo ſcribit
Euſebius, & poſt eum Nicephorus cum alijs:] Gordiano Philippus vnà *Euſ. hiſt li. 6. cap. 27.*
cum filio Philippo ſuccedit. Fama eſt, iſtum, Chriſtianus namque "
erat. [quod nullus alius, præter eum, ante Conſtantinum] cùm preca- *Niceph. lib. 5. cap. 25.*
tionum in die Poſtremæ Vigiliæ Paſcatis vnà cum multitudine in Eccle- *Zonar. Annal. Tom. 1.*
ſia particeps fieri vellet, non priùs ab [b] Epiſcopo, qui tum Eccleſiæ *b Fabiano.*
præerat, permiſſum eſſe intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos *Sic Paul.*
qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque Pœni- *Diac. Hiſt. lib. 10.*
tentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet: "
Epiſcopumque dixiſſe, eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, "
propter multa delicta quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in "
Eccleſiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti, "
Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam ac religioſam piamque "
affectionem, Dei timore incitatam, reipſa declaraſſe memorant.

Sic igitur clariſſimè demonſtraui, Religionem Imperatorum illorum noſtram fuiſſe, idque & communibus quibuſdam obſeruationibus, & per plurimos articulos in ſpeciali. Longeque plures adhuc articulos inueniet, qui conferre volet Scripta Patrum illius temporis. Eiuſdem enim religionis fuiſſe patet Imperatores & Patres, vt (verbi gratiâ) Theodoſiũ & Ambroſium: ita vt quos in Ambroſij religione articulos deprehenderis, eoſdem & in Theodoſij religione fuiſſe non dubites. Sed quia iam exceſſi

modum,

modum, plúribus ſuperſedeo, tantumq́ue moneo (quod & priùs monui) nihil habere Proteſtantes quọd contra iſtorum Imperatorum religionem excipiant, quandoquidem à Deo ipſo per Iſaiam Prophetam (vt & ſuprà docui) expreſsè prædicta, & apertè commendata eſt, ideoque omnibus qui Deo placere volunt, meritò imitanda. eoque magis, quòd non ſolùm expreſſit Imperatores, ſed illam etiam partem Religionis eorum nominauit, quæ Proteſtantium dictis & factis penitus contraria eſt, quòd nimirum Imperatores illi ita non vllam ſibi in cauſis Eccleſiaſticis vſurparent poteſtatem; vt cùm priùs eorum Patres Ethnici Eccleſiam grauiter afflixiſſent, ipſi contrà, ſicut quilibet alij Laici, tanta cum ſubmiſſione ſui

Iſa. 49. & 60. Eccleſiam honorarent, vt venirent curui ad eam, & vultu in terram demiſſo adorarent eam, ipſumq́ue adeo puluerem pedum eius lingerent.

Euſeb hiſt. lib. 4. cap. 14. Hinc igitur eſt, quòd non ſolùm de quibuſlibet fidelibus narrat Euſebius, quòd ſinguli magno ſtudio inter ſe contendere ſolebant quis Polycarpo Epiſcopo Smynenſi calceos extraheret, verum de ipſo quoque Abgaro Edeſſenorum Rege, quòd Thaddæum Apoſtolum Chriſti

Lib. 1. cap. 13. venientem ad ſe ſupplex adorauit. Quòd item non ſolùm de ſe adhuc

Auguſt. de Ciu. Dei, li. 22. cap. 8. Laico & alijs ſimilibus dicat Auguſtinus, Surreximus, & accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus, [ſimiliterq́ue Beda noſter de noſtris,]

Bed. Hiſt. Ang. lib. 3. cap. 26. In magna erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita vt vbicunque Clericus aliquis aut Monachus aduenirret, gaudenter ab omni-
„ bus tanquam Dei famulus exciperetur: & iam ſi in itinere pergens in-
„ ueniretur, accurrebant, & flexa ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant: [verùm de Regibus quoque noſtris antiquis nar-

Lib. 3. cap. 14. rat idem Beda; quòd] Rex Oſwinus diſcinxit ſe gladio ſuo, & dedit illum
„ miniſtro, feſtinuſq́ue accedens ante pedes Epiſcopi Aidani corruit. [&
„ de Rege etiam Sigberto pijſſimo, ſed qui ſuorum manu interfectus eſt.]

Lib. 3. cap. 22. qui cùm interrogarentur, cur hoc facerent, nihil aliud reſpondere po-
„ tuerunt, niſi ob hoc ſe iratos fuiſſe & inimicos Regi (erant autem duo
„ [Comites] germani fratres) quòd ille nimium ſuis parcere ſoleret inimi-
„ cis, & factas ab eis iniurias mox obſecrantibus placida mente dimitteret.
„ in qua tamen morte eius innoxia [inquit Beda] iuxta prædictũ [S. Ched]
„ viri Dei, vera eſt eius culpa punita. Habuerat enim vnus ex his qui eum
„ occiderant Comitibus, illicitum coniugium: quod cum Epiſcopus pro-
„ hibere & corrigere non poſſet, excommunicauit eum, atque omnibus
„ qui ſe audire vellent, præcepit, ne domum eius intrarent, neque de cibis
„ illius acciperent. Contempſit hoc Rex præceptum, & rogatus à Comite
„ intrauit epulaturus domum eius. qui cum abiſſet, obuiauit ei Antiſtes.

At Rex

At Rex intuens eum, mox tremefactus deſiliuit de equo, ceciditque «
ante pedes eius veniam reatus ſui poſtulans. Nam & Epiſcopus pari- «
ter deſiliuit: ſederat enim & ipſe in equo. Iratus autem tetigit Regem «
iacentem virgâ quam tenebat manu, & Pontificali auctoritate prote- «
ſtans, Dico tibi, inquit, quia noluiſti te continere à domo perditi «
& damnati illius, tu in ipſa domo mori habes. Sed credendum eſt [in- «
quit Beda] quia talis mors viri religioſi non ſolùm talem culpam dilue- «
rit, ſed etiam meritum eius auxerit: quia nimirum ob cauſam pietatis, «
quæ propter obſeruantiam mandatorum Chriſti contigit. [Ita ſecundum «
Prophetas in Eccleſia Catholica & plebs & Principes & Reges ſeu Roma-
norum ſeu aliarum gentium ad pedes Epiſcoporum in timore procidunt
& tremore. idque conuenienter exemplis in nouo etiam Teſtamento cõ-
ſcriptis. Nam licèt Petrus Apoſtolus Cornelium Centurionem, cum pro- *Act.* 10.
cidens ad pedes eius adorauit, eleuauerit, dicens, Surge, & ego ipſe homo
ſum: partim ſcilicet vt propriam agnoſcens humilitatem, partim rurſus
vt in Cornelio viciſſim honorans gratiam Dei: Licèt etiam Angelus *Apoc.* 19. & 22.
S. Ioanni, qui bis cecidit ante pedes eius vt adoraret eum, ſibi illa mira-
bilia oſtendentem, bis recuſauerit, dicens ei, Vide ne feceris, conſeruus
enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant
verba libri huius; Deum adora: [& hoc etiam ob eandem cauſam hono-
randi viciſſim in S. Ioanne & ſimilibus gratiam Chriſti: tamen nulla
Scriptura negat humilitatem illam deberi à cunctis erga Eccleſiaſticos:
in tantum vt eadem Scriptura Actorum Apoſtolicorũ quæ illud de Pe- *Act.* 16.
tro & Cornelio narrat, de Cuſtode carceris Philippenſis qui ſecundum
quod præceptum ei à magiſtratibus erat, Paulum & Silam miſit in inte-
riorem carcerem, & pedes eorum ſtrinxit ligno, narrat, quòd poſt ter-
ræmotum tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, illis neutiquam
prohibentibus: Et eadem Scriptura Apocalypſis quæ illud de Angelo
& Ioanne narrat, referat dictum eſſe à Chriſto ad Angelum ſeu Epiſ- *Apoc.* 3.
copum Philadelphiæ Eccleſiæ:] Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui «
dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos «
vt veniant, & adorent ante pedes tuos. & ſcient quia ego dilexi te. «
[quia ſcilicet in iſto Cuſtode carceris, & in iſtis Iudæis, cæteriſque Per-
ſecutoribus, nondum erat gratia Chriſti, quam ſancti eius viciſſim
honorare conarentur. Et hoc eſt quod de Romanis præſertim Im-
peratoribus prædixit Iſaias,] Et venient ad te curui, filij eorum «
qui humi iacuerunt te; & adorabunt veſtigia pedum tuorum om- «
nes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini. «

quam & propterea humilitatem religioſiſſimam Imperatorum ſuprà oſtendi cùm aliàs quidem, ſed tum maximè quando peccare eos contigit, patuiſſe. Quòd ſi igitur nihil aliud de eorum religione in hoc Motiuo dixiſſem, tamen hoc vnum de iſta eorum adoratione ſolum pro iuſtiſſimo Motiuo ſufficeret, ne quis Proteſtantium Eccleſiam eſſe putet, in qua ita non hæc praxis cernitur, vt & palàm contra eandem praxin dogmatizent, & ſupra omnem adulationis modum tribuant Regibus Capitatum (vt ſic loquar) & Primatum Eccleſiæ. Sed audiant fideles Reges & proceres eorum Prophetam potiùs, & grauiſſimam eius comminationem ſapienter prouideque præcaueant. Gens enim & Regnum [inquit] quod non ſeruierit tibi, peribit: [perditione indubiè ſempiterna, in futuro ſeculo toleranda; quæ, ſi quis oculos habeat in corde, & non modò in capite, vbi & pecora habent, vera profectò perditio eſt, qualiſcunque interim in hoc ſeculo ſpecies proſperitatis arrideat. Veruntamen quoniam plerique ſolis ſenſibus ducuntur, placuit Diuinæ clementiæ, temporalem etiam quarundam Gentium rebellium Eccleſiæ (maximeque Orientalium, quas nunc Turcicum iugum premit) perditionem dare cæteris Gentibus in exemplum, vt vel alieno malo diſcant ſapientiam, alioqùi & ipſæ, (Germaniam dico cum multis vicinis) & æternaliter & temporaliter perituræ. Aut ſi quæ ipſarum, & quædam aliæ, vt Anglia fortaſſe, & Scotia, & ex parte Belgium atque Gallia, propter longinquam à Turcis diſtantiam dicant Pax, pax, & ſecuritas: certè & ipſis, præter æterna mala quæ accerſiti indies experiuntur, ſic etiam temporalibus inteſtinis malis, ac domeſticis hoſtibus periſſe & vident & lugent ſenſati, vt quid Turcæ alijve exteri hoſtes plus nocumenti & perditionis temporalis vel Græcis attulerint, vel ipſis Gentibus, Regnis, atque Rebuſpublicis adferant, vix intelligant.

MOTIVVM VIGESIMVM.

Quòd veteres illi Chriſtiani, qui in illis celeberrimis Perſecutionibus (quas Sacra Scriptura prænuntiauerunt, Et Eccleſiaſtica Hiſtoria narrauerunt) tanta à Paganis vel ab Hæreticis pro fide paſſi ſunt, non Proteſtantes, ſed noſtri fuerint.

PROTESTANTES, & Anabaptiſtæ, alijque omnes Hæretici huius temporis, cùm in Catholicis Regnis patiuntur ea ſupplicia, quibus contra eos per leges ſuas decernendis, & per miniſtros ſuos irrogandis, Chriſtiani Reges (vt ex pſalmo ſecundo dixit Auguſtinus) Deo ſeruiunt, in quantum reges ſunt: multum ſibi inde ſolent placere, gloriantes, quòd & antiqui Chriſtiani talia olim à varijs Perſecutoribus paſſi ſint. Atque hæc eorum oratio ab imperita multitudine, quæ tantùm ſimilitudinem pœnæ intuetur, & non diſſimilitudinem cauſæ animaduertit, magno cum applauſu ſuſcipitur. Prudentes autem facilè ex eo intelligunt, vaniſſimam eſſe hanc eorum gloriolam, quòd nullorum ſit propria, ſed communis & Sectis omnibus, & Catholicis. ita vt Sectarij non ſolùm à Catholicis, verum interdum etiam à Sectarijs comburantur: verbi gratiâ, Seruetus Trinitarius à Geneuenſibus Caluiniſtis, & nuper duo Anabaptiſtæ ab Angloproteſtantibus. vt nihil iam dicam, quanta ab ijſdem Angloproteſtantibus ſub Elizabetha Regina annis nunc octodecim, quemadmodum & priùs ſub Henrico octauo & ſub Edouardo ſexto, Catholici noſtri & paſſi ſint & patiantur. Nam ſi & nos inſipientes eſſe vellemus, poſſemus viciſſim dicere Proteſtantibus ſic vanè gloriantibus, quod in ſimili cauſa dixit S. Paulus Apoſtolus de pſeudoapoſtolis, In quo quis audet, audeo [inquit] & ego. [Legantur enim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ huius temporis: Catholicorum in Gallijs, in Belgio, in Scotia, in Anglia, & alibi, Martyrum Paſſiones innumeras diras horribileſque commemorant. Sed quia inſipientes eſſe nolumus, vel ne & nos ſimus inſipientes, ecce non, ſicut Hæretici, nudè dicimus, Veteres Chriſtiani multa paſſi ſunt, Et nos patimur. Ergo nos illorum hæredes ſumus: ſed hoc quod ſolidum & ſingulare eſt, ac non commune omnium, dicimus: Veteres illos Chriſtianos qui tanta paſſi ſunt, & quorum ſe videri ſocios in paſſionibus cupiunt Proteſtantes, hos ipſos dicimus non fuiſſe Proteſtantes, ſed noſtros. &, ſi nondum ſatis 1.

Pſalm. 2. Auguſt. cō. Creſc. lib 3. cap. 51.

An. 1575. Iulii 22.

2. Cor. 11.

hoc ſit, addimus, eorundem Religionem ab ipſo Deo in Sacris Prophetarum literis illuſtriſſima habere teſtimonia. ex quibus inferimus, & noſtram hodie Religionem, quia (inquam) eadem eſt quæ illorum fuit, veram ac Diuinam eſſe. Propterea que quicquid contra eam Proteſtantes dicunt, faciunt, vel patiuntur, eſſe illis maioris damnationis cauſam: atque è diuerſo quicquid pro ea noſtri patiuntur, eſſe ipſis cauſam, eaſdem cum antiquis Martyribus coronas à Deo agonothete referendi.

Hæc igitur tam ſolida, tamque firma, quomodo demonſtramus? Certè multis modis, ijſque meridiana luce clarioribus. Primùm enim, euidenter oſtendi in Motiuo ſuperiori, primos Imperatores Chriſtianos, veterum illorum Perſecutorum ſucceſſores, & nominatim ipſum Conſtantinum Magnum, fuiſſe Religionis noſtræ. Et hos eiuſdem omnino Religionis fuiſſe cum Chriſtianis illis antiquioribus, quos eorum Maiores perſecuti ſunt, præterquam quòd ex eo patet, quia Conſtantinus pro illis Martyribus contra Tyrannos Diocletianum, Maximinum, Licinium, Maxentium depugnauit, etiam apertiſſimis Prophetæ verbis teſtatur Deus, quibus & illam ſibi probari religionem, ſimul docet, dum ita palàm Eccleſiæ
Iſa. 60. ſuæ loquitur: Et venient ad te curui, filij eorum qui humiliauerunt te. Potuitne manifeſtius exprimere, eandem Eccleſiam fuiſſe, & Dei Eccleſiam fuiſſe, tum eam quam priùs perſequendo humiliauerunt, tum eam ad quam poſtea conuerſi, curui humileſque venerunt? Quoniam igitur poſterior, ad quam Imperatores conuerſi ſunt, noſtra fuit, vt oſtendi: ſequitur neceſſariò, & priorem quã perſecuti ſunt, noſtram fuiſſe. &, quia vtra-
II. que illarum Dei fuit, & noſtram Dei eſſe. Deinde, in Motiuo ſecundo demonſtraui, illis omnibus Perſecutionibus declaratum eſſe ſecundũ Scripturas, quòd qui oppugnant Eccleſiam viſibilem, nihil aliud niſi contra ſtimulum calcitrant: eos enim ſibi quidem ipſis nocere, Eccleſiam autem viſibilem ſemper inconcuſſam ſtare. Ex quo rurſus cõſequens eſt, Eccleſiam quæ tunc in perſecutione fuit, nunc noſtram eſſe, quia aliter (vt in confeſſo eſt) non ſemper ſuperſtes, vel non ſemper viſibilis extitiſſet: cùm nulla alia multitudo Chriſtianorum, præter noſtram, ſit, in quã illa viſibilis hactenus perdurarit. ita vt propterea Hæretici qui ſuam nunc, & antiquam illam, volunt eandem eſſe, cogantur cõtra eadem quæ in dicto Motiuo clariſſimè demonſtraui, dicere, quòd illa medijs his multis centenis annis vel perierit vel diſparuerit. Tertiò, Perſecutiones illæ non ſolùm (vt dixi) nihil nocuerunt Eccleſiæ, ſed etiam plurimum eidem profuiſſe noſcuntur. Illas igitur vtilitates ſi cõtemplemur, ex eis rurſus religionem Eccleſiæ tum afflictæ intelligemus. Ac de vtilitate quidem conuerſionis

Regum

Regum iam admonui. Porrò alias vtilitates recenſet D. Auguſtinus, ad III.
illum verſiculum Pſalmi 118: Multi perſequentes me & tribulantes me: à *Auguſt. in*
teſtimonijs tuis non declinaui. Factum eſt [inquit Auguſtinus] nouimus, *Pſal. 118. in Ret.*
recolimus, agnoſcimus. [ſed quid inde ſecutum eſt vtilitatis?] Purpurata “
eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrum: floret cælum coronis Martyrum: “
ornatæ ſunt Eccleſiæ Memorijs Martyrum: inſignita ſunt tempora Nata- “
litijs Martyrum: crebreſcunt ſanitates meritis Martyrũ. [& addit:] Vnde “
hoc, niſi quia impletum eſt quod prædictum eſt de Homine iſto [id eſt, “
Chriſto Myſtico, ſeu Eccleſià] toto terrarum Orbe diffuſo, Multi perſe- “
quentes me & tribulantes me, à teſtimonijs tuis non declinaui. Agnoſci- “
mus, & gratias agimus Domino Deo noſtro. Tu namque homo, tu in alio “
Pſalmo, tu ipſe dixiſti, Niſi quia Dominus erat in nobis, fortaſſe viuos ab- *Pſal. 123.*
ſorbuiſſent nos. Ecce quare ab eius teſtimonijs non declinaſti, & ad pal- “
mam ſupernæ vocationis inter manus multorum perſequentium tribu- “
lantiumque veniſti. [Eandem vtilitatem etiam S. Chryſoſtomus comme-
morat, tantumque in ea momenti ponit, vt inde concludat contra Genti- *Chryſoſt. cõ. Gent. quod*
les, quòd Chriſtus ſit Deus, niſi ſi quid fortè Proteſtantes & hîc iuuare eos *Chriſtus ſit*
contra Chriſtum queant.] Numera [inquit Chryſoſtomus] quot Tyranni *Deus, col. 1039.*
ab illo tempore [quo Chriſtus dixit, Super Petram hanc ædificabo Eccle- *Matth. 16.*
ſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam] aduerſus ip- “
ſam inſtruxerunt acies, quot grauiſſimas Perſecutiones mouerunt: quo- “
modo toto priore tempore, quando nouitia erat fides, & nuper plantata, “
teneræque hominum mentes, Gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, “
Veſpaſianus & Titus, & poſt illum omnes, vſque ad B. Conſtantini tem- “
pora: & omnes illi, alij minùs, alij ſæuiùs infeſtabant Eccleſiam, infeſtabant “
tamen omnes. quòd ſi qui ipſorum viſi ſunt manſueti, hoc ipſum quòd “
Reges manifeſtè in impietate erant, materia aliqua bellorum erat, cum “
alij eis adularentur, alij ſatagerent, vt aduerſus Eccleſiam bella ſuſcipe- “
rent. Veruntamen inſidiæ & machinationes illæ omnes leuiùs quàm “
araneorum telæ, diſcerptæ ſunt. Et ea quibus nos inuadebant, & quibus “
inſidiabantur, citiùs fumo diſſoluta, puluere præterierunt infirmiora. “
[Nihil igitur nocuerunt: ſed quid profuerunt?] Magnum enim nobis “
numerum Martyrum implerunt, immortaleſque illos Eccleſiæ theſau- “
ros reliquerunt, & columnas, & turres, & eos qui non ſolùm viuentes, “
ſed & mortui poſteris magnæ vtilitatis materia facti ſunt. [quibus ſub- “
iungit, dicens Gentili, ſimulque Proteſtanti:] Vides prædictionis robur?
Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Ab his & de futuris cre- “
de, quòd nullus obſiſtet.

IIII. Quartò, idem, quòd ſcilicet illa Perſecutionum Eccleſia noſtra fuerit, & non Proteſtantium, intelligi poteſt facilè, etiam ex Perſecutionum cauſa, quam Lactantius his verbis refert: Nam cùm dijs ſuis
Lact. lib. 4. cap. 27.
„ immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo „ litant, Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates. Et hæc ſæpè cauſa „ præcipua iuſtitiam perſequendi, malis Regibus fuit. Cùm enim qui-„ dam miniſtrorum noſtrorum ſacrificantibus dominis aſſiſterent, im-„ poſito frontibus Signo Deos illorum fugauerunt, ne poſſent in viſce-„ ribus hoſtiarum futura depingere. Quod cum intelligerent Aruſpices, „ inſtigantibus iiſdem dæmonibus, quibus proſecrarant, cõquerentes, pro-„ fanos homines ſacris intereſſe, adegerunt Principes ſuos in furorem, vt „ expugnarent Dei Templum, ſeque vero ſacrilegio cõtaminarent, quod „ grauiſſimis perſequentium pœnis expiaretur.

V. Quintò intelligi idem poteſt his quæ ſcripta ſunt de Religione impedita, ceſſante, vel intermiſſa ſub illis Perſecutionibus, & poſt eas iterum reparata: ſi inquiramus ſcilicet, vtrùm ea fuerit Proteſtantium, an noſtra. Auguſtinus igitur fideliſſimus antiquitatis teſtis (quo titulo
Caluin. Inſtit.
Caluinus dignatur eum) ſcribens de quæſtione fugæ Miniſtrorum in Perſecutione, ponenſque in eo puncto ſolutionem, vt neceſſario mi-
Aug. Epiſt. 180. ad Honerat.
„ niſterio, ſine quo viuere nequeunt, non deſtituantur greges quantuli-„ cunque plebis Dei manentis, quod rurſus vocat Miniſterium Chriſti, „ ſine quo non poſſunt homines vel fieri vel viuere Chriſtiani, item „ Officium, ſine quo eſt plebi certa pernicies non in rebus vitæ huius, ſed „ alterius incomparabiliter diligentius ſoliciriuſque curandæ: [per hoc ſatis oſtendit, non fuiſſe plebes illas Proteſtantium, quippe qui nullum planè miniſterium tam eſſe neceſſarium dogmatizant, nec ipſum quidem baptizandi officium. adeò vt nuper in Anglia apud Exoniam Miniſter quidam Caluiniſmi, nomine Bluettus, poſtquam neceſſitatem Baptiſmi in publica Diſputatione contra comminiſtros ſuos eruditè defenderat, inſtigatione eorundem à Pſeudoëpiſcopo Exonienſi coniectus ſit in carcerem, nec dimitti antè potuerit, quàm ſententiam illam publicè recantaſſet, licèt pro ſe & S. Auguſtinum, & ipſum illum Pſeudoëpiſcopum, qui cum eo ſentiens, ad illam diſputationem cohortatus eum fuerat, allegaret. his enim non obſtantibus, audiuit à tyrannico pſeudoëpiſcopo, quòd deſiſtere deberet à ſententia, neque vnus contra plures præualere, ſiue Auguſtino ſiue ipſa veritate etiam niteretur. Ergo per illam neceſſitatem Miniſteriorum Eccleſiaſticorum ſatis oſtendit Auguſtinus, non fuiſſe Proteſtantes, illos in illis Perſecutionibus

nibus Chriſtianos. Sed magis adhuc oſtendet in ſequentibus. ſic enim porrò ait: Cum autem plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ouibus? Veniet enim lupus, non homo, ſed Diabolus. [& quid ille in perſecutionibus ſolet?] qui plerunque [inquit] fideles, apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici Corporis defuit. [Vnde vident noſtrates fontem ipſum, ex quo in Anglia tam multi exiſtunt de Hæreticis iam apoſtatæ, athei, & achriſti. ita vt ipſi quoque Hæretici Angli nuperrimè typis excuderint Terribile exemplum (vt vocant) horrendi iudicij Dei recens editum Londini in blaſphema quadam execrante fœmina, ad terrorem (inquiunt) omnium horribiliter iurantium, execrantium, & mendacium Atheiſtarum nullius religionis exiſtentium. Fœmina autem illa poſt multas ſui execrationes, vt ſcilicet dehiſceret terra &c. niſi verum diceret, protinus in eodem loco concidit, & loquendi facultate amiſſa, mox ſtercora ſua per diabolicum os euomuit, & ſic ſeptimo pòſt die extincta eſt, eodem genere & miraculo mortis, quo ante paucos annos Iuellus dicitur, Hæreticorum Golias, blaſphemus exprobrator Caſtrorum Dei viuentis, de quo iam ſæpè locutus ſum. Ecce, vnde ſint iſti (quos fatentur) atheiſtæ, docet eos Auguſtini experientia frequens, ex eo ſcilicet quòd legibus ſuis Caluiniſticis, tyrannicis, apoſtaticis, fecerint, vt octodecim annos quotidianum miniſterium Dominici Corporis Angliæ iam defuerit. Ac dicit inſuper Auguſtinus, vnde adhuc magis conſtet quod de illis Chriſtianis dico:] An non cogitamus, cùm ad iſtorum [in perſecutione] periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi: quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus: alijs Baptiſmum flagitantibus, alijs Reconciliationem, alijs etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem? Vbi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos qui de iſto ſeculo vel non Regenerati exeunt vel Ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum & miniſtrorum? [Ac deinde è diuerſo ait:] Si autem Miniſtri adſint, pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubuenitur: alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur, omnes conſolantur, ædificantur, exhortantur, vt Deum rogent qui potens eſt omnia quæ timentur, auertere, paratì ad vtrumque, vt ſi non poteſt ab

Ioan. 10.

eis calix

„ eis calix iſte tranſire, fiat voluntas eius qui mali aliquid non poteſt velle.
[In his itaque non ſolùm neceſſitas, verumetiam ſpecificatio miniſteriorum apertè declarat, Eccleſiam noſtram fuiſſe quæ illis temporibus vaſtabatur, vtpote quæ & in ſe habeat quotidianum miniſterium Dominici Corporis, & miniſteria Reconciliationis, atque Actionis pœnitentiæ, Ligationis atque Solutionis, ac non ſolùm Baptiſmi: & eadem miniſteria doceat eſſe neceſſaria ſaluti quæ in Chriſto eſt: & conſtet denique ex Epiſcopis & Clericis ac Laicis, quos ordines ſæpè ibi Auguſtinus nominat: quorum nihil in Synagoga Proteſtantium inuenitur.

Et hæc quidem manifeſtius elucecſcent, ſi iam à toto Perſecutionum genere ad ſpecies ſingulas deſcendamus: &, cùm plurimæ fuerint partim Gentilium, partim Hæreticorum perſecutiones (de quibus S. Hieronymus: Legimus, vidimus, quotidieque comprobamus: quando perſecutio contra Eccleſiam oritur, multo peiores perſecutores Iudæos & Hæreticos in Chriſtianos fieri, quàm Ethnicos) quænam in ſingulis religio prodita nobis ſit, in Antiquorum literis diſpiciamus. Quantumque ad Hæreticos pertinet, Arrianorum (nam de cæteris parum aut nihil dicam) varias habemus ſub Conſtantio, ſub Valente, Auguſtis, ſub Iuſtina Auguſta, & ſub Vandalis perſecutiones. Gentilium verò ante iſtos omnes continuæ ferè à prima Apoſtolorum prædicatione vſque ad conuerſionem Conſtantini Magni referuntur Perſecutiones, ſed decem inter cæteras maximè decantatæ. quæ ſecundum Sulp. Seuerum ſunt iſtæ: prima ſub Nerone, ſecunda ſub Domitiano, tertia ſub Traiano, quarta ſub Hadriano, quinta ſub Aurelio Antonini filio, ſexta ſub Seuero, ſeptima ſub Decio, octaua ſub Valeriano, nona ſub Diocletiano & Maximiano, eaque omnium acerbiſſima (vt idem Seuerus ſcribit,) quæ per decem
„ continuos annos plebem Dei depopulata eſt. qua tempeſtate omnis ferè
„ ſacro Martyrum cruore orbis infectus eſt: quippe certatim glorioſa in
„ certamina ruebatur, multoque auidius tum martyria glorioſis mortibus
„ quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus prauis ambitionibus appetuntur.
„ Nullis vnquam magis bellis mundus exhauſtus eſt. Neque maiore vn-
„ quam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci
„ non potuimus. Extant etiam mandatæ literis præclaræ eius temporis
„ Martyrum paſſiones: quas connectendas non putaui [inquit] ne mo-
„ dum operis excederem. Sed finis Perſecutionis illius fuit, abhinc annos
„ nouem & octoginta. à quo tempore Chriſtiani Imperatores eſſe cœpe-
„ runt. Namque tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus om-
„ nium Romanorum Principum Chriſtianus fuit. Sanè tum Licinius, quia
aduerſum

Hier. in Ald.

Seuer Hiſt. Sac. lib. 2.

aduerſum Conſtantinum de Imperio certauit, milites ſuos litare præceperat: abnuentes, militiâ reijciebat. Sed id inter Perſecutiones non computatur: adeò res leuioris negotij fuit, quàm vt ad Eccleſiarum vulnera perueniret. Exinde tranquillis rebus pace perfruimur: neque vlteriùs perſecutionem fore credimus, niſi eam quam ſub fine ſeculi Antichriſtus exercebit. Etenim ſacris vocibus, decem plagis mundum afficiendum, pronunciatum eſt: ita cum iam nouem fuerint, quæ ſupereſt, vltima erit. [Alij quidem aliter computant: verum ſic Seuerus, qui Arrianorum Conſtantij & Valentis prælia, ſicut & alia multa ſimilia, quia non fuerunt vniuerſalia, vel quia nõ tam grauia, vel propter aliam quamlibet cauſam, Perſecutionum nomine non dignatur. Noſtro tamen inſtituto & hæ ſeruient peræquè.

Per has igitur ſingulas Perſecutiones inueſtigetur quæ tum fuerit religio perpeſſorum: idque ex illis Literis, quibus mandatas Martyrum Paſſiones ſub Diocletiano dixit Seuerus, & ex alijs æquè authenticis. Imprimis certè (ſitque id hîc à me ſexto loco dictum, & à lectore diligentiſſimè obſeruatũ) ſpondeo ac promitto (& doceant Hæretici, ſi poſſint, me aſſertione falli) nihil quicquam in earundem Perſecutionum hiſtorijs reperiri poſſe, quod in iſtis tam multis articulis hodie inter nos & Proteſtantes cõtrouerſis, palmã abiudicet nobis, adiudicet Proteſtantibus. Sed è diuerſo cõtra illos pro nobis tam multa ſunt, vt ſola facerent magna volumina. Addendo igitur ſeptimo loco multa confertim particularia ad ſuperiora de perſecutionibus in genere dicta: ſi per ſingulas ipſas Perſecutiones diſquiramus religionem ſecundum hæc tria capita, quam ſcilicet Chriſtiani in perſecutionibus oſtendebant, & quam perſecutiones impediebant, & quam Chriſtiani poſt perſecutiones reparabant, vbique & in omnibus veſtigia Religionis noſtræ, nuſquam autem Proteſtantium, apparebunt. Quæ ergo ſub Diocletiano & Maximiano Herculio geſta ſunt in Britannia noſtra, narrat Beda; quæ verò in omnibus ferè Gẽtibus Chriſtianis, narrat Euſebius, & alij vniuerſales Hiſtorici. Et Beda quidem: Vbi [inquit] turbo Perſecutionis quieuit, progreſſi in publicũ fideles Chriſti, qui ſe tẽpore diſcriminis ſyluis ac deſertis abditiſue ſpeluncis occultauerãt, renouant Eccleſias ad ſolum vſque deſtructas, Baſilicas ſanctorũ Martyrũ fundant, conſtruunt, perficiunt, ac velut victricia ſigna paſſim propalant, Dies feſtos celebrant, Sacra mundo corde atque ore conficiunt. [Et inter cætera, in loco vbi paſſus eſt S. Albanus,] Eccleſiã admirandi operis, atque eius Martyrio cõdignam extruxerunt. in quo videlicet loco vſque ad hanc diem [inquit Beda] curatio

VI.

Beda Hiſt. Angl. lib. 1. cap. 8.

Cap. 6. 7.

» infirmorum, & frequentium operatio virtutum celebrari non deſinit.
Euſ.hiſt.li. 10. cap. 3. [Euſebius verò ſic: Deinceps [ſublato ſcilicet Maximiano] celebre ſpe-
» ctaculum, nobis omnibus optabile & vehementer deſideratum, ante om-
» nium oculos proponebatur: Dedicationum ſcilicet feſtiuitates per vrbes
» ſingulas, Templorum nuper exædificatorum conſecrationes, &c, pere-
» grinorum longè ab exteris regionibus accedentium concurſus, &c: accu-
» rata Sacrorum Myſteriorum adminiſtratio: decori Eccleſiæ ritus, inter-
» dum Pſalmorum cantu, & cæteris hymnorum nobis diuinitus traditorum
» recitationibus, nonnunquam diuinis & myſticis miniſterijs exequendis
» celebrati: erant item arcana Paſſionis Seruatoris ſymbola. &c. Singuli
» etiam Eccleſiarum præſides, ſingulas orationes panegyricas habuerunt,
» quibus quiſque eam celebritatem prædicauit. [ſubijcitque ibi exempli
cauſâ, panegyricam Tyrij cuiuſdam habitam Tyri in dedicatione Templi.
de qua, & de Templis iſtis, precibuſque in eis tum celebratis plura in
duobus ſequentibus Motiuis ſum dicturus. Hæc igitur interim quam re-
ligionem ſpirant? Num Proteſtantium? Nónne noſtram? in tantum, vt
& quas tunc fecerunt ruinas Tyranni, eaſdem nunc in Zelandia, Hol-
landia, Anglia, Scotia, Gallia, & alibi fecerint Proteſtantes: & quas
poſtea Chriſtiani exædificationes, dedicationes, & conſecrationes Tem-
plorum celebrauerunt, eaſdem & nos vt deinceps celebremus, dari no-
bis aliquando diem vehementer deſideremus, optemus, & ſperemus.
Euſ.lib.7. cap. vlt. Et lib 8. c. 1. 2. 22. Legatur Euſebius, vbi flebiliter deſcribit illas euerſiones & vaſtitates
Eccleſiarum: & quot etiam contumelias, quot ignominiæ notas, quot
» tormentorum genera, ab Imperatorum procuratoribus & magiſtratibus,
» per varia tempora, pro ſacris Eccleſiarum vaſis & theſauro, præſides
» Eccleſiarum ſubierint. Omniaque inuenies ſimillima Hugonotis, Geu-
VII. ſeis, & reliquæ Hæreticorum fæci ſacra omnia deuaſtantium. Narrat
porrò, Maximinum retractaſſe ſecuritatem ab alijs Imperatoribus con-
ſortibus ſuis poſtea conceſſam atque à ſe ad tempus diſſimulatam, & nos
Lib.9.c.2. conuentu [inquit Euſebius] qui in Cœmeterijs à nobis fieri ſolet, inter-
» dicere conatur. [ita vt cùm poſtea ſucceſſibus & literis Conſtantini ter-
ritus, libertatem Chriſtianis dare videretur, tamen nemo noſtrum
Cap.8. » [inquit Euſebius] aut conuentus cogere, aut ſe in aperto collocare, aut
» templa exædificare, vel aliud quippiam eorum quæ nobis in more poſita
» ſunt, tranſigere auderet. [In ſuperiori quoque perſecutione ſub Valeria-
no & Galieno, Æmilianus Præſes interdixit Dionyſio Alexandrino
Euſ.lib.7. Epiſcopo cum ſuis, dicens: Neque vſquàm omnino vel vobis, vel alijs
cap.10. » quibuſque poteſtas erit aut celebrandi conuentus, aut in ea quæ Cœme-
teria ap-

teria appellantur, ingrediendi. [In his autem conuentibus & Cœmeterijs celebrabant Sacramenta, ac nominatim Miſſam, eamque in honorem Sanctorum Martyrum, a quorum Reliquijs ibi honorificè conditis Cœmeteria, id eſt Dormitoria vocabantur. vt ex paulò infrà ſequentibus manifeſtum erit. & hæc faciebant diebus potiſſimum feſtiuis Chriſto Sanctiſque eius, quos in Eccleſia catholica hactenus obſeruantes, audimus ab imperitis Hæreticis illud Pauli, Dies obſeruatis, & menſes, & annos, neſcientibus ſcilicet inter Iudæorum & Chriſtianorum feſta diſtinguere. Quid enim nos aliud facimus, quàm quod Chriſtiani illi (de quibus agimus) celebrantes ſacros conuentus? Vnde & ſub Seuero ſcriptum reliquit idem Euſebius de Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymorum mirabiliter vertente aquam in oleum pro luminaribus, in magna & ſolenni Paſchatis Vigilia. & mox narrat quòd ex viſione Alexander epiſcopus Cappadociæ, qui Hieroſolymam tum voti, tum locorum viſendorum causâ veniſſet, eidem Narciſſo ſeni in Epiſcopatu fungendo coniungitur. Georgij item Arriani debacchationem narrans Athanaſius (& ex eo Socrates) dicit, quòd perditos illos conatus adauxit, tempore Quadrageſimæ accedens. Nam poſt Hebdomadam Paſchatis tranſactam, Virgines in carcerem conijci cœptæ ſunt. [Deinde,] hobdomada ſacroſanctam Pentecoſten ſubſequenti, populus ieiunauerat. in Cœmeterium propterea precatum egreditur, quòd omnes Georgij deteſtarentur communionem. [Ille ipſo die Dominico immittit in eos Sebaſtianum ducem cum militibus. Cuius generis eſt, quod de Eutychianis quoque hæreticis Euagrius ex Epiſtola Epiſcoporum Ægypti & Cleri Alexandrini ad Leonem Imperatorem refert, quòd Proterium Epiſcopum conſuetas celebrantem Synaxes, & confugientem ad venerandum Baptiſterium, quem locum maximè omnium, etiam barbari & agreſtes homines, qui ſacratum eius decus & gratiam inde emanantem penitus ignorant, violare extimeſcunt, illi tamen ne in puris illis & inuiolatis quaſi adytis ſeruari paſſi ſunt, neque ſanctimoniam loci, neque tempus (ſolennis enim dies feſtus ſalutaris Paſchatis tum celebrabatur) reuerentes, neque reformidantes Sacerdotij dignitatem, quæ inter Deum & homines mediatrix eſt, innocentem occidunt, crudeliterque cum alijs ſex è medio tollunt.

Gal. 4.

Euſeb. lib. 6 cap. 8.

Euſ. lib. 6. cap. 9. Soc. lib. 7. cap. 35.

Athan. in Apol. Soc. lib. 2. cap. 22.

Euag. lib. 2. cap. 8.

Talia narrat etiam Victor de Vandalis in Africa Arrianis, dicens, quòd Proculus quidam [miſſus à Genſerico Rege Arriano contra Catholicos,] rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis Altaris (proh nefas) camiſias ſibi & fœmoralia faciebat. Qui tamen Proculus

Vict. lib. 1. ſ. h. b.

» huius rei executor, fruſtratim ſibi comedens linguam, in breui turpiſ-
» ſima conſumptus eſt morte. [Et paulò inferius:] Quodam tempore Paſ-
» cha'is ſolennitas agebatur: & dum in quodam loco qui Regia vocita-
» tur, ob diem Paſchalis honoris noſtri ſibimet clauſam Eccleſiam reſe-
» rarent, [irruunt armati Arriani.] Et tunc fortè Lector vnus pulpito
» ſiſtens, Alleluiaticum melos canebat. quo tempore ſagitta in gutture
» iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus pòſt cecidit ipſe. Nam
» & alij quàm plurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis Altaris pro-
» bantur occiſi. [Alijs quoque locis varijs,] tempore quo Sacramenta Dei
» populo porrigebantur, introeuntes, maximo furore Corpus Chriſti
» & Sanguinem pauimentis ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcane-
» runt. [Et alibi:] Dies Epiphaniorum illuceſcebat: Cæco ciuitati Car-
v. B. lib. 2. fol. 21. a. thaginenſi notiſſimo, à Domino prædicitur nocte per viſum, Surge, vade
» ad ſeruum meum Eugenium epiſcopum, & dices ei, Quia ego te ad illum
» direxi. Et illâ horâ quâ benedicit Fontem, vt baptizentur accedentes
» ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur. [Qui tertiò monitus,] per-
» git velociter ad Fauſti Baſilicam, &c. audienſque Epiſcopus, per diaconũ,
» iuſſit hominem introire. Iam enim ob celebritatem Feſtiuitatis, Hymni
» Nocturni per totam Eccleſiam canente populo concrepabant. Denique
» pergit cum eo, comitante officio Clericorum, ad Fontem. vbi fixis geni-
» bus, cum ingenti gemitu, pulſans ſingultibus cælum, criſpantem benedi-
» xit alueum Fontis. Et cùm completa ſurrexiſſet oratione, ita Cæco reſ-
» pondit: Iam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego ſum: ſed qui te vi-
» ſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos
» tuos. ſimulque vexillo Crucis conſignante oculos eius, ſtatim Cæcus
» viſum, Domino reddente, recepit. &c. Procedit ad Altare cum Eugenio,
» ſicut moris eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino red-
» diturus. quam Epiſcopus accipiens, Altari impoſuit &c. Dicunt autem
» Arrianorum Epiſcopi, Hoc Eugenius per maleficia fecit, &c. [Idemque
a lib. 3. fol. 53. b. alibi meminit etiam [a] Signationis frontis inter baptizandum: item [b] ve-
b fol. 43. a. » ſtis candidæ, & Suſceptorum, narrans de Muritta diacono, qui dudùm
c fol. 46. b. in Eccleſia S. Fauſti Perſecutorem de alueo Fontis ſuſceperat genera-
» tum, quòd quibus eum ſuſcipiens de Fonte dudum texerat, σάβανα ba-
» iulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extentis,
» in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouiſſe dicitur ciuitatem.
» Hæc ſunt linteamina, Elpidofore miniſter erroris, quæ te accuſabũt, dum
» Maieſtas venerit iudicantis, cuſtodiente diligentia mea ad teſtimonium
» tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te

immacu-

immaculatum cinxerant de Fonte ſurgentem. Hæc te acriùs perſequen- "
tur, flammantem gehennam cùm cœperis poſſidere, &c. Quid facturus es "
miſer, cùm te exutum ſtolam Rex conſpiciet nuptialem, dicetque tibi, *Matth. 22.*
Amice, &c, perdidiſti militiæ chlamydem, quam in telâ Virgineorum "
membrorum decem menſibus texui: Et tendiculas Crucis, quas exten- "
dens aquam mundaui, & purpurâ mei Sanguinis decoraui, non conſpi- "
ciunt oculi mei: characterem non video Trinitatis. Talis intereſſe non "
poterit epulis meis, Ligate eum pedibus & manibus funiculis ſuis, quia "
ſe ipſe voluntariè ſeparare voluit à Catholicis dudum fratribus ſuis. &c. "
[Aliàs etiam extant apud eum apertiora teſtimonia data Operi opera- VIII.
to in Baptiſmo gratiam conferenti. vt quando Regi Arriano vir nobiliſ-
ſimus atque Catholicus martyr Sebaſtianus dixit in ſapientiſſima pro-
feſſione fidei ſuæ, inter cætera: Ego per officia Sacramentorum Diuino- *Lib. 1. fol. 4. b.*
rum, artifice Deo, de Fonte mundus aſcendi, &c. [Et quod Eugenius
quoque ſupradictus Carthaginenſis Epiſcopus dixit, Virtutem ſanctifica- *Lib. 2. fol. 28. b.*
tionis liquoris natura percipit.

Narrat autem idem de Rege Genſerico Arriano, eum præcepiſſe
Vandalis ſuis, vt Epiſcopos atque laicos nobiles de ſuis Eccleſijs & ſedi- *Lib. 1. fol. 3. b.*
bus nudos penitus fugarent. [& paulò pòſt:] Pulſo igitur Epiſcopo Car- "
thaginenſi Quodvultdeo, cum Clero venerabili, ilico Eccleſiam, nomi- "
ne Reſtitutam, in qua ſemper Epiſcopi commanebant, ſuæ religioni "
mancipauit: atque vniuerſas quæ intra muros fuerant Ciuitatis, cum ſuis "
diuitijs abſtulit. Sed etiam quæ foras muros erant, quaſcumque voluit, "
occupauit, & præcipuè duas egregias & amplas ſancti Martyris Cypria- "
ni, vnam vbi ſanguinem fudit, aliam vbi eius ſepultum eſt corpus. [ſed "
& ᵃ Eccleſias S. Perpetuæ, S. Felicitatis, S. Celerinæ, & Scillitanorum *a fol. 2. b.*
Martyrum.] Quis verò [inquit Victor] ſuſtineat atque poſſit ſine lachry- "
mis recordari, dum præciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine ſo- "
lennitate Hymnorum, cum ſilentio ad ſepulturam perduci? [Igitur Sacer- *fol. 4. a.*
dotes] cœperunt qualiter poterant & vbi poterant, ablatis Eccleſijs, Diui- "
na Myſteria celebrare. [ſicut & nunc in Anglia noſtra faciunt. Et infra:] *fol. 5. a.*
Terret præceptis feralibus, vt in medio Vandalorum noſtri nullatenus "
reſpirarent: neque vſquam orandi, aut immolandi concederetur gementi- "
bus locus: vt manifeſtè tunc Prophetæ vaticinium compleretur: Non eſt *Dan. 3.*
in hoc tempore princeps, aut Propheta, vel dux, neque locus ad ſacrifican- "
dum nomini tuo. [Tandem autem] mortuo Genſerico, Hunericus filius *Lib. 2. fol. 13. b. 12. a.*
ſuccedens, primordio Regni (vt habet ſubtilitas Barbarorum) cœpit "
mitiùs & moderatiùs agere, & maximè circa Religionem noſtram, "

m 3 vt etiam

„ vt etiam vbi antea ſub Rege Genſerico præiudicatum fuerat, ne ſpirita-
„ les herent conuentus, conuenticula concurrerent populorum. [Miſit-
que notarium ad Catholicos Carthaginenſes, cum Edicto hoc, vt publicè
„ legeretur:] Iuſſit vobis dominus dici : Quia Imperator Zenon, & nobi-
„ liſſima Placidia per Alexandrum virum illuſtrem ſcripſerunt, petentes
„ vt Eccleſia Carthaginis, Religionis veſtræ proprium Epiſcopum habeat
„ (quæ iam per 24 annos, [inquit Victor,] tali ornamēto fuerat deſtituta.
„ [vnde ordinato mox Eugenio,] exultat multitudo Catholica. nam ma-
„ ximus iuuenum numerus atque adoleſcentularum ſibimet in commune
congaudens [paulò ſcilicet religioſius affecti, quàm Argentinenſes illi,
Sleidan. ad an. 1550. reſtitutam Miſſam celebrante catholico Sacerdote, de quibus Sleidanus
impius ſeu narrat ſeu fingit,] atteſtabatur, quòd nunquam vidiſſet Epiſ-
„ copum in throno ſedentem. [ſed in Edicto ſequitur Notarius, dicens:]
„ hoc fieri præcepit Rex, atque eis reſcripſit, vel legatis eorum dici iuſſit,
„ vt ſicut petierunt vobis Epiſcopum quem volueritis ordinetis: eo ſub
„ tenore, vt noſtræ religionis Epiſcopi qui in Conſtantinopoli ſunt, &
„ per alias Prouincias Orientis, ex eius præcepto Epiſcopi liberum arbi-
„ trium habeant, in Eccleſijs ſuis, quibus voluerint linguis populo tracta-
„ re, & legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos hic vel in alijs
„ Eccleſijs quæ in Prouincijs Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium
„ habetis in Eccleſijs veſtris Miſſas agere, vel Tractare, & quæ legis veſtræ
„ ſunt, quemadmodum vultis, facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit ob-
„ ſeruatum, tam Epiſcopus qui ordinatus fuerit vel Clerici, ſed & alij
„ Epiſcopi cum clericis ſuis qui in Africanis Prouincijs ſunt, iubentur in-
„ ter Mauros [qui Pagani erant] mitti. Et ſubdit Victor: Quod edictum
„ dum, nobis præſentibus, 14. Kal. Iul. vniuerſæ Eccleſiæ legeretur, ge-
„ mere cœpimus muſſitantes, eo quòd meditantibus dolos, malorum eſſet
fol. 16. b. futura perſecutio preparata. &c. [Et accidit poſtea quod timebant, ita vt
„ perfidus Tyrannus Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Eccleſiæ
„ membra, ad quatuor millia nongentos ſexaginta ſex, ad exilium Eremi
deſtinauerit. [quos ſanctiſſimos viros, tanquam pecudes fuiſſent, minan-
fol. 18. b. tibus Mauris,] Quantæ tunc multitudines [inquit Victor] de diuerſis
„ regionibus & ciuitatibus, ad viſendos Dei Martyres occurrerint popu-
„ lorum, teſtantur viæ vel ſemitæ : quæ cùm agmina venientium nequa-
„ quam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fide-
„ lium ineſtimabilis deſcendebat, cereos manibus geſtantes : ſuoſque in-
„ fantulos veſtigijs Martyrum projcientes, iſtâ voce clamabant : Quibus
„ nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt

paruulos

paruulos fontibus aquæ perennis? qui nobis Pœnitentiæ munus colla-
turi ſunt, & Reconciliationis indulgentiâ obſtrictos peccatorum vincu-
lis ſoluturi? quia vobis dictum eſt: Quæcumque ſolueritis ſuper terram, *Matth. 18.*
erunt ſoluta & in cælis. Qui nos ſolennibus orationibus ſepulturi ſunt
morientes? A quibus Diuini Sacrificij ritus exhibendus eſt conſuetus?
&c. [Quæ verba meminerit diligens Lector conferre cum verbis D. Au- *Attendant*
guſtini ſuprà citatis ex Epiſtola ad Honoratum, De fuga Miniſtrorum *Sleidani*
in Perſecutione: nec dubitabit, eandem fuiſſe Religionem eiuſdem D. *Argentinenſes.*
Auguſtini & iſtorum Afrorum conterraneorum ſuorum. Et minùs etiam *Num. 5.*
dubitabit, ſi reſciſcat, ipſam Epiſtolam ſcriptam ab Auguſtino eſſe occa- *Aug. Epiſt.*
ſione eorundem Vandalorum. quam proptereà ſic orditur:] Charitati *180.*
tuæ miſſo exemplo Epiſtolæ, quam fratri Quodvultdeo noſtro coëpiſ-
copo ſcripſi, putabam me hoc onere caruiſſe, quod mihi impoſuiſti, quæ-
rendo conſilium, quid in his periculis, quæ tempora noſtra inuenerunt,
facere debeatis. [in qua & meminit vaſtitatum quas ijdem Barbari ante
traiectionem in Africam Eccleſijs intulerant Hiſpaniæ. Verùm adhuc
etiam minùs dubitabit, qui recognoſcit, Victorem ſcripſiſſe (vt ipſe [a] di- *a lib.1.fol.*
cit) ſexageſimo anno poſt illum tranſitum Vandalorum, partemque *1.a.*
vnam eiuſdem & Hiſtoriæ & perſecutionis Vandalicæ eſſe hunc ipſum de
quo loquimur, Auguſtinum, dum de eo ſcribit Victor hæc: [b] Qua tem- *b lib.1.fol.*
peſta Hipponeregiorum obſeſſa eſt ciuitas, quam omni laude dignus B. *2.b.* *Poſsid. in*
Auguſtinus, Librorum multorum confector, Pontifex gubernabat. Tunc *Vita Aug.*
illud eloquentiæ quod vbertim per omnes campos Eccleſiæ decurrebat, *cap. 28.*
ipſo metu ſiccatum eſt flumen, &c.

Sed redeo ad Perſecutionem Hunerici: de quo cōſequenter refert IX.
Victor, quòd die Aſcenſionis Domini directum eſt Eugenio & cæteris *Lib.2.fol.*
catholicis Epiſcopis terribile Edictum eius, continens hæc verba: Rex *19.a.*
Hunericus Vandalorum & Alanorum, vniuerſis Epiſcopis Homou-
ſianis. Non ſemel, ſed ſæpiùs conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus
Vandalorum Sacerdotes veſtri conuentus minimè celebrarent, ne ſua
ſeductione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plu-
rimi reperti ſunt contra interdictum Miſſas in ſortibus Vandalorum
egiſſe, &c. [Inter quos Sacerdotes illud Interdictum hæreticum ac ty-
rannicum ſanctiſſimè violantes, vnus erat (quod operæpretium eſt ad-
uertiſſe, maximè Sacerdotes noſtros in Anglia nunc in ſimili ſed dam-
noſiori Hæreticorum Perſecutione Catholicos) hic ipſe Victor, ſcriptor
iſtorum. Loquens enim de illis ſupradictis quinque millibus Epiſcopis,
Presbyteris, Diaconis, & cæteris, Inquirit [inquit] anguſta & teterrima *fol. 18. a.*

loca in

» loca in quorum conclauibus Dei exercitum coarctaret. Tunc eis etiam
» viſitationis humanæ negata eſt conſolatio: puniuntur & cuſtodes fuſti-
» bus, & grauiter affliguntur: iactantur Confeſſores Chriſti ſuperinuicem
» anguſtia coarctante, vnus ſuper alium, vt agmina locuſtarum, & (vt
» propriè dicatur) vt grana pretioſiſſima frumentorum. In qua conſtipa-
» tione, ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci, ſed ſter-
» cora & vrinam, vrgente neceſſitate ibidem faciebant: vt ille tunc fœtor
» & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret. [Et his ſubiungit:] Ad
» quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus Vandalis,
» vix clàm admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes, veluti in gurgite luti,
» vſque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuiſſe
Thre. 4. » completum, Qui nutriti ſunt in croceis, amplexati ſunt ſtercora ſua.
a fol. 17. a. [Priùs autem vt narrat] a includebantur latiori cuſtodia. Vbi nobis
» [inquit] copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus fa-
» cere, & Diuina Myſteria celebrare. [Glorioſiſſimum autem exemplum
eſt, & omnibus Catholicis vehementer deſiderandum, atque conſtanter
& fortiter imitandum, quod poſt dicta ſtercora addit:] Quid multa?
» præcepti ſunt, vndique perſtrepentibus Mauris, ad iter vbi deſtinati
» ſunt, præparari. Exeuntes itaque Die Dominica, linita habentes ſter-
» coribus veſtimenta, facies ſimul & capita, à Mauris tamen crudeliter
Pſal. 149. minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes, Hæc eſt
» gloria omnibus ſanctis eius.

X. Et in hoc officio celebrandi Miſſas in carceribus, nihil fecit Victor & alij tunc Sacerdotes nouum, nihil ipſis Africanis Eccleſijs inuſitatum.
Cyp Epiſt. 5 Nam multò antè in Perſecutione Decij S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, cùm ipſe Eccleſiæ ſuæ intereſſe non poſſet, ſcribit ad Clerum
» ſuum, dicens: Peto vos pro fide, & religione veſtra, fungamini illic & ve-
ſtris partibus, & meis. [Primum quidem, vt confeſſoribus in carcere, & reliquis pauperibus in fide ſtantibus nihil deſit. Deinde,] Peto quoque ad procurandam quietem ſolertia & ſolicitudo veſtra non deſinat. [vbi duas partes facit. primam:] Et ſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad
» conueniendum, & viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtrauit iam
» glorioſis initijs Diuina dignatio, tamen cautè hoc, & non glomeratim,
» nec per multitudinem ſimul iunctam, puto eſſe faciendum: ne ex hoc
» ipſo inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur: & dum inſatia-
» biles multum volumus, totum perdamus. conſulite ergo & prouidete vt
» cum temperamento hoc agi tutius poſſit. [Alteram:] ita vt Presbyteri
» quoque qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconis

per vices

per vices alternent: quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo conuenientium minuit inuidiam. [Nec ſolùm in Carceribus tali tempore, verumetiam in priuatis ædibus Miſſæ Sacrificium obtulerunt. Vnde eſt illa narratio Victoris de catholicis Typaſenſibus, qui] dum ſuæ ciuitati Arrianum epiſcopum ex Notario Cyrillam ad perdendas animas ordinatum vidiſſent, omnis ſimul ciuitas euectione nauali de proximo confugit, relictis pauciſſimis qui aditum non inuenerunt nauigandi. quos Arrianorum Epiſcopus primò blandimentis, poſtea minis compellere cœpit, vt eos faceret Arrianos. Sed fortes in domino, non ſolùm ſuadentis inſaniam irriſerunt, verumetiam publicè Myſteria Diuina in domo vna congregati celebrare cœperunt. Quod ille cognoſcens, relationem occultè Carthaginem aduerſus eos direxit. Quæ cùm Regi innotuiſſet, Comitem quendam cum iracundia dirigens, præcepit, vt in medio foro, congregatâ illuc omni Prouinciâ, linguas eis & manus dextras radicitus abſcinderet. [Et vide miraculum: Nam] cum hoc factum fuiſſet, Spiritu ſancto præſtante, ita loquuti ſunt, [inquit] & loquuntur, quomodo antea loquebantur. [Quod idem multo etiam antè factitatum narrat Auguſtinus, in perſecutione ſcilicet Diocletiani & Maximini, inter initia Schiſmatis Donatiſtarum, ita dicens: Nam & domum priuatam Chriſtianis congregandis præſtitam conſtitit tempore Perſecutionis &c. ita vt feruente Perſecutione etiam in carcere dicantur baptizati martyres; & illic à Chriſtianis celebrata Sacramenta, vbi Chriſtiani propter eadem Sacramenta tenebantur incluſi. [Aliàs quoque in eodem Arrianico Perſecutionis genere, pulſatus à Iuſtina Imperatrice, Arrianæ Hæreſeos alumna, & altera Iezabel (vt eam Ruffinus vocat) ſanctus Ambroſius in Italia Mediolanenſis Epiſcopus, certiorem faciens Marcellinam ſororem ſuam quid de baſilicis tradendis actum ſit inter ipſum & officiales Curiæ, inter narrandum totius rei ordinem, dicit: Sequenti die (erat autem Dominica) poſt Lectiones atque Tractatum dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus [ij erant prouectiores in fide, qui nomina ſua dederant, vt breui baptizari poſſent] in Baptiſterijs tradebam Baſilicæ nouæ, hoc eſt intramuranæ, quæ maior eſt. Illic nunciatum eſt mihi, comperto quòd ad Portianam, hoc eſt extramuranam Baſilicam de Palatio decanos miſiſſent, & vela ſuſpenderent, populi partem [catholici ij erant] eò pergere [ad defendendam Baſilicam contra Regios.] Ego tamen manſi in munere: Miſſam facere cœpi. Dum Offero, raptum cognoui à populo Caſtulum quendam Arrianum. hunc autem in plateâ offenderant tranſeuntes. Amariſſimè flere, &

Vict. lib. 3. fol. 42. a.

Idem, Enag. lib. 4 cap. 14. ex Procopio.

Auguſt. in Collat. 3. diei, nu. 5. Et poſt Collat. cap. 14.

Ruf. lib. 2. cap. 16.

Amb. lib. 5. Epiſt. 33.

» orare in ipſa Oblatione Deum cœpi, vt ſubueniret, nec huius ſanguis in
» cauſa Eccleſiæ fieret, certè vt meus ſanguis pro ſalute non ſolùm po-
» puli, ſed etiam pro ipſis impijs effunderetur. Quid multa? Miſſis Pres-
» byteris & Diaconibus eripui iniuriæ virum. Condemnationes illico gra-
» uiſſimæ decernuntur: primò in corpus omne Mercatorum. Itaque
» ſanctis diebus Hebdomadis vltimæ [erat nempe Quadrageſima quando
» hæc gerebantur] quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtridunt
» catenæ, imponuntur collo innocentum, &c. Erant pleni carceres ne-
» gociatoribus. &c. honoratis multa minabantur grauiſſima niſi Baſilicam
» traderent. Feruebat perſecutio: ac ſi aperuiſſent [Catholici] portam,
XI. » prorupturi in omne facinus [Regij] videbantur. Conuenior ipſe à Co-
» mitibus & Tribunis, vt Baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Im-
» peratorem iure ſuo vti, eò quòd in poteſtate eius eſſent omnia. Reſ-
» pondi, ſi a me peteret quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argen-
» tum meum, ius huiuſmodi meum me non refragaturum, quanquam
» omnia quæ mea ſunt, eſſent pauperum. Verùm ea quæ Diuina, Impe-
» ratoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta. Si patrimonium petitur, inuadite:
» ſi corpus, occurram: Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? vo-
» luptati eſt mihi. Non ego me vallabo circunfuſione populorum, nec
» Altaria tenebo [quaſi aſylum] vitam obſecrans, ſed pro Altaribus gra-
» tiùs immolabor. Horrebam quippe animo cùm armatos ad Baſilicam
» Eccleſiæ occupandam miſſos cognoſcerem, ne dum Baſilicam [Catho-
» lici] vindicant, aliqua ſtrages [Regiorum] fieret quæ in perniciem to-
tius vergeret ciuitatis. [Denique Gotthi milites Regij conuerſi ſunt
ad Catholicos, ipſique etiam qui videbantur occupaſſe Baſilicam, co-
» gnito videlicet,] quòd præcepiſſem [inquit Ambroſius,] vt abſtine-
rentur à communionis conſortio. [Poſtremò dum ſermonem facit de
Ion. 4. Iona Propheta, & dum hæc valde opportuna verba loquitur, Dixiſſe
» Dominum, ſi illud doleret quòd exuſta eſſet cucurbita, quanto magis
» ſibi curæ eſſe oportere tantæ plebis ſalutem? [ſequitur,] Nec mora,
» nunciatur, Imperatorem iuſſiſſe vt recederent milites de Baſilica, ne-
» gociatoribus quoque quod exacti de condemnatione fuerant, reddere-
» tur. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plauſus? quæ
» gratia? Erat autem Dies quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo
» in Eccleſia Pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, ir-
» ruentes in Altaria oſculis ſignificare pacis inſigne. Tunc agnoui
» quòd Deus vermem antelucanum percuſſerat, vt tota ciuitas ſerua-
» retur. Hæc geſta ſunt, atque vtinam iam finita: ſed grauiores motus
futuros

futuros eſſe commotionis Imperialia verba indicant. Ego tyrannus «
appellor, & pluſquam tyrannus. &c. [De qua ipſa Perſecutione hæc, «
inter cætera, ſcribit Ruffinus: Ambroſius verò aduerſus Reginæ fu- *Ruf. lib. 2.*
rorem, non ſe manu defenſabat, aut telo, ſed ieiunijs, continuatiſ- *cap. 16.* «
ſque vigilijs ſub Altari poſitus, per obſecrationes defenſorem ſibi atque «
Eccleſiæ Deum parabat. [Et mox narrat, quòd appropinquante Ma-
ximo tyranno,] Iuſtina, hoſte ſimul atque impietatis conſcientia «
perurgente, in fugam verſa cum filio, exilia quæ Dei Sacerdotibus præ- «
parabat, prima ſortitur.

Quæ omnia, ſic in illis Gentilium & Hæreticorum perſecutioni- XII.
bus geſta, quis non videt clariſſima dare Religioni noſtræ teſtimonia? ita
vt ipſius adeò Miſſæ à qua tantopere abhorrent Antichriſtiani Hære-
tici, neque res, neque nomen defuerit. In qua certè, per illa perſecutio-
num tempora, non ſolùm in honorem Sanctorum Martyrum, ſed [b] etiam *b Cyp. Epi. 66.*
pro defunctorum requie, oblatum eſſe Sacrificium Corporis & Sangui-
nis Domini (in quo traducendo Hæreticorum regnant blaſphemiæ) fa-
cillimum eſt oſtendere. Sed id in Motiuo 22 vberius facturus ſum. Nunc
interim obſeruat ex his lector attentus, tam multa quæ in illis Perſecu- *Moti. 22. nu. 26. 27. 28. 29.*
tionibus paſſim leguntur de celebratione conuentuum, dici atque in-
telligi de celebratione Miſſarum. qualia iam commemoraui, plurima.
quibus nunc addo quod S. Irenæus (vt refert Euſebius) ſcribit de S. Po- *Euſeb. Hiſt. lib. 5. cap. 24.*
lycarpo (qui regnante M. Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta
poſt Neronem perſecutione, [paſſus eſt, vt ait Hieronymus, quòd] *Hier. in Catal.*
in Eccleſia Anicetus [Pontifex Romanus,] ritus qui in Euchariſtia
peragi ſolent, Polycarpo [erat is Epiſcopus Smyrnenſis in Aſia, Ioan-
nis Apoſtoli Diſcipulus, Romamque tunc venit propter quaſdam quæ-
ſtiones] ob reuerentiam videlicet quam erga illum habebat, obeundi po- «
teſtatem conceſſit.

Extat apud eundem Euſebium illuſtris Hiſtoria de Serapione ſene, XIII.
ſcripta à Dionyſio Alexādrino Epiſcopo, quæ religionem in Perſecutione *Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 36.*
Decij eandē fuiſſe circa Euchariſtiam, & alia quædam, idque in multis arti-
culis oſtendit, quæ nunc noſtra eſt, quam Hæretici ob eoſdem articulos re-
prehendunt. Dionyſij autē verba hæc ſunt: Erat quidā Serapion apud nos «
fidelis ſenex, qui licèt magnā vitæ partē integrè & incorruptè tranſegiſſet, «
tēpore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt. Hic ſæpe- «
numerò in Eccleſia denuò recipi ſupplex poſtulabat: ſed nemo, quia Ido- «
lis ſacrificaſſet, eius poſtulationi aliquando auſcultauit. Qui in gra- «
uem morbum delabens, triduò deinceps mutus & abſque ſenſu vixit. «

„ Quarto autem die paululum releuatus, nepotem ad ſe accerſit, ſicque
„ alloquitur: Quouſque, fili, me detinetis? properate obſecro, & me
„ ocyus dimittite. Aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm di-
„ xiſſet, iterum fuit mutus. Puer currit ad Presbyterum: nox iam erat.
„ Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: ſed tamen, quo-
„ niam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam eſſent vita emigraturi,
„ Sanctorum Myſteriorum (dum modo peterent, & vel maximè ſi antea,
„ dum integra valetudine erant, ſupplices petiuiſſent) participes fierent:
„ ſicque cum pace dimiſſi, & bona ſpe confirmati, ex hac luce decederent:
Cyp. Epiſt. 73. [iuxta illud Cypriani quoque Carthaginenſis Epiſcopi:] ſi incommodo
„ aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præſentiâ
„ noſtrâ, apud presbyterum quemcunque præſentem: vel ſi presbyter re-
„ pertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque,
„ [tanta rei neceſſitas videbatur,] exomologeſin facere delicti ſui poſſint, vt
„ manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace.
„ [Sed Presbyter igitur Dionyſij] puero exiguam quandam Euchariſtiæ
„ partem dedit, præcipiens vt eam madefactam in os ſenis infunderet.
„ quam puer ſecum adferens, rediȷt. Cui iam appropinquanti, priùs quàm
„ cum eo quod geſtabat, intraret ædes, Serapion denuò voce recuperata
„ dixit: Veniſti fili? Tametſi Presbyter non poteſt venire, tu tamen
„ præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam
„ igitur puer, quam apportarat, madefactam in os ſenis infudit. Atque
„ ille, ſimulatque eam pedetentim per fauces demiſerat, illicò extremum
ſpiritum edidit. [Ibique, quod intendit ex hac miraculoſa hiſtoria pro-
bare contra Nouatianos hæreticos, infert dicens: An non igitur ſatis
„ conſtat, eum fuiſſe reſeruatum, & vſque eò in vita manſiſſe, quoad
„ eſſet penitus culpæ vinculis ſolutus? & ita labe, qua erat Idolis immo-
„ lando aſperſus, omnino deleta, poſſet pro multis bonis quæ geſſiſſet in
vita, in numerum confeſſorum referri? [Volebant enim Nouatiani (vt
Moti. 38. in alio Motiuo plenius oſtendam) Eccleſiam non habere poteſtatem
remittendi culpam Lapſis. In hac igitur hiſtoriâ plenâ miraculis ha-
bentur iſta Religionis noſtræ contra Proteſtantes: Reſeruatio Eucha-
riſtiæ, Viaticum morientium in eadem, Communio vnicæ perſonæ,
Communio vnicæ ſpeciei; neceſſitas pacis ſeu Reconciliationis ſeu
Abſolutionis per Presbiterum ſi poſſit haberi; Integra & incorrupta
vita; Vita æterna pro bonis operibus; & bonorum operum mortifica-
Cyp. Ser. de Lapſis, num. 10. torum (vt loquuntur Scholæ) reuiuiſcentia culpâ deletâ. Iiſdem de
rebus ſimilia ſcripſit paſſim vbi de lapſis agit S. Cyprianus in eadem
perſecu-

perſecutione. vt illud de communicatione vnius paruulæ & alterius prouectæ ætatis ex ſolo calice. illud etiam de quadam, quæ in arca ſua (vt moris tum erat in perſecutionibus) Domini Sanctum habuit, vt ſumeret ſola cum vellet. Quam multa autem apud eum extant de pace ſeu reconciliatione lapſorum, ſiue inſtante, ſiue durante, ſiue tranſacta perſecutione, & partim in vita, partim ſub mortem, rurſumque partim actâ ab eiſdem pœnitentiâ plenâ, partim ex indulgentia precibus & meritis Martyrum condonata! Quæ etiam in alijs perſecutionibus ſolenniter ſeruabantur. Vnde eſt illa Euſebij narratio de reſtituta poſt Perſecutionem Diocletiani & Maximini Religione: Derepentè [inquit] in omnibus ciuitatibus, Chriſtianorum conuentus frequentes in vnum coaleſcentes, & crebros congreſſus, qui inter iſtos de more in Ritibus ſuis [inter Miſſarum ſolennia] obeundis fieri ſolent, tanquam lumen quoddam poſt tenebras & noctem opacam effulgens, cernere licuit. Vnde tota infidelium Gentium multitudo fuit non parum obſtupefacta, cùm incredibilem tantæ mutationis rationem admirando, tum propterea ſolùm Chriſtianorum Deum, magnum & verum Deum eſſe, voce contenta exclamando. Ex noſtris autem: illi qui perſecutionis certamen fideliter & magno animo obijſſent, præ cæteris omnibus per magnam animis lætitiam denuò perceperunt: At, qui fide ægri & infirmi fuiſſent, & iam propterea conſcientias haberent quaſi tempeſtate iactatas, libenter Remedium ſibi inuenire maturarunt, & his qui erant robuſti in fide ſupplicare, eorum dextram ſalutarem ſibi porrigi expoſcere, & Deum ipſis propitium fore obteſtari cœperunt. &c. [Itaque circa hoc remedium Lapſorum multa ex Cypriano obſeruari poſſunt: nempe, Hæreticos tunc Nouitianos partim noluiſſe admittere eos ad actionem pœnitentiæ, partim non ad pacem ſeu abſolutionem, & per conſequens nec ad Euchariſtiæ communionem: Alios quoſdam è contrario admiſiſſe eos ad Euchariſtiam ſine vtraque, pœnitentiæ actione (dico) & abſolutione. quorum quidam ſolis meritis martyrum contenti erant, nec preſbyterorum vllorum conſcientiam requirebant: alij ſaltem ſine Epiſcoporum conſcientia ſeu authoritate id faciebant, contrà quàm debebant, quandoquidem ſibi tunc ipſis caſum hunc Epiſcopi reſeruarant. Iſtorum multa teſtatiſſima ſunt in illa D. Cypriani & aliorum Africæ coëpiſcoporum Epiſtola ad Cornelium Papam, in qua reddunt Summo Pontifici rationem, cur ſtatutum quoddam circa Lapſos mutauerint, ſic ſcribentes: Statueramus quidem iampridem, frater chariſſime, participato inuicem nobiſcum conſilio, vt qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab

Euſeb. hiſt. lib. 9. cap. 1. & lib. 8. cap. 29.

Apud Cyp. epiſt. 54. & 52. 53.

» Aduerſario & lapſi fuiſſent, & ſacrificijs ſe illicitis maculaſſent, age-
» rent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pa-
cem ſub ictu mortis acciperent. [cuius indulgentiæ ſic morientibus
datæ rationem contra Nouatianos reddunt, & dicunt:] Nec enim fas
» erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, Eccleſiam pul-
» ſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium
» denegari, vt de ſeculo recedentes, ſine communicatione & pace ad
» Dominum dimitterentur, quandoquidem permiſerit ipſe, qui legem
[vel pœnitentiæ, vel totius Euangelij] dedit, vt ligata in terris, etiam
» in cælis ligata eſſent; ſolui autem poſſent illic, quæ hic priùs in Eccle-
Matth. 18. ſia ſoluerentur. [Ac tum nouum ſtatutum ſubijciunt, quo non modò
reſpectu mortis inſtantis, vt antea, ſed etiam reſpectu perſecutionis in-
ſtantis, non vni vel alteri, ſed omnino omnibus lapſis, vereque pœ-
nitentibus, pacem ſeu abſolutionem (quam hodie Iubileum vocamus)
» dandam cenſent. Sed enim [inquiunt] cùm videamus, diem rurſus
» alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris atque aſſiduis
» oſtenſionibus admoneamur, vt ad certamen, quod nobis hoſtis indicit,
» armati & parati ſimus, &c: neceſſitate cogente, cenſuimus, eis qui de
» Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamen-
» tari, ac Dominum deprecari, à primo lapſus ſui die non deſtiterunt,
» pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & in-
ſtrui oportere. [Et ſequuntur, ac rationem reddunt, cur ob hanc cau-
ſam, concedi debeat indulgentia:] Obtemperandum eſt namque oſten-
» ſionibus atque admonitionibus iuſtis, &c. [Deinde cur his talibus homi-
» nibus:] Intereſſe debet, frater chariſſime, inter eos qui vel apoſtataue-
» runt, & ad ſeculum cui renunciauerant reuerſi, gentiliter viuunt, vel
» ad Hæreticos transfugæ facti, contra Eccleſiam parricidalia quotidie arma
» ſuſcipiunt: & inter eos qui ab Eccleſiæ limine non recedentes & im-
» plorantes iugiter ac dolenter diuina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pu-
» gnam paratos eſſe, & pro Domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute ſtare
» fortiter & pugnare profitentur. [Ex qua diſcriminis cauſa ſunt iſta ho-
die diuina indulgentiarum ſolatia, quæ Sanctiſſimus Dominus & Pater
noſter tam frequenter largiri ſolet Catholicis lapſis: & quanto magis
reliquis filijs Eccleſiæ ſemper ſtantibus, ac nunquam Hæreſi vlli ti-
more vllo cedentibus? Deinde obijciunt contra hanc ſuam indulgen-
» tiam, & reſpondent: primò quidem, Si autem (quod Dominus auertat
» à fratribus noſtris) aliquis Lapſorum fefellerit, vt pacem ſubdolè petat,
» & impendentis prælij tempore communicationem non præliaturus
accipiat:

accipiat: ſeipſum fallit & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud voce "
pronunciat. &c. obeſſe autem mali bonis non debent, ſed magis mali "
à bonis adiuuari. [Secundò:] Nec ideo martyrium facturis pax neganda "
eſt, quia ſunt quidam negaturi, &c. [Tertiò:] Nec quiſquam dicat, "
qui martyrium [crucem ſcilicet ſuam] tollit, ſanguine ſuo baptizatur: "
nec ideo pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt. [nam eodem modo contemni
& dici poſſet, Sacramentum Baptiſmi non eſſe illi neceſſarium, quia
ſanguine ſuo baptizabitur.] Eadem eſt enim [vt Auguſtinus ait] Recon- *Auguſt. de*
ciliationis cauſa quæ Baptiſmatis, ſi fortè pœnitentem [etiam martyrem] *Adult. cõ. lib. 1. cap.*
finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. [Tandemque repetunt Epiſ- *vlt.*
copi, & concludunt:] Placuit igitur nobis, Sancto Spiritu ſuggerente, "
& Domino per Viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis "
nobis imminere prænunciatur, colligere intra caſtra milites Chriſti, &, "
examinatis ſingulorum cauſis, Pacem lapſis dare, imò pugnaturis arma "
ſuggerere: quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ con- "
templatione placiturum. [Illud autem de abſoluendo lapſos in ictu
mortis, iampridem ſcripſerat Clerus Romanus Sede vacante ad Cle-
rum Carthaginenſem in abſentia Cypriani:] vt ſi, qui in hanc tenta- *Apud Cyp.*
tionem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, & agant pœni- *epiſt. 3.* "
tentiam facti ſui, & deſiderent communionem, vtique eis debeat ſub- "
ueniri. [Cuius rei mentionem facit ipſe Cyprianus ad eundem Cle-
rum Romanum reddens rationem actus, & diſciplinæ, & diligentiæ *Cyp. Epiſt.*
ſuæ, contra obtrectatores:] Cùm comperiſſem, lapſos exambire ad mar- *15. 23.* "
tyras paſſim, confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione "
corrumpere, vt ſine vllo diſcrimine atque examine ſingulorum, daren- "
tur quotidie [ab ijſdem martyribus, id eſt mox occidendis, & Confeſ-
ſoribus, id eſt grauia pro fide paſſis ſine morte] libellorum [Indulgen-
tialium] millia contra Euangelij legem [de agenda pœnitentia:] [a] Li- *a Epiſt. 10. 11. 12.*
teras feci, quibus martyras & confeſſores conſilio meo quantum poſ- "
ſem ad Dominica præcepta reuocarem. [Et paulò pòſt:] Poſtmo- "
dum verò cùm quidam de lapſis, ſiue ſua ſponte, ſiue aliquo incita- "
tore, audaci flagitationi proruerent, vt pacem ſibi à martyribus & con- "
feſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de "
hoc etiam [b] bis ad Clerum literas feci, & legi eis mandaui, vt ad *b Epiſt.*
illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, ſi qui li- *13. 14.* "
bello à martyribus accepto de ſeculo excederent, exomologéſi facta, "
& manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi à martyribus "
promiſſa ad Dominum remitterentur.

Nec in

„ Nec in hoc [inquit] legem dedi, aut me auctorem temere conſtitui. ſed „ cum videretur & honor martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, & præterea veſtra Scripta legiſſem, quæ de hoc ad Clerum noſtrum per Clementium hypodiaconum „ nuper feceratis, vt ijs qui poſt lapſum infirmitate apprehenſi eſſent, & „ pœnitentes communicationem deſiderarent, ſubueniretur: ſtandum „ putaui & cum veſtra ſententia, &c. Planè cæterorum cauſas, quamuis „ libello à martyribus accepto, differri mandaui, & in noſtram præſentiam „ reſeruari, vt cùm, pace a Domino nobis data, plures Præpoſiti conuenire „ in vnum cœperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio diſponere ſingula & reformare poſſimus. [In illarum autem ad Clerum ſuum alteris literarum oſtendit illos lapſos non eſſe pœnitentes delicti, qui ita feſtinanter, impatienter, & violenter extorquere conarentur abſolutio-

Epiſt. 14. nem. Pœnitentiam autem ille [inquit] agit, qui diuinis præceptis mitis & „ patiens, & Sacerdotibus Dei obtemperans, obſequijs ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur. [Vnde ad Martyres ſcribens, ſic conque-

Epiſt. 10. ritur:] Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam „ iuſto tempore &c: nunc crudo tempore &c, ad communicationem ad-

a Epiſt. 11. mittuntur &c. [a] Et ideo peto [inquit, propter huiuſmodi libellos martyrum indiſcretos,] Communicet ille cum ſuis, vt eos quos ipſi videtis, „ quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, „ deſignetis nominatim libello. [Et non, ille cum ſuis] & ſic ad nos fidei „ & diſciplinæ congruentes literas dirigatis. [Vbi teſtatur etiam non ætate ſua primùm, ſed etiam antè vſitatum fuiſſe hunc morem, vt Martyres peterent, & Epiſcopi donarent indulgentias: conſiderantes [inquit] „ quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri martyres conceſſerint. „ [item:] ſicut in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus noſtris factum „ eſt, vt Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſilijs

Tertull. ad Mart. ſuis & Scripturarum præceptis gubernarent. [Vnde & Tertullianus antiquior in Libro ad Martyres ait:] pacem quidam à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt. &c. [Reprehendit autem Cyprianus illud,

b Cyp. epiſt. 11. 15. quòd [b] innominatis, & ſine vllo diſcrimine, atque examine ſingulorum, darentur quotidie [à martyribus Afris] libellorum millia, contra Euangelij legem, [vt prædictum eſt. Exemplum talis indiſcreti libelli ſeu

c Epiſt. 17. 22. Epiſtolæ Martyrum extat apud [c] Cyprianum, à Luciano quodam conſcriptæ, vel conficta potiùs: quaſi quidam Paulus martyr ipſi dixiſſet,

d Epiſt. 18. 19 20. Pacem des in nomine meo omnibus poſt arceſſitionem meam à te pe-

e Epiſt. 26. tentibus. multæque ſunt è contrario a [d] Cypriano & à [e] Romanis Con-

feſſoribus

feſſoribus atque Clero ſcriptæ Epiſtolæ elegantes & doctæ pro Diſciplina Eccleſiæ meliùs conſeruanda. & maximè contra quoſdam lapſos *f* qui pacem non dandam ſibi [ab Epiſcopo] poſtulabant, ſed quaſi iam datam ſibi [à Martyre] vindicabant. [ac per hoc,] pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectantes. [item *g* contra presbyteros quoſdam ſchiſmaticos & hæreticos, qui pacem lapſis omnibus ſine diſcrimine dabant, aut potiùs dicebant pacem eſſe licèt ab Epiſcopis & Sacerdotibus non daretur. Vnde *h* alibi reprehendit quidem Cyprianus Epiſcopum qui, contra Decretum de Lapſis, presbytero dederat pacem, antequam pœnitentiam plenam egiſſet.] Pacem tamen [inquit] quomodocunque à Sacerdote Dei ſemel datam non putauimus auferendam: ac per hoc, Victori [id erat presbytero nomen] communicationem ſibi conceſſam vſurpare permiſimus. [feciſſe autem illum Epiſcopum contra Decretum ait, quia] nulla infirmitate vrgente, aut neceſſitate [perſequutionis] cogente, [illam dederat indulgentiam, &] ſine petitu & conſcientia plebis. [Nam & ipſe D. Paulus iam olim preces fidelis populi multum apud ſe valere in huiuſmodi condonatione permiſit. Ait enim Corinthijs de inceſtuoſo illo: Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui ſiquid donaui, propter vos, in perſona Chriſti. [quæ verba] innuunt [inquit Theodoretus] Corinthios per beatos viros Timotheum & Titum pro eo qui peccarat rogaſſe. [Theophylactus quoque ſic habet: propter vos, inquit, remiſi ei. noram enim, quòd hoc vobis gratum ſit futurum.

f Epiſt. 27. 29. 30. 31. — *g Epiſt. 40.* — *h Epiſt. 59.* — *2. Cor. 2.* — *Theod. ibid.* — *Theophyl.*

Ex quibus omnibus tota Eccleſiæ praxis circa pœnitentiam & Indulgentias habetur contra Proteſtantes. Primum enim erat in optatis (ſicuti & nunc eſt) vt omnes pœnitentiam plenam agerent. Secundò, nihilominus indulgebant aliquid pœnitentibus atque examinatis, ſeu (vt nunc loquimur) contritis & confeſſis. Nam cæteros, id eſt impœnitentes, tantopere aſpernati ſunt, vt, propter diſciplinam, prohibendos omnino cenſuerint à ſpe communicationis & pacis, ſi antea pœnitentiam non agentes, primùm in infirmitate atque periculo deprecari cœpiſſent. Cum qua eorum (eademque Dionyſij Alexandrini ſuprà ex Euſebio a me citati) cenſurâ conferat Lector ſimilem S. Gregorij Papæ cenſuram, in quodam ſuo Monacho admodum ſapienter editam, & alio loco à me fuſiùs commemoratam.

Cyp. Epiſt. 52. — *Moti. 12.*

Sed (vt dixi) contritis & confeſſis remittebant Cyprianus & Coëpiſcopi de plena pœnitentia: idque ob duas cauſas, inſtante ſcilicet mortis periculo ſiue ex morbo, ſiue ex perſequutione. In his enim caſibus,

indulgebant omnibus, ſicut in Iubileo nunc ſolet Pontifex. Sed tertiò,
aliàs etiam quibuſdam generibus lapſorum, cum prudenti diſcrimine in-
Epiſt. 52. 53. dulgebant. Placuit enim [inquit Cyprianus] examinatis cauſis ſingulo-
» rum, Libellaticos interim admitti, Sacrificatis in exitu ſubueniri. &c.
[Sacrificati autem erant, qui Idolis in perſequutione ex metu ſacrificaue-
rant. Libellatici verò, qui tempore neceſſario detrectabant confeſſionem
a Epiſt. 21. 55. num. 4. fidei ſuæ, [a] numeratâ perſequutoribus pecuniâ, cum libello quodã obla-
to, cuius formam Cyprianus [b] ibi tradit, vt ex Proteſtatione contra ſa-
b Epiſt. 52. num. 4. crificationem in iſtis libellis contenta, oſtendat errare eos, quibus vide-
batur,] Libellaticos cum Sacrificatis æquari in crimine oportere: quando
» inter ipſos etiam qui ſacrificauerint [inquit] & cõditio frequenter & cauſa
» diuerſa ſit. Neque enim æquandi ſunt, ille qui ad ſacrificium nefandum
» ſtatim voluntate proſiliuit; & qui reluctatus & cunctatus diu ad hoc
» funeſtum opus neceſſitate peruenit: Ille, qui & ſe & omnes ſuos prodi-
» dit; & qui ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens, vxorem & liberos &
» domum totam periculi ſui perfunctione protexit: Ille qui inquilinos
» vel amicos ſuos ad facinus compulit; & qui inquilinis & colonis peper-
» cit, fratres etiam plurimos qui extorres & profugi recedebant, in ſua
» tecta & hoſpitia recepit, oſtendens & offerens Domino multas viuen-
» tes & incolumes animas, quæ pro vna ſaucia deprecentur. Cùm ergo
» inter ipſos qui ſacrificauerint, multa ſit diuerſitas, [vult Cyprianus, ni-
miam eſſe duritiam, Libellaticos cum Sacrificatis iungere, præſertim
cùm dicta per libellum execratio idolorum, eorum cauſam fauorabilio-
c Epiſt. 55. num. 4. rem fecerit. Sed tamen & ipſi polluerunt conſcientiam ſuam, quia [c] ſicut
Sacrificati timuerunt eſſe Chriſtiani, ſic iſti erubuerunt: vel, ſicut illi
negauerunt fidem, ſic iſti confeſſionem fidei, quo tempore erat eis ne-
ceſſaria, pecuniâ redemerunt. Ergo his omnibus, morituris (dico,) &
paſſuris, & Libellaticis indulgebant, etiam nemine intercedente. Quartò
autem, & alijs, lapſis, modò pœnitentibus, ſi plebs Stantium (ſic enim
vocabantur, qui lapſi non erant) pro eis fortè rogaret, quemadmodum
paulò antè attigi. Quintò denique & maximè omnium, ſi confeſſores
& martyres Epiſcopis ſupplicarent. modò (inquam) non pro impœni-
tentibus, nec ſine Epiſcopis ac Sacerdotibus. Hinc enim loquitur Cy-
d Epiſt. 13. prianus, & dicit: [d]] qui libellos à martyribus acceperunt, & præroga-
» tiuâ [id eſt, meritis] eorum apud Deum adiuuari poſſunt, [hoc eſt, pœ-
e Epiſt. 14. nitentes. rurſus: [e]] qui libellum à martyribus acceperunt, & auxilio
f Serm. de Lap. nu. 8. 14. eorum adiuuari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt. [Et iterum:]
[f] Facilis & prona conſenſio, ſi petentis fuerit religioſa moderatio. &c.

Pœni-

Pœnitenti, roganti, operanti poteſt clementer ignoſcere; poteſt in accep- «
tum referre, quicquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint Sacer- «
dotes. [Hæc igitur erat in illis perſecutionibus religio de pœnitentijs &
Indulgentijs, ſeu g diſciplina pariter, & miſericordia, meritiſq́ue marty- g *Epiſt.40.*
rum & aliorum ſanctorum adhuc in vita manentium.

Poſt quæ, vt magis adhuc pudeat Proteſtantes vendicare ſibi illarum XIIII.
perſecutionum in gloria & religione ſocietatem, eamque nobis Catholicis, quibus iure debetur, eripere: videamus quam breuiſſimè, quid in eiſdem perſecutionibus de Martyribus etiam poſt mortem, alijſque Sanctis, deque eorum interceſſione, inuocatione, reliquijs, & toto denique cultu ſenſerint.

Eſt ab Euſebio inſerta Hiſtoriæ ſuæ Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis *Apud Euſ. Hiſt. lib. 4. cap. 14.*
de martyrio S. Polycarpi Epiſcopi ſui & Diſcipuli S. Ioannis Euangeliſtæ,
ſub Aurelio Antonini filio, Eccleſijs Ponti ſcripta. In qua Epiſtola, poſt
Martyrij admirabilis deſcriptionem, hæc ſequuntur: Inuidus igitur, odio- «
ſus, & iuſtorum hominum generi ſemper infeſtus diabolus, cùm martyrij «
eius amplitudinem, cumque incorruptam & integram vſque à teneris «
vinguiculis viuendi rationem, immortalitatis corona remuneratam, eum- «
que ipſum propterea ſtabili & certo præmio vitæ æternæ donatum cerne- «
ret: omni cura & cogitatione eò incubuit, ne Corpus eius à nobis inde au- «
ferretur: idque adeò, cùm permulti è noſtris permagna cupiditate duce- «
rentur & huius rei efficiendæ, & ſanctæ illibatæque carnis perfruendæ. «
Nam certi homines (qui Iudæi erant) Nicetem [magnus quidam is erat in- «
ter Gentiles] ſubmonebant, vt Præſidem exoraret, ne corpus eius cuiquam «
daret: ne Chriſtiani [inquiunt, ex eadem ſcilicet pia pro nobis ſolicitudine, «
qua hodie Proteſtantes] Crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. «
[Quod idem poſtea Diocletianus & Maximinus cauerunt circa quoſdã famulos ſuos Martyres nempe SS. Dorotheũ, Petrum, Gorgoniũ, & ſocios:
Famulos illos Regios [inquit Euſebius] poſt mortem decoro & celebri *Euſ. Hiſt. lib. 8. cap. 6.*
funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorũ Domini putabantur, rurſus
de integro effodiendos, inque mare præcipitãdos, ſententijs decreuerunt: «
ne, vt eorũ ferebat opinio, quidã eos in ſepulchris & monumentis cõditos, «
Deos eſſe reputãtes, Diuina veneratione proſequerẽtur. [Sed quid ad hæc «
Clerus Smyrnẽſis in Polycarpo ſuo?] At illud quidẽ miſeri penitus igno- «
rabant, nimirũ nos non aliquãdo in animũ poſſe inducere, vt vel Chriſtum «
deſeramus, qui pro ſalute omniũ qui in toto mundo ſalui ſint futuri, Crucis «
tormẽta perpeſſus ſit: vel aliũ quempiã aliquãdo colamus, vt Deum. Illum «
enim, qui verè Dei filius eſt, adoramus. [ſed Martyribus eius quid facimus?] «

» Martyres autem, vt diſcipulos & imitatores Domini, propter incredibi-
» lem eorum benevolentiam, quam in proprium Regem & Magiſtrum
» declarauerunt, meritò amplexamur: quorum nos cum in pietate diſci-
» pulos, tùm conſortes in gloria fore optamus. Sequitur: Centurio autem
» cùm videret Iudæos inſtare contentius, corpus Martyris igne comburi
» iubet. Sic nos poſtea Oſſa eius, potiora lapillis pretioſis, auroque puriora,
» ex cineribus ſelecta, eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus, conſen-
» taneuſque. Vbi ſanè [inquiunt] nobis in vnum aliquando coactis, [vide-
» licet perſecutionis tempeſtate ſedata,] Dominus præſtabit, vt celebrem
» eius Martyrij Diem, inſtar Natalis Feſti, cum exultatione & gaudio, quan-
» tum fieri poteſt, maximo recolamus: idque cùm ad Martyrum memo-
» riam, qui antea tale certamen confecerunt: tum ad eorum exercitationem,
» mentiſque ad talem conſtantiam præparationem, qui poſtea Chriſtum eo
» genere mortis ingenuè confeſſuri ſunt.

Vnde eſt & illud S. Cypriani Martyris & Epiſcopi, in Perſecutione
Cyp. Epiſt. 37. Deciana, ad Clerum ſuum: Corporibus etiam omnium, qui et ſi torti
» non ſunt, in Carcere tamen, glorioſo exitu mortis excedunt, impertia-
» tur & vigilantia & cura propenſior. neque enim virtus eorum aut honor
» minor eſt, quo minus ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. [&
» poſt pauca:] Denique & Dies eorum quibus excedunt annotate, vt
» Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſi-
» mus. quanquam Tertullus fideliſſimus & deuotiſſimus frater noſter, pro
» cætera ſolicitudine & cura ſua; quam fratribus in omni obſequio opera-
» tionis impertit; (qui nec illic circa curam Corporum deeſt) ſcripſerit, &
» ſcribat, ac ſignificet mihi Dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad
» immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt: & celebrentur hìc à
» nobis Oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum. quæ citò
» vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus. [Seceſſerat enim tunc
vir Dei ſanctus & ſapiens, ne præſentia eius furorem Perſecutorum
magis contra plebem irritaret. Eodem autem tempore commendans
Clero ſuo Celerinum quendam confeſſorem, à ſe lectorem ordinatum:
Cypr. Epiſt. 34. Auia eius Celerina [inquit] iam pridem martyrio coronata eſt. item
» patruus eius & auunculus Laurentinus & Ignatius, &c, palmas à Domi-
» no & coronas illuſtri paſſione meruerunt. [& ſequitur:] Sacrificia pro
» eis [id eſt, in honorem eorum] ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quo-
» ties Martyrum paſſiones & Dies anniuerſaria commemoratione cele-
Procop. bramus. De quo Cypriano & ipſo valde memorabile eſt illud quod
Euag. lib. 4. c. 16. 15. ſcribit Procopius, & ex eo ſumit Euagrius, dum narrant de tempore

Thraſu-

Thraſimundi Vandalici Ariani regis in Africa: Cyprianum [inquit Pro- "
copius] virum ſanctiſſimum, Carthaginenſes ad vnum omnes in pri- "
mis colunt, cui Templum planè memorabile extra vrbem ad litus maris "
extruxerunt: eumque cùm alijs pietatis officijs venerantur, tum Feſtum "
diem, quem Cypriana vocant, quotannis celebrant. Atque nautæ tem "
peſtatem quæ ſolet incidere eo ipſo tempore quo Libyes hoc Feſtum ce- "
lebrandum ſtatuebant, eiuſdem nomine nuncupare ſolent. Iſtud Tem- "
plum Vandali, regnante Honorico [qua de re ſuprà citaui Victorem in *num. 1.*
Perſecutione Vandalica] Chriſtianis vi abſtulerunt: indeque Sacerdo- "
tibus ignominia expulſis, de reliquo Arrianis, vtpote ad eorum ius per- "
tinens, reddiderunt. Ex quibus rebus cùm Libyes magnam ægritudi- "
nem & angorem animis caperent, fertur, Cyprianum illis ſecundum "
quietem ſæpè apparuiſſe, dixiſſeque, Chriſtianos non debere ob eam "
cauſam in mœrore & ſolicitudine eſſe. Se enim poſt aliquod temporis "
ſpacium eam iniuriam vindicaturum. Quæ prædictio temporibus Be- "
liſſarij [erat is dux fortiſſimus Iuſtiniani Imperatoris] expleta fuit. nam
idem Cyprianus martyr prædixerat, Carthaginem poſt nonageſimum "
quintum annum, quo à Vandalis capta & exciſſa fuit, in poteſtatem "
Beliſſarij ducis exercitus Romani venturam, & Vandalos omnino expu- "
gnatos fore, & opinionem Arianam ex finibus Libyæ prorſus relegatum "
iri, & Chriſtianos [ſic enim ſolet vocare Catholicos] ſua Templa recu- "
peraturos. [Quemadmodum autem Carthaginenſes, & reliqui Libyes
ſeu Afri, ſic & S. Auguſtinus & ipſe Afer, hunc Martyrem inuocauit.
Adiuuet itaque nos [inquit] orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, *Auguſt. de Bap. con. Don. lib. 7. cap. 1.*
tanquam in caliginoſa nube laborantes, vt donante Domino, quantum
poſſumus, bona eius imitemur. [Et rurſus idem de eodem Cypriano:]
Orationibus eius adiutus, diſcam ſi potero per literas eius, quanta pace *Lib. 5. cap. 17.*
per eum Eccleſiam ſuam Dominus, & quanto ſilentio gubernauerit. "
[Atque ipſius Diei feſti eius, & reliqui honoris celeberrimi, multis in
locis mentionem facit honorificam, coniungens eum nonnunquam,
vtpote Afer patronum Africæ, cum ipſis Apoſtolis Petro & Paulo: &
nominatim ijs in locis quibus contra Gentiles & Manichæos diſſipat iam
tum clariſſimè (quemadmodum & ſuprà Clerus Smyrnenſis multò priùs)
calumniam eorumdem Gentilium, & Hæreticorum, & nunc Proteſtan-
tium, contra cultum Sanctorum Chriſtianum atque Catholicum. Po-
pulus Chriſtianus [inquit] Memorias Martyrum religioſa Solemnitate *Auguſt. cō. Fauſ. Man. lib. 20 cap. 21.*
concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſo-
cietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, ſed

„ ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, conſtituamus
„ Altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum Corporum aſſiſtens
„ Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane?
„ ſed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronauit. [Quare igitur
apud memorias ſeu corpora Martyrum?] apud memorias [inquit] eorum
„ quos coronauit, vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exur-
Aug de Ciu. Dei, lib. 8. cap. 27. gat, &c. [Idemque reſpondens Gentilibus:] Nec tamen nos eiſdem Mar-
„ tyribus Templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia conſtituimus: quoniam
„ non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias [id
„ eſt, reliquias] eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſque ad
„ mortem corporum ſuorum pro veritate certarunt, &c. Quis autem audi-
„ uit aliquando fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare etiam ſuper ſanctũ
„ Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in
„ precibus: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? cùm
„ apud memorias eorum Deo offeratur, &c. Quæcunque igitur adhibentur
Hier. con. Vigil. Euag. lib. 4. ca. 15. 16. religioſorũ obſequia in Martyrum locis, [vt Cerei, de quibus Hieronymus
contra Vigilantium, & Euagrius ſub Thraſimundo, & alia ſimilia] orna-
menta ſunt memoriarum, non Sacra vel Sacrificia mortuorum, tanquam
„ deorum. quicunque etiam epulas ſuas eò deferunt [quod quidam faciebant
„ in Africa] quas cum appoſuerint, orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex
„ eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita
„ Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe Sacrificia
„ Martyrum nouit, qui nouit vnum, quod Deo illic offertur, Sacrificium
Aug. lib. 22 de Ciu. Dei cap. 10. Chriſtianorũ. Ad quod Sacrificium [vt infra etiam dicit] ſicut homines
„ Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nomi-
„ nantur: non tamen à Sacerdote, qui ſacrificat, inuocantur. [ita ſcilicet
vt dicat illud ſuprà poſitum, Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel
Cypriane. vnde & hoc ipſo loco rationem reddit, & dicit:] Deo quip-
„ pe, non ipſis ſacrificat, quamuis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei
„ Sacerdos eſt, non illorum.

XV. Ex quibus clariùs intelliguntur illa, quæ ſuprà retuli de Conuenti-
bus in Cœmeterijs, id eſt, in memorijs, ſeu ad Sepulchra Martyrum. de
quibus in perſecutione Maximini (ſicut & ſæpè, & alij) loquitur Euſe-
Euſeb. Hiſt. liu. 9. cap. 2. bius dicens: nos conuentu, qui in Cœmeterijs à nobis fieri ſolet, inter-
dicere conatur, &c. [Et hinc fuit, quod de Iuliano apoſtata ſcribit So-
Soc. lib. 3. cap. 20. crates, cum cæteris omnibus:] Cùm videret, Chriſtianos magno honore
„ illos proſequi, qui regnante Diocletiano, martyrio occubuiſſent: cumque
„ pro certo cognoſceret, complures prompto & alacri animo ad marty-
rium velle

rium velle contendere: ille, perinde quaſi Chriſtianos eſſet ab hoc be- «
neficio repulſurus, aliâ viâ ad eos afflictandos aggreditur. a Callidior a Ruff. lib.
cæteris Perſecutor [inquit Ruffinus] non vi neque tormentis, ſed præ- 1. cap. 32. «
mijs, honoribus, blanditijs, perſuaſionibus, maiorem pænè populi par- «
tem, quàm ſi atrociter pulſiſſet, eliſit. Studia Auctorum Gentilium «
Chriſtianos adire prohibens, ludos literarum illis ſolis qui deos deaſque «
venerarentur, patêre decernit.&c. b Sed non erga Athanaſium [inquit] b cap. 33.
fictæ philoſophiæ tenere imaginem potuit. [verùm illum apertè perſe- 34.
qui parauit. c Quemadmodum etiam Antiochiæ, ex miraculis Reliquia- c cap. 35.
rum S. Babylæ Martyris, & inſigni Chriſtianorum erga eas cultu, cum
confidentiſſimo Idolorum Iuliani contemptu (quibus de rebus alibi ple- Moti. 16.
niſſimè tractaui] prophanus Princeps in tantam iracundiæ rabiem dedu- «
ctus eſt, vt altera die comprehendi Chriſtianos paſſim, & trudi iuberet in «
carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici. [Inter cæteros autem, Iuuentium Chryſ. to. 3.
& Maximianum (de quibus extat & homilia S. Chryſoſtomi) Martyrio in fine.
affecit. Sed cauſam cur eos ſupplicio affeciſſet [inquit Theodoretus] non Theod. hiſt.
in veram pietatem, pro qua erant è medio ſublati, ſed in petulantiam, lib. 3. cap. 14.
tranſtulit. Siquidem eos propterea mulctatos dixit, quòd ipſum contu- «
melijs vexarant. Atqui iſta idcirco diuulgari mandauit, quòd veritatis «
athletis & nomen Martyrum, & honorem inuideret. [Quo calliditatis
genere etiam in Anglia mea Diabolus iam diu & ſæpè vtitur, vt Catholici
ſanctiſſimi viri, Roffenſis, Morus, Carthuſiani, cum multis recentioribus,
non de Religione, ſed quaſi de læſa Maieſtate dicerentur occidi. Quemad-
modum & de Chriſto Domino ac Martyre Martyrum iam olim dixe-
runt: a Hunc inuenimus ſubuertẽtem gentem noſtram, & prohibentem a Luc. 23.
tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtũ regem eſſe: [item:] Commo- «
uet populũ, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. «
[Ac rurſus:] b Si hunc dimittis, nõ es amicus Cæſaris. omnis qui ſe regem b Ioan. 19.
facit, contradicit Cæſari. [Quo modo etiam prius calumniati fuerant Pro-
phetas eius:] Miſit enim Amaſias ſacerdos Beth-el [id eſt Idolorum] ad Amos. 7.
Ieroboam regem Iſraël, dicens, Rebellauit contra te Amos in medio do- «
mus Iſraël: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius. &c. Et «
dixit [idem] Amaſias ad Amos: In Beth-el non adijcies vltrà, vt prophe- «
tes: quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt. [Quæ S. Hierony- Hier. in
mus in ſenſu tropologico aptiſſimè ad Hæreticos referenda eſſe docet:] Am. 7. «
quorum ſacerdos Amaſias ſolet interdum mittere ad Hieroboam regem «
hæreticum, atque hæreticorum patronum: & ſanctos viros ac præcones «
fidei accuſare apud eum: & iubere doctoribus, ne prædicent in Iſraël, «

ne con-

» ne contra regis faciant voluntatem: quia Beth-el, hoc eſt domus Dei, & » falſa eccleſia ſanctificatio regis ſit, & domus regni. Solent enim dicere: » Imperator nobis communicat. & ſi quis eis reſtiterit, ſtatim calumnian- » tur. Ergo tu contra Imperatorem facis? Auguſti mandata contemnis? » [& paulo antè:] hanc habentibus cunctis qui falſos deos colunt conſue- » tudinem, vt ſuperbiā ſuam regibus imputent: & quod ipſi faciunt, rex » feciſſe videatur. [vnde inquit] multi reges Chriſtiani qui perſequuti » ſunt Eccleſiam Dei, & Arianam impietatem in toto orbe fundare conati » ſunt, cum multis Amaſijs ſacerdotibus ſuis, fame & penuria, carceribus » & exilijs Amos Prophetam & Sacerdotes Domini necauerunt. [Sed hac Iulianica non obſtante fraude, quid Chriſtiani martyribus illis Iuuentio & Maximiano fecerint, ex eodem Theodoreto audiamus, & imitemur: » Iſtos [inquit] Antiochia velut ſtrenuos pietatis athletas venerata, ma- » gnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vſque diem quotannis Feſto » publico eos honorificè celebrat. [Legatur illa quam dixi Ioannis Chryſo- ſtomi Antiocheni in eos Homilia.

Theod hiſt. lib. 3. cap. 6. Porrò multa recenſet idem Theodoretus Gentilium ſub hoc apo- ſtata Iuliano flagitia in Chriſtianos noſtros, noſtramque religionem: » Sebaſtæ item [ait] Ioannis Baptiſtæ tumulum aperiunt: oſſa tradunt *Ruf. lib. 2. cap. 28. 27.* igni abſumenda, & eorum cineres paſſim diſpergunt. [De qua re Ruffi- nus plura ſcribit:] Iuliani temporibus, velut relaxatis frænis, efferbuit in » omnem ſæuitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, vt apud Sebaſten » Palæſtinæ vrbem Sepulchrum Ioannis Baptiſtæ mente rabida & fune- » ſtis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent; atque ea rurſum collecta, » igni cremarent, & ſanctos Cineres pulueri immixtos, per agros & rura » diſpergerent. Sed Dei prouidentiā factum eſt, quoſdam de Hieroſoly- » mis ex monaſterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causâ per idem » tempus veniſſe. Qui cùm tantum nefas humanis quidem manibus, ſed » ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes, quàm huiuſcemodi » piaculo funeſtari, inter eos qui oſſa ad exurendum legebant mixti, dili- » gentiùs in quantum res patiebatur; ac religioſius congregantes, furtim ſe » vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere: & ad religioſum patrem » Philippum venerandas Reliquias pertulere. Ille ſupra ſe ducens, tantum » theſaurum proprijs ſeruare vigilijs, ad Pontificem maximum tunc Atha- » naſium, hoſtiæ immaculatæ Reliquias per Iulianum Diaconum ſuum, » pòſt etiam Palæſtinæ vrbis epiſcopum, mittit. Quas ille ſuſceptas, paucis » arbitris ſub cauato Sacrarij pariete incluſas Prophetico ſpiritu profutu- » ras generationi poſteræ conſeruauit; quibus nunc, deiectis & proſtratis Idolola-

Idololatriæ veſtigijs, in ædibus quondam profanis aurea tecta conſurge- "
rent. [Sub Theophilo ſcilicet Alexandrino Epiſcopo,] veternoſa Idolo- "
rum buſta deiecta ſunt, & veri Dei Templa Eccleſiæ celſæ conſtructæ. "
Nam & in Serapis ſepulchro [quod erat præcipuum Idolum Alexandri-
num] profanis ædibus complanatis, ex vno latere Martyrium, ex altero "
conſurgit Eccleſia. [Occaſio autem Martyrij conſtruendi, erant hæ S.
Ioannis Baptiſtæ & Martyris venerandæ reliquiæ, quas ab Athanaſio
Alexandrino quondam Epiſcopo ſic relictas iam narrauit Ruffinus.

a Denique cædem huius Iuliani Apoſtatæ viſam inter precãdum & nun- *a Theo. hiſt. lib. 3. cap. 19. 22.*
ciatam à Iuliano diuino Monacho eadem die ac hora qua contigit, licet
interuallo itineris viginti dierum & amplius, (quemadmodum vidiſſe *Surius ad An. 1571.*
putatur etiam nuper beatæ memoriæ Pius quintus Pontifex maximus at-
que ſanctiſſimus, Turcarum ſtragem Bello nauali) Theodoretus idem re-
fert additque poſtea dicens: Vrbs verò Antiochia, vt primùm Tyrannum "
trucidatum intellexit, epulas publicas crebroſque conuentus celebrare: & "
non in Eccleſijs ſolùm & Martyrū monumentis tripudiare, verùm etiam "
in Theatris Crucis prædicare victoriam, & Tyranni vaticinia [minaſque] "
irriſioni & ludibrio habere cœpit.

XVI. Itaque vident ex his Proteſtantes, ſe non illorum Chriſtianorum in religione participes eſſe, ſed plane è contrario Perſecutorum illorum ſocios exiſtere in Chriſtiana Religione oppugnanda. Deſinant igitur aliquando, hortor, à tam cæco furore, & conſulant ſaluti ſuæ reuerientes cum omni humilitate pœnitentiæ ad Religionem hanc ſolam Chriſtianam, ſolamque veram: ad Religionem (inquam) ab Iſaia Propheta (vt ſuprà oſtendi) manifeſtiſſimè commendatam, ad Religionem illorum Chriſtianorum de quorum paſſionibus & ipſi gloriari ſolent, ad Religionem denique omnium Martyrum non modò in vita, ſed etiam poſt coronas. quippe qui, vt in vita inuocabant ipſi priores Martyres, ita & coronati audiunt inuocantes. Idque etiam atque etiam moneo prudentes pioſque omnes, vt diligenter aduertant: Sanctos ipſos iam in cælo cum Chriſto regnantes, eſſe Religionis noſtræ, partim quia in terris inuocabant ipſi Sanctos, partim quia deinde pro nobis eos inuocãtibus intercedũt. Cuius rei exempla in his ipſis (de quibus loquor) perſecutionibus habemus plurima. Et illud imprimis quod ſuprà narratum eſt de S. Cypriano Martyre, cultoribus ſuis in perſecutione Vandalica Arriana apparente poſt mortem frequentiſſimè, & conſolante eos prædicendo futura, ac poſtremò etiam prædicta complendo. Illud item quod in perſecutione Seueri narrat Euſebius de S. Potamiæna Virgine & Martyre, *Num. 14.* *Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 4.*

» quam poſt definitiuam de ea latam ſententiam, Baſilides vnus ex Iudicis
» ſatellitibus, ad locum ſupplicij deducens, eos qui in via contumeliam ei
» faciebant, repulſos coërcuit, & ſummam humanitatem in eam declarauit.
» illa verò hominem pro illius erga ſe commiſeratione vehementer am-
» plexata, bono animo eſſe hortatur. Nam ait, ſe, ſimulac abiret è vita, à
» Domino ſuo veniam & gratiam pro eo efflagitaturam, & non diu pòſt
» eius in ſe merita iuſtà remuneratione compenſaturam. Hæc cùm dixiſſet,
» pice feruenti per varia & diuerſa corporis membra ab imis pedibus vſque
» ad capitis verticem ſenſim ac pedetentim diffuſa, generoſo & excelſo ani-
» mo migrauit è vita. [Et ſequitur:] Non longo temporis interuallo in-
terpoſito, Baſilides, [cùm coram ſocijs primùm, deinde corā Iudice etiam,
Chriſtianum ſe eſſe, conſtanter confeſſus eſſet,] in vincula conijcitur.
» Cumque fratres in Domino [id eſt, Chriſtiani] ad eum aduentarent, cau-
» ſam ſuæ repentinæ & admirabilis huius mutationis, ſciſcitarentur, fertur
» reſpondiſſe: Potamiænam, triduo poſt martyrium, noctu ei aſſiſtentem,
» coronam in ipſius capiti impoſuiſſe: dixiſſeque, ſe pro eo gratiam à Domi-
» no poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe: & Dominum non longo tempore
» poſt, eum ad ſuam gloriam recepturum. Poſt illa, vbi fratres Sigillum in
Domino [id eſt, Sacramentum Confirmationis, niſi fortè hi fratres fue-
rint Laici, tum enim nudum Signum Crucis videtur fuiſſe] ei imperti-
» uerant, poſtero die ſecuri percuſſus, præclara martyrij corona donatus
» eſt. [Et ſequitur adhuc:] Alij item complures Alexandriæ, eiſdem tem-
» poribus, vtpote quibus Potamiæna ſecundùm quietem apparuiſſet, eoſ-
» que fuiſſet impensè ad Dei verbum amplexandum cohortata, frequen-
Euſ. lib. 8. cap. 17. tes ad Chriſti fidem acceſſiſſe commemorantur. [Huius generis eſt illa
etiam ſub Diocletiano hiſtoria de Theodoſia Virgine Tyri, nondum
» octodecim annos nata, quæ quinto illius ſæuiſſimæ & longiſſimæ Perſe-
» cutionis anno, in ipſo die Dominico, & ipſo feſto Reſurrectionis Serua-
» toris noſtri, vinctis quibuſdam Cæſareæ, qui Regnum Chriſti conſtanter
» confitebantur, ante tribunal conſidentibus acceſſit, cùm benigne ſaluta-
» tura, tum, ſicut veriſimile eſt, [inquit Euſebius] eos obſecratura, vt cùm
» eſſent apud Dominum, illius recordarentur. Quo factitato, eam tan-
» quam nefas quoddam & impium facinus aggreſſam, ſatellites abripiunt,
» deducuntque ad Præſidem. Extemplò verò iſte quaſi mente captus, &
» animi furore maximè efferatus, grauibus & horrendis tormentis latera,
» mammaſque ad interiora vſque oſſa dilaniat. quam adhuc ægrè ſpiran-
» tem illam quidem, hilari tamen vultu & læto omnia cruciamenta perfe-
» rentem, in rapidos maris fluctus proijci iubet. [Eodemque modo in
perſecu-

perſecutione ſeptima Cyprianus ad Cornelium, martyr ad martyrem, Epiſcopus ad Epiſcopum, Carthaginenſis ad Romanum ſcribens:] [a] Et ſi quis iſtinc noſtrum [inquit] prior, Diuinæ dignationis celeritate, præceſſerit, perſeueret apud Dominum noſtra dilectio: pro fratribus & ſororibus noſtris, apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. [Et ad alios Martyres ſimiliter:] [b] Noſtri ſemper & vbique memineritis. [Illique rurſus ad eum:] Rogemus, vt Deum, & Chriſtum, & Angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores. [Ad Virgines quoque eodem modo idem Martyr:] [c] Durate [inquit] fortiter, ſpiritaliter pergite, peruenite feliciter: tantùm mementote tunc noſtri, cùm incipiet in vobis Virginitas honorari. [Et rurſus ad Martyres:] [d] Ecce enim in cuiuſlibet paſſione vocati, gaudent iampridem acciti è ſeculo martyres: gaudent bonorum omnium nuncij: gaudent pariter electi: &c. Erit hoc beneuolentiæ veſtræ, erit charitatis & amoris, ſi volueritis noſtri memores eſſe, cùm in vobis Dominus Martyrium cœperit honorare. [Et alibi, exhortans ad patientiam & alacritatem moriendi:] [e] Illic [inquit] frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Talia autem ſi non ſolùm ex temporibus perſecutionum, verùm ex alijs quoque, eiuſdem tamen cum illis Religionis cultoribus, velim repetere, finem equidem non faciam. cuiuſmodi eſt illud S. Paulini ad Victricium Epiſcopum, Apoſtolum Neruiorum, & Monachum: Memineris, quæſo te, noſtri in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum &c.

[a] Cyp. Epiſt. 57.
[b] Epiſt 77. 78.
[c] Cypr de Habitu Virg. in fine.
[d] De laude Martyrii nu. 15. 17.
[e] De Mortal. in fine.
Paulin. Epiſt. 2. ad Vict.

XVII. Sanctum autem Stephanum protomartyrem non debeo in hac demonſtratione de Martyribus preterire. Quanquam enim nemo ſobrius dubitare poſſit, quin & ipſe & Martyres tam multi poſteriores iam dicti, vni & eidem ſeruierint Religioni, tamen operæpretium erit Lectori ſuis locis requirere, quæ iam plurima à me de hoc primo glorioſiſſimo Martyre (de cuius vero martyrio nemo dubitare poteſt, qui modò credat S. Lucæ, S. Paulo, Sacris Scripturis, & Deo ipſi) paſſim dicta ſunt, eaque clariſſimè teſtantia, eum (vt & cæteros omnes Martyres & ſanctos iam glorioſè regnantes) in Religione conſpirare nobiſcum, qui ipſum & cæteros inuocamus. Claret (inquam) hoc apertiſſimè ex eo primùm, quòd per S. Gamalielem iuſſit hic Martyr ſanctiſſimus fieri locum orationis apud Reliquias eius, vt interceſſione ſua & ſociorum miſereretur Dominus populo ſuo. Et deinde, quòd fidelibus ad eius interceſſionem poſtea confugientibus innumera beneficia à Deo impetrauit, & mirabiliter contulit. quæ omnia ſuis locis (vt dixi) è Motiuis ſuperioribus requirantur.

Act. 6. 7. 8. 22.
Supra Mot. 12.
Vide Indicem libri, in Steph.

Vnum autem huius Martyris quod nuſquam ſuprà cõmemoraui, miraculum exauditionis inſigne, quia ad plurima valet, verbis S. Auguſtini referendũ exiſtimaui: Loquitur autem de Miraculis per S. Stephanũ in Vzali ciuitate Africæ factis. Ergo tale ibi miraculum ſcimus [inquit] factum inter alia multa, quæ commemorari vtique cuncta non poſſunt. Mulier quædam amiſit in gremio (nam ſuccurrere ei feſtinando non potuit) ægrotantem filium catechumenum infantem lactantem. Quæ cùm vidiſſet amiſſum & irreparabiliter perditũ: cœpit eum magis flere fideliter quàm mater, (clamans, Mortuus eſt filius meus catechumenus.) Non enim filij ſui deſiderabat vitam niſi in futuro ſeculo: & hanc ſibi ablatam, & perijſſe plangebat. Impleta affectu fiduciæ, tulit illum mortuum, & cucurrit ad Memoriam beati Martyris Stephani, & cœpit ab illo exigere filium & dicere: Sancte Martyr, vides nullum mihi remanſiſſe ſolatium. Non enim poſſum dicere, filium præceſſiſſe: quem noſti periſſe: tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, vt habeam eum ante conſpectum Coronatoris tui. Hæc & talia cùm precaretur, lachrymis quodammodo non petentibus, ſed (vt dixi) exigentibus, reuixit filius eius. Et quia dixerat, Noſti quare illum quæram: oſtendere voluit etiam Deus verum animum ipſius. Continuò tulit illum ad Presbyteros, baptizatus eſt, ſanctificatus eſt, vnctus eſt, impoſita eſt ei manus: completis omnibus Sacramentis, aſſumptus eſt. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem ſepulchri, ſed ad ſinum Martyris Stephani. Probatum eſt cor fidele mulieris. [Ecce in vna narratiuncula tam multa Religionis noſtræ. vt, paruulos Chriſtianis etiam parentibus natos, ſi moriãtur ſine Baptiſmo, amiſſos & irreparabiliter perditos eſſe. vt, per baptiſmum, ſanctificatio. vt, in Baptiſmo vnctio. vt poſt baptiſmum, aliud Sacramentũ Confirmationis ſeu Impoſitionis manus. vt Inuocatio S. Stephani; eademque per duo magna Miracula, pueruli ſcilicet & reuiuiſcentis, & aſſumpti, tum à S. Stephano, tum à Deo ipſo planiſſimè confirmata. Ex quibus quis non videt, quàm manifeſtè ſit conſequens, B. Stephanũ non fuiſſe Proteſtantem, ſed Proteſtantibus è regione prorſus oppoſitum? Certũque eſt (vt prædixi) S. Stephanum protomartyrem, & cæteros omnes ſanctos Martyres, vnius ac eiuſdem Religionis & fuiſſe & eſſe. Ergo certum etiam eſt, nec vnum quidem illorũ poſſe à Proteſtantibus quaſi ſuum vindicari. Nam (vt oſtendi) quemadmodum qui inuocant Martyres, ita & ipſi Martyres qui per iſta Miracula inuocationibus eiuſmodi ſic reſpõdent, vtrique Proteſtantibus opponuntur. Ideoque omnes veri Martyres & antiqui Proteſtantibus ſunt aduerſi: quia per totum Orbem (vt ait Auguſtinus) in locis

Aug. to. 10. de Diuer. Ser. 32.

Auguſt. de vnit. Eccl. cap. 16.

in locis ſanctis, quæ frequentat noſtra Communio, tanta mirabilia vel "
exauditionum, vel ſanitatum fiunt,&c. [Vnde facillimè & clariſſimè da- "
tur omnibus videre, quòd ſi cum illis Martyribus eſſe cupiant, cum Pro-
teſtantibus eſſe non debeant.

XVIII. In ſeptimo autem iſto conſiderationis loco,in quo Religionem Perſe-
cutionum inquirimus in particulari,ſi poſt hæc quæ iam dixi de Sacrificio
Miſſæ,de Pœnitentijs,de Indulgentijs, de Cultu Sanctorum, cæteriſque
tam multis, placeat adhuc alia huiuſmodi particularia capita retractare:
inueniontur illi Chriſtiani Martyres, & ſiue ab Hæreticis ſiue à Paganis
afflicti,ſemper tenuiſſe Communionem Romani Pontificis,tanquam fon-
tem & radicem Eccleſiaſticæ vnitatis. De qua re legatur ſeptimus liber
Monarchiæ Eccleſiæ doctiſſimi viri D. Nicolai Sanderi noſtri, hoc ipſum,
non ſolum per illas ætates, verumetiam per alias omnes diſcurrens, ac ma-
nifeſtò demonſtrans. Legatur etiam Motiuum noſtrum 28 infrà poſitum,
vbi id fuſiùs demõſtrabo: nunc enim hæc pauca ſufficiant: quòd nimirum
in Perſecutione Vandalica Arriana, cùm Hunericus Rex trahere vellet
Catholicos Afros ad iniquiſſimam cum Arrianis ſuis Collationem: reſ-
pondit Eugenius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginenſis, con-
ſtanter ſimul ac prudenter dicens: Si noſtram fidem,quæ vna & vera eſt, *Victor de*
Poteſtas Regis cognoſcere deſiderat: mittat ad amicos ſuos: ſcribam & *perſ. Vand.* *lib. 2. fol.*
ego fratribus meis, vt veniant Coëpiſcopi mei, qui vobis nobiſcum com- *20. b.*
munem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipuè Eccleſia Ro- "
mana, quæ Caput eſt omniũ Eccleſiarum. [Vnde etiam S. Victor qui hæc "
ſcribit, & ipſe in fine Hiſtoriæ in illo flebiliſſimo planctu Africæ ſuæ ab
Hæreticis deuaſtatæ, & humillima oratione pro eadem (quæ certè hoc
tempore æquè nobis conueniat, mutatis duntaxat vocabulis Africæ &
Arrianorum in Angliam & Proteſtantes) cùm dixiſſet: Adeſtote An- *Lib. 3. fol.*
geli Dei mei, qui nunquam deeſtis,&c: Dicite Deo, habentes fiduciam *50.*
ſupplicandi &c. Deprecamini Patriarchæ &c. Orate ſancti Prophetæ "
&c. Eſtote Apoſtoli ſuffragatores eius &c: [ibi maiore quodam affectu
ſurrexit,& dixit:] Præcipuè tu Petre beate, quare ſiles pro ouibus & agnis, "
à communi Domino magna tibi cautela & ſolicitudine commendatis? "
[Ac deinde:] Tu ſancte Paule &c: vniuerſique ſancti ſimul ingemiſcite "
pro nobis Apoſtoli. [Ad iſtos enim omnes ordines Sanctorum oſtendit
ibi pertinere curam Eccleſiæ Catholicæ atque viſibilis, quæ tunc talia pa-
tiebatur, ſed præcipuè ad curam beati Petri. Et tandem ſubiungit:] Sed
ſcimus, quia indignum eſt vobis pro nobis orare, & cætera multa deuo- "
tiſſima, noſtræque Religionis ac temporis.

Tantopere autem non abhorrebant ſolùm, verumetiam irridebant
illud, in quo cardo vertitur Proteſtantium, maximè Anglorum, de Lai-
cocephalis, ſeu de Laicis Capitibus Eccleſiarum in cauſis Eccleſiaſticis,
vt cum Valentis Imperatoris Arriani & Perſecutoris Catholicorum ſæ-
uiſſimi Præfectus nomine Modeſtus, conuocatis Presbyteris & Diaco-
nis Edeſſenæ Eccleſiæ catholicæ, diceret Eulogio primario eorum Pres-
Theod hiſt. lib. 4. cap. 16. bytero inter cætera (vt refert Theodoretus) Communica cum Impera-
tore: Eulogius, diſſimulanter quidem, ſed valde facetè, reſponderet:
„ Nunquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem conſecutus? Præ-
„ fectus igitur, intellectâ ironiâ, cœpit grauiter ſuccenſere, conuicia in
„ Presbyterum iácere, & hæc quoque verba addere: Non iſtud dixi, ô
„ ſtupide: ſed vos, vti, quibuſcum communicet Imperator, cum eiſdem
„ communicetis, adhortatus ſum. Atque ſimul vt ſenex dixit, ſe habere
„ Paſtorem, cuius nutum ſequerentur: Præfectus octoginta pariter com-
„ prehenſos in Thraciam amandauit. Qui dum abducebantur in exilium,
„ cultu & obſeruantia ſumma dignati ſunt. nam ciuitates & pagi proceſſere
„ illis obuiam: & maximum honorem, vtpote inuictis Chriſti athletis,
Soc. lib. 4. cap. 13. deferunt. [Erant autem octoginta hi Edeſſeni, alij ab illis octoginta pijs
viris ordinis Eccleſiaſtici Conſtantinopolitanis, de quibus Socrates, quos
idem Præfectus Modeſtus, de eiuſdem Imperatoris ſui mandato, nouo
„ & peregrino genere mortis ſuſtulit: iubens eos in nauigium imponi,
„ perinde ac ſi in exilium rectà abducerentur: nautis tamen clàm man-
„ dans, vt cùm ad medium pelagus peruentum foret, nauigium ſuccende-
rent; ipſi verò ſcapha reuerterentur. Ad quod impium & crudele faci-
„ nus vlciſcendum, ſtatim pòſt fames acerbiſſima per vniuerſam Phry-
Apud Theod. lib. 4. cap 20. giam peruaſit. Huc pertinet alia apud Theodoretum narratio Petri Ale-
xandrini Epiſcopi, & fratris SS. Baſilij & Gregorij Nyſſeni, de eiuſdem
Valentis apud Alexandriam perſecutione, per Lucium pſeudoëpiſco-
pum Arrianum. ſub quo magnus quidam, comes eiuſdem Lucij, indi-
„ uiduus, & ſatelles truculentus, Presbyteros & Diaconos numero decem
„ & nouem comprehendit, & de illis iudicium publicum exercere cœpit,
„ & ignarus [inquit Petrus] Legúm quæ ſunt pro Chriſtianæ pietatis de-
„ fenſione ſancitæ, eos compellere cœpit, vti auitam fidem ab Apoſtolis
„ per Patrum Succeſſionem nobis traditam proderent: affirmauitque, Va-
„ lentem Auguſtum Imperatorem clementiſſimum, hac re vehementer
„ delectatum iri. &c. [Cui illi inter alia, hæc verba reſpondent:] Nam Pa-
„ tres noſtri per vniuerſum orbem terrarum diffuſi, ex quorum fide iſti
„ [Arriani] exciderunt, Nicææ in vnũ conuocati, peruerſæ Arij opinioni,
cuius

cuius patrociniũ iſte nouitius [Lucius] ſuſceperit, anathema denuncia-
runt. [Magnus denique damnat eos ad exilium in vrbem quandam Paganorum, & actutum ſine commeatu omni nauem conſcendere compellit. Catholici autem Alexandrini propterea lachrymantes, incarcerati, cæſi, lacerati, & relegati ſunt.] quibuſcum vnà Diaconus [inquit Petrus] qui literas tum conſolationis, tum communionis à Damaſo Epiſcopo Romano ad nos attulerat, manibus à tergo colligatis, à lictoribus palàm, tanquam maleficus inſigniter improbus, trahebatur. Qui acerbioribus tormentis, quàm quiſquam homicida, excruciatus fuit: cuius ceruices lapidibus & plumbo crudeliter verberatæ erant. Poſtremò naue ad traijciendum conſcenſa, eodem modo cum eo atque cum cæteris actum eſt. Nam omni ope ac ſubſidio deſtitutus erat: & propterea frontem Signo Crucis conſignauit: ſicque metallis æneis, quæ ſunt in Phenneſo, traditus eſt. [Multo autem tempore ante hos, S. Polycarpus Martyr & Diſcipulus S. Ioannis Apoſtoli, à quo etiam Smyrnæ in Aſia Epiſcopus ordi- *Hier. in Catal.*
natus eſt, & nonnullos Apoſtolorum atque eorum qui viderint Dominum, magiſtros habuit, & vidit, nihilominus (vt ait S. Hieronymus) Propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit. [Et huius rurſus diſcipulus S. Irenæus Martyr, Lugdunenſis in Gallia presbyter *Hier. ibid.*
(Poſtea autem & Epiſcopus) à Martyribus eiuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus eſt ad Eleutherium Epiſcopum. [Quas quæſtiones fuiſſe, ſaltem ex parte, circa Montanum cum *Euſ. Hiſt. lib. 5. cap. 3. 4.*
cæteris tunc in Phrygia Prophetis nouis, refert Euſebius. Cùm enim de iſtis hominibus controuerſia [inquit] orta eſſet, [quales eſſent, vtrum Prophetæ, an potiùs hæretici:] fratres qui in Gallia habitabant, priuatum iudicium, idque prudens & rectum cum primis, de eiſdem protulerunt: nonnullaſque ac varias Martyrum literas, qui apud ipſos mortem oppetebant, quas cùm adhuc tenerentur in vinculis, non modò fratribus in Aſia & Phrygia, verùm etiam Eleuthero Epiſcopo Romano (quem vehementer rogabant, vt pax & concordia in Eccleſijs conſtitueretur) exarabant, adiecerunt. [Tamque eo tempore neceſſaria hæc Romani Pontificis communio habebatur, vt ſi quando fortaſſe incidiſſet Schiſma aliquod in eadem Sede, omnes vbique excitati ea re ſint, quemadmodum poſterioribus ſeculis, vt ætate S. Bernardi, ac ſæpè aliàs, ita & in illis Eccleſiæ primordijs ad verum ex duobus Epiſcopum diſcernendum, nec aliter ſe Vnitatem Eccleſiæ tenere exiſtimauerint, niſi non modò Romano Epiſcopo, verum illi etiam legitimo communicaſſent.

Schiſma

Schiſma eiuſmodi ortum eſt ætate Cypriani Martyris inter Cornelium & Nouatianum, quem Euſebius Nouatum corruptè appellat. Cuius poſt alia, facinus omnium ſanè peſſimum (inquit Euſebius) Cornelius in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum tradit his verbis: Cùm „ feciſſet oblationes [id eſt, Miſſas] & ſingulis partem Sacramenti diſtri- „ buiſſet, porrexiſſetque: miſeros homines & infelices pro benedictione „ & gratiarum actione iuſiurandum dare coëgit. Atque ſuis vtriſque ma- „ nibus manus accipientis prehendens, non priùs dimiſit, quàm hoc iure- „ iurando eum obſtrinxiſſet (illius enim verbis vtar:) Iura mihi per Cor- „ pus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, te nunquam nec me de- „ ſerturum, nec ad Cornelium reuerſurum. Atque miſer homo non antè „ deguſtauit, quàm ita illi ſe deuouiſſet. Et qui illum acceperat, pro Amen, „ quod dicere debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium reuertar. [In hoc igitur horribili Schiſmate, quàm neceſſariā duxerint Cyprianus & alij Chriſtiani illius Decianæ Perſecutionis Communionem veri Romani Pontificis, magis ex Motiuo 28 conſtabit. Et hæc de Communione Summi Pontificis dicta ſufficiant.

Apud Euſ. Hiſt. lib. 6. cap. 35.

XIX. Iam & de religioſo ac ſolenni vſu ſalutaris Signi Dominicæ Crucis in illis iiſdem Perſecutionibus, nemo ignorare poteſt, qui vel Motiua 13 & 14 de Vſu & Virtute eiuſdem legerit, vel in præſenti Motiuo recordetur quæ ex Lactantio ferè in Principio repetiui, de cauſa perſecutionum multarum nata ex Chriſtianorum in frontibus ſignatione; quæque nunc pauloantè citaui ex Petro Epiſcopo Alexandrino de Diacono S. Damaſi Romani Pontificis, qui cùm in perſecutione Arriana omni humano deſtitueretur auxilio, ad Chriſtum confugiens ſe in fronte ſignauit: quæ ex Victore etiam in hoc ipſo Motiuo, de Eugenio Epiſcopo in Perſecutione Vandalica conſignante Signo Crucis oculos Cæci, qui ſtatim viſum, Domino reddente, recepit. Qui Victor [b] alibi etiam inter ceremonias Baptiſmi meminit Signationis in fronte: [c] Armogaſtæ item martyris, cuius Arriani frontem in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat crucis, arabant. Hinc etiam fuit id quod apud Euſebium Eccleſiæ Vienneñſis & Lugdunenſis in Gallia ſcribentes ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ de Martyribus ſuis ſub Antonino Vero, in illo ſtupendo & multiplici Martyrio S. Blandinæ ancillæ Chriſtianæ referunt, quòd trabi ligneæ „ ſublimis affixa, [vt præda eſſet beſtijs incurſantibus,] quoniā & in Crucis „ ſpecie ſuſpenſa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam con- „ certantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipſo certamine, ex „ ſorore cruci ſuffixa, ipſum Chriſtum, qui pro nobis crucifixus eſt, oculis

b fol. 58. b.
c fol. 9. a.
Euſ. Hiſt. lib. 5. cap. 1.

oculis corporeis quodam modo videbant: vti credentibus in illum pro "
certo perſuaderetur, quòd qui pro eius gloria quicquam perpetiatur, hæ- "
reditatis ſit cum Deo viuente conſors & particeps futurus. [Cui ſimile eſt "
& illud, quod ſub Diocletiano narrat Euſebius, qui ipſe quoque interfuit, *Euſ. lib. 8. cap. 7.*
Tyri in Phœnice geſtum, admirabile exemplum Chriſtianæ conſtantiæ.
Vidiſſes enim [inquit] Adoleſcentulum [in theatro vel circo] non viginti "
annos integros natum, nullis conſtrictum vinculis, firmè conſiſtentem: "
manibus in Crucis modum è tranſuerſo expanſis, robuſta & excelſa mēte "
in precibus ad Dei numen fundendis attentiſſimè defixū: neque omnino "
ſe commouentem, neque in hāc vel illam partem de loco in quo ſteterat, "
deflectentem: idque cùm vrſi & pardi furorem & mortem in eum exha- "
larent, cumque iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur. quorū "
ora diuinâ quadam & inexplicabili potentiâ neſcio quo pacto fuere propè "
obturata, & iterum ipſi retrò properè recurrerunt. [Hoc eſt, quod multo
etiam ante ſcripſerat Tertullianus de Chriſtianis orātibus manibus expā- *Tert. in Apologet. cap. 30.*
ſis, & dicens Gentilibus perſecutoribus: Sic itaque nos ad Deum expanſos
vngulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detrun- "
cent, beſtiæ inſiliant: paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus oran- "
tis Chriſtiani. [Poſt illam autem Diocletiani Perſecutionem retuli ex
Euſebio inter Religionis Chriſtianæ monumenta reſtituta, etiam arcana
Paſſionis Seruatoris ſymbola. Et circa ea tempora ad Saporem Regem *Soz lib. 2. cap. 13. 14.*
Perſarum, (ſub cuius perſecutione atrociſſima numerati ſunt Martyres
in Perſide ad ſedecim millia, præter alios innumerabiles) ſcribit pro
Chriſtianis ſuis Conſtantinus Magnus (apud Sozomenum) allegans in-
ter alia, quòd Signum Crucis, ſuas copias antecedens, ſatis ſibi attuliſſet
ſubſidij, intelligens nimirum, quòd Maxentium Tyrannum in hoc victo- *Euſeb. Hiſt. lib. 9. cap. 8.*
rioſo Signo viciſſet, vt extat apud Euſebium. Contra alterius Pagani
regis Perſarum Choſrois perſecutionem (vt narrat [a] Euagrius) munie- *a Euag. lib. 2. cap. 25.*
runt ſe & ciuitatem ſuam Chriſtiani Antiocheni, adoratione Ligni Cru-
cis, igne (vt ſuprà monui) mirabili comitante. [b] Edeſſeni verò, Ima- *b cap. 26.*
gine Chriſti, quam miſit ad Abgarum. [c] Sergiopolitani autem volebant *c cap. 27.*
ſe ab eius obſidione redimere ſacris theſauris, & monumentis, in quæ
erat Crux pretioſiſſima: qui poſtremò Reliquijs & apparitione S. Sergij
mirabiliter liberati ſunt.

Quàm multa porrò in his quæ iam dixi, animaduerti potuerunt à XX.
ſtudioſo Lectore teſtimonia & exempla illorum Martyrum, de Me-
rito ſalutis per bona opera, & maximè per Martyrium! vt quod in paſ- *Apud Euſ. Hiſt. lib. 5. cap. 1.*
ſione S. Blandinæ Galli ſcribebant: per illuſtre illud certamen coronam

» immortalitatis aſſecuta eſt. [& paulò antè de alijs:] par erat eos, immor-
» talitatis gloriâ coronari. [Et quæ S. Cyprianus ſcripſit ad Martyres & ad
» Virgines:] cùm in vobis Dominus Martyrium & Virginitatem cœperit
Apud Soc. lib. 2. cap. 15. honorare. [Et quod S. Iulius Romanus Pontifex apud Socratem dicit ſi-
» militer, Athanaſium pro perſecutionibus & præclaris virtutibus in cælo coronandum. cum alijs huiuſmodi (ſi breuitatis modus ſineret) infinitis. Quàm multa etiam de religioſis Peregrinationibus ad loca Sancta vel Chriſti vel Martyrum eius! vt Alexander Epiſcopus Cappadociæ veniens Hieroſolymam voti causâ: & poſt turbinem Diocletiani, ad noua Templa concurſus Peregrinorum longè ab exteris regionibus accedentium, ex Euſebio. Miles etiam admirabilis apud [a] Sozomenum, qui ſub Sapore Perſico Tyranno Hieroſolymam precatum ſe contulit. Et quod [b] Ruffinus atque Socrates narrant de Edeſſa Thomæ Apoſtoli Reliquijs decorata, & Templo ibi egregio atque magnifico eidem Apoſtolo dicato, ad quod crebra hominum multitudo propter loci ſanctitatem confluat: ac Valens ipſe Imperator Arrianus inter cæteros, quando contigit illud memorabile & celeberrimum exemplum Catholicæ fortitudinis in muliere perrumpente aciem Militum cum filiolo, vt in Templo cum cæteris Catholicis occumberet martyrio. Quàm multa etiam de Sacramentis alijs, & alijs in eorum adminiſtratione ceremonijs, quàm quæ placeant Proteſtantibus! ad quæ vnicum ex Epiſtola Cornelij Papæ apud Euſebium exemplum in Nouatiano hæretico locuples atque fertile non pigebit adiungere. Sic igitur ſcribit de eodem S. Cornelius: Ex Satana
» (qui ingreſſus in illum, diu eſt in intimo pectore commoratus) primùm data illi fuit credendi occaſio. [quemadmodum etiam ſcribunt multi, Luthero primum datam eſſe occaſionem ingrediendi Religionem.] Qui
» quidem, vbi Exorciſtarum præſidio, ſpiritu illo malo eſſet liberatus: &
» poſt in tam grauem morbum, vt iam fermè mori putaretur, incidiſſet, in
» lecto, in quo decumbebat, aqua circumfuſus, Baptiſmum accepit: ſi
» modò talem hominem Baptiſmum [dignè] accepiſſe dicendum ſit. Verùm
» morbo tandem elapſus, neque cætera quibus poſt Baptiſmum ſecundum
» Eccleſiæ canonem imbui oportuerat, acquiſiuit; neque Domini Sigillo
» ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quo modo
» quæſo Spiritum ſanctum adeptus eſt? [Datur enim in hoc Sacramento Epiſcopalis Cõfirmationis Spiritus ſanctus ſingulari quodam & peculiari modo, ſecundũ Scripturas à me alio loco copioſè allegatas. Sed dũ in hoc ſeptimo de ſingulis Articulis loco, ad inueſtigãdam antiquã Perſecutionũ Religionem, ex infinitis pauca decerpo, breuitatis excedo modum.

[a] Soz. lib. 2 cap. 13.

[b] Ruff. lib. 2. cap. 5. Soc. lib. 4. cap. 14.

Apud Euſ. lib. 6. cap. 35.

Cochlæus in vita Lutheri.

Surius ad an. 1517.

Matt. 9.

Octaua

Octauò igitur (vt ad generales obſeruationes reuertar) animaduertat Lector prudens, quinam hodie ſint, vtrum nos ſcilicet, an Proteſtantes, qui verſentur in Vitis, paſſionibus, & memorijs illorum Martyrum recolendis. Certè noſtri ſunt Aloyſius Lipomanus Veronēſis Epiſcopus, & Laurentius Surius Monachus Carthuſianus, viri diligentiſſimi & religioſiſſimi, qui poſt alios noſtros eaſdem Sanctorum Vitas ex authenticis Scriptoribus in Tomos & Volumina labore vtiliſſimo collegerunt. Noſtraque eſt Eccleſia, quæ etiam publicè & ſolenniter non modò anniuerſarios eorumdem Sanctorum dies (idque ſecundum morem primitiuæ Eccleſiæ, teſte ſuprà inter alios Cypriano) recolit & concelebrat, legens tunc in Officio Nocturno Paſſiones eorum, & Deo in Miſſa ob eorum honorem offerens Sacrificia, verùm quotidie etiam in Hora canonica quæ dicitur Prima, Martyrologium recitat. Contraque Proteſtantes ſunt, qui & hunc ſolennem & perpetuum Eccleſiæ morem è ſuis conuenticulis vel ex toto vel ex maxima parte eliminarunt, &, ſi fortè Martyrologia ſcribant (ſicut Ioannes Criſpinus & Ioannes Foxus Anglus) nouos tantum iſtos pſeudomartyres prædicant, antiquos autem Martyres vix attingunt. Lege modò veterum Martyrum Vitas, & nihil miraberis vel noſtrorum ex vna parte diligentiam, vel Proteſtantium ex alia parte ſilentium. tam perſpicuè ſcilicet deprehendes, eos omnes & ſingulos fuiſſe noſtros, & nec vnum quempiam eorum fuiſſe Proteſtātem. Ad quam lectionem equidem omnes qui ſanam fidem & piam vitam cupiūt, identidem vehementer hortor, prædicens atque promittens in Domino, quod neminem vnquam illius operæ pœnitebit. quod qui mihi non credit, videat apud S. Auguſtinum, quid in multis vnius S. Antonij Monachi Vita ſemel lecta perfecit. XXI.

Vitæ Sanctorum.

Aug. Cōfeſ. lib. 8. ca. 6. vide Moti. 25. nu 21.

Nonò animaduertit Lector in his quæ de Perſecutionibus dixi, quòd ſancti Patres, vt S. Cyprianus, S. Athanaſius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Victor, & alij, illorum Chriſtianorum de quibus quærimus, participes, imò duces & anteſignani, cum in Religione, tum in perſecutione fuerint. Ac ſimul recordatur, Proteſtantes multis modis fateri, (vt oſtendam in Motiuo 26 fuſiùs) ſe à Patrum Religione, tanquam à noſtrâ, diſſidere. Ex quo rurſum euidenter habetur, non Proteſtantes in religione, ſed nos, cum illis Martyribus conuenire.

Decimò & vltimò conſiderent etiam hoc prudentes, & omnes, cùm illi Perſecutores interdum contra omnes Chriſtianos, plerumque autem contra ſolum Clerum, & ſemper potiſſimùm contra eum baccathi & graſſati fuerint, ipſum illum Clerum fuiſſe noſtrum, & non Proteſtan- XXII.

Not. 34. 25 tium, ſicut alibi fuſius, ſed & hic ſatis oſtendam ex ipſis Cleri illius ac noſtri ordinibus & officijs: imò (quod diligenter annotandum eſt) ſæpiſſime etiam Monachos & Monachas fuiſſe, qui illa patiebantur. quæ ſi clariſſimè demonſtrabo, quis dubitet, quin vaniſſimi & impudentiſſimi ſint Proteſtantes, dum conantur illos Martyres & Confeſſores nobis præripere, quemadmodum etiam dum ſe in religione nobis, id eſt ſocijs illorum Martyrum manifeſtiſſimis, non erubeſcunt opponere? Ecce igi-
Euſ. Hiſt. tur quid in Diocletiani perſecutione factum ſit. Carceres [inquit Euſe-
lib. 8. cap. 6. bius] paſſim, qui iam olim homicidis, & mortuorũ ſepulchris conditorum
„ expilatoribus parati fuerant, tunc Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Lecto-
„ ribus, & Exorciſtis penitus referti ſunt. adeò vt his qui maleficijs tene-
a cap. 12. bantur obſtricti, nihil illic loci eſſet reliquum. [Et [a] poſtea meminit Romani Martyris, qui fuit Eccleſiæ Cæſarienſis Diaconus & Exorciſta. vbi
„ concludit, & tranſit, dicens: Hæc igitur primo anno, cùm Perſecutio ſo-
„ lùm contra Eccleſiæ præſides graſſaretur, geſta fuerunt. [nam deinceps ſæuire cœperunt contra omnes Chriſtianos, etiam Laicos. in quibus
b cap. 13. deſcribendis meminit deinde [b] Romuli Subdiaconi, item [c] Virginum
c cap. 15.
d cap. 17. quæ ſua ſponte Dei cultui ſe conſecrauerant &c. & nominatim [d] Theo-
e cap. 18. doſiæ Virginis, de qua etiam ſuprà. item [e] pòſt, aliarum duarum, quæ Vir-
f cap. 20. ginitatis ſcopum ſibi propoſuerant. [f] Petri etiam cuiuſdam, qui fuit ἀσκητὴς, (id eſt, religioſus vel monachus, vt verè exponit Interpres Ioannes Chriſtophorſonus, Reuerẽdiſſimus nuper in Anglia Ciceſtrẽſis Epiſ-
„ copus) vitam ſolitariam & meditationi deditam ſecutus. quem Iudex &
„ qui ei aderant in conſilio, ſæpiſſimè orabant, vt ſui ipſius miſereretur, ſuæ-
„ que adoleſcentiæ & ætati florenti parceret. ſed ille eorum hortationibus
„ penitus neglectis, & ſpe quam in Deo omnipotenti collocaſſet, omnibus
„ rebus longè prælata, Cæſareæ per ignem, velut aurum puriſſimũ, fidem in
g cap. 21. Chriſtũ Dei, generoſo & excelſo animo accuratè probauit. [Quem [g] mox ſequitur Seleucus quidam, qui initio perſecutionis cæſus, & dignitate ſpoliatus, eorum qui ἀσκηταὶ, (id eſt pietatis cultores vel monachi) qui dies noctéſque diuinis meditationibus ſe exercent, æmulum ſe & imitatorem effecit: &c. Tandem verò perſecutione ſedata, habentur paſſim in Tẽplorum dedicationibus Panegyricæ orationes, in quibus ſic affantur Sacerdo-
h lib. 10. cap. 4. tes præſentes:] [h] Amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacroſancto podêre indumẽto, cæleſti gloriæ corona, diuina vnctione, & ſacrata ſancti Spiritus ſtola
i Lib. 6. cap. 34. circũveſtiti, &c. Antea quoque in Perſecutione Decij, præter [i] Apollo-
k cap. 35. niam virginẽ prouectæ ætatis, [k] eſt Epiſtola Cornelij Papæ (de qua ſuprà) contra Nouatianũ, teſtantis, in Eccleſia Romana fuiſſe tum tẽporis præter

Epiſco-

Epiſcopum (qui vnus eſſe debuit) Presbyteros quadragintaſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acoluthos quadraginta duos, Exorciſtas & Lectores vnà cũ Oſtiarijs quinquaginta duos: Viduas, & alios, morbo atque egeſtate afflictatos, mille & quingentos. [De Nouatiano deinde ſubijcit exemplũ impium, magis tamen ferendũ, quàm ſint Proteſtantes, quia iſtis dogma eſt, quod illi metus fuit. Iſte [inquit Cornelius] perſecutionis tempore, metu debilitatus, & nimia vitæ cupiditate adductus, ſe Presbyterum eſſe denegauit. Nam cùm à Diaconis rogatus, oratuſque eſſet, vt domo, qua ſe cõcluſum occuluerat, egreſſus, quantũ Presbytero liceret, quantũque in eius ſitum eſſet poteſtate, fratres in periculo cõſtitutos, opiſque & auxilij indigentes, iuuaret: [non enim poterant Diaconi Sacrificiũ offerre, aut Sacramentum parare, ſed id maioris, id eſt Presbyteri fuit:] tantum abfuit, vt Diaconis eum obſecrantibus obtemperaret, vt etiam nõ ſine ſtomacho & bile ab illis abiret, diſcederetque. nam ſe nolle ampliùs eſſe presbyterũ, ſed alteri vitæ generi ſe dicaturum aſſeruit. Deinde verò ſub perſecutionibus Hæreticorũ, plurima ſunt ſimilia teſtimonia & Ordinũ noſtrorũ, & Monachorũ. Imprimis enim Cõſtantio Imperatori Arriano reſpõdit [a] Liberius papa (quem volebat Cõſtantius ſubſcribere iniuſtiſſimæ cõdẽnationi Athanaſij per Arrianos) quòd Manũ Epiſcopi Deus non ad hanc rem, ſed ad Myſteriorũ ſanctificationem, & ad omnem iuſtam bonãque actionem exequendã paratã eſſe voluit. Quapropter exilio mulctatus eſt, vt præter alios narrat Sozomenus. De Athanaſio autẽ refert [b] Theodoretus, quod ſingulis ordinum Eccleſiaſticorũ muneribus cũ ſumma omniũ admiratione perfunctus eſt, & ſic ad Epiſcopatũ rite aſcẽdit. Qui [c] Athanaſius ipſe in Apologetico de fuga ſua (quẽ citant quoque Socrates & Theodoretus) narrans perditos conatus cõtra ſe Georgij Epiſcopi Ariani (ſub dicto Imperatore Conſtantio) adiuti copijs Sebaſtiani Manichæi Præfecti militũ, vt neci ipſum darent: Virgines [inquit] in carcerẽ conijci cœptæ ſunt; Epiſcopi cõſtricti vinculis, à militibus abduci: ædes viduis & orphanis adimi: &c: fratres clericorũ, pro clericis, in vitæ periculũ vocari. [Et poſterius de eodẽ Sebaſtiano:] Rogũ incẽdere, virgines propter ignem ſtatuere: eas, vt fidẽ Arrianã profiteri ſe dicerent, cogere cœpit. Vbi eas victrices eſſe, igniſque flãmas prorſus cõtemnere, animaduertit, detractis veſtibus, ſic eas in ora ac vultus verberare, vt diu pòſt ægrè à ſuis noſcerentur. [Qua de re ſcripſit etiam Athanaſius orationẽ cõſolatoriã ad Virgines illas, quæ acerbos illos cruciatus pertuliſſent. ipſiuſque tragædiæ meminit etiam, [d] apud Theodoretũ, Cõcilium Sardicenſe, dicens, Virgines nudatas, ſtatutaſq; in publico, &c. Eaſque virgines dicit [e] Theod. perpetuæ caſtitati ſe addixiſſe.

[a] Soz. lib. 4. cap. 10.

[b] Theo. hiſt. lib. 1. cap. 26

[c] Athan. in Apol. Soc. lib. 2. cap. 22. Theod. l. 2. c. 13. 14.

[d] Apud Theod. lib. 2. cap. 8.

[e] Theod. lib. 2. cap. 14.

Et ipſe apud eundem Athanaſius in dicto Apologetico:] Monachi quidam [inquit] & clerici, vnà nobiſcum erant. [Poſt quæ latitauit Homo Dei ſeptem annis in eadem ſua vrbe Alexandria apud quandam ſacratam
f Soz. lib. 5. cap. 6. virginem, vt eam *f* Sozomenus appellat. Conſtantinopoli etiam ſub
g lib. 4. cap. 2. eodem Conſtantio, vt *g* idem narrat] Martyrius ſubdiaconus, & Marcianus cantor & Sanctarum Scripturarum Lector, obtruncati ſunt, [accuſante eos Macedonio Archihæretico tanquam authores homicidij & ſeditionis cuiuſdam.] Horum quidem inſigne Sepulchrum eſt [inquit] pro mœnibus Conſtantinopolis extructum, & velut Monumẽtum Martyrum, Templo circundatum: quod Templum ædificare cœpit quidem Ioannes [Chryſoſtomus,] Siſinnius autem abſoluit: qui duo poſtea Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuere antiſtites. Nam indignum cenſuerunt, eos honore martyrij carere, quos Deus ipſe honore affecerat: quandoquidem locus, ad quem abducti ſecuri percuſſi ſunt, cùm ante inacceſſus eſſet, à ſpectris purgatus eſt: inque eo homines dæmonijs agitati morbo liberati, atque multa alia præterea miracula ad eorum Sepulchrum edita.
a Soz. lib. 5. cap. 14. [Cõſtantio hæretico ſucceſſit Iulianus Apoſtata, *a* qui ſimiliter Athanaſium perſecutus eſt.] Eleuſium etiam Cyzici Epiſcopum in carcerem concluſit [teſte Sozomeno] vtpote qui fana vaſtaſſet, delubra affeciſſet contumeliã, paraſſet ædes ad viduas alendas, Monaſteria ſacris virginibus extruxiſſet, & Gentiles ad ritus patrios contemnendos induxiſſet. [Et callidus hic Tyrannus in populum quidem, propter infinitam multitudinem, nihil ſtatuebat grauius.] at verò Clericos & Eccleſiarum antiſtites vrbibus exigere maturauit. quorum ab Eccleſijs abſentiã [inquit Sozomenus] moliebatur populi conuentus dirimere: ita vt neque conuenirent in vnum, neque doctores haberent, neque ſacra perciperent myſteria, denique vt temporis diuturnitate in ſuæ ipſorum Religionis obliuionem venirent. [Et de multis deinde alijs ab eo fugatis refert, qui
b lib. 5. cap. 5. Eccleſias & Monaſteria poſtea fundauerunt. Retulerat autem *b* ſuperius, quòd] Clericis omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria ipſis à Conſtantino donata, ademit: & eos denuo curijs addixit. Porrò à Virginibus & Viduis, quæ in Clerum [ſcilicet quoad priuilegia] erant propter egeſtatem adſcriptæ, ea exigi mandauit, quæ antè ab ærario publico acceperant. [Grauiora ſunt quæ ſub eodem ab Idololatris in eaſdem perſonas Religionis noſtræ deſignata in Palæſtina, narrat (præter
Theod. lib. 3. cap. 6. Naz. Orat. ad Arrian. Gregorium Nazianzenum) Theodoretus, dicens:] Primùm Virorum Sacerdotij dignitate exornatorum, & Mulierum perpetuam Virginitatem profeſſarum ventres diſcindunt: deinde farciunt hordeo: ad extremum eos

mum eos porcis deuorandos obijciunt. [De Antiochia deinde loquens, *Lib. 3. cap. 17.*
hiſtoriam [inquit] de fœmina quadam præſtantiſſima, planè memorabi-
lem narrabo. Publia fœmina illis temporibus nobiliſſima, & propter vir- «
tutis ſuæ præſtantiam plurimorum celebrata ſermonibus, matrimonij «
iugo aliquandiu copulata, fructum Deo dignum ſanè admiratione obtu- «
lit. Nam Ioannes [Chryſoſtomus] qui longo tempore Presbyteris An- «
tiochiæ præfuit, & ſæpè ad primatum Apoſtolicum ſuffragijs delectus, «
ſemper illum honoris gradum recuſauit, ex eius ventre, tanquam ex ad- «
mirabili ſolo editus eſt. Hæc mulier chorum Virginum perpetuam caſti- «
moniam profeſſarum ſecum habens, Deum omnium opificem ac Serua- «
torem hymnis aſſiduè celebrare ſolebat. Ac cùm Imperator illàc præter- «
grederetur, Virgines inter ſe multò clariore voce canunt: ratæ, illum «
conſceleratum Tyrannum contemnendum eſſe, & omniū irriſione lu- «
dendum. Canebant autem illos potiſſimum pſalmos, quibus debilitas Si- «
mulachrorum ſcitè derideretur, & cum Dauide dicebant: Simulachra *Pſal. 113.*
gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Ac poſtquam «
verſus, qui illa ſenſus omnis expertia eſſe pronunciant, recitauerant, «
iſtum adiungebant: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confi- «
dunt in eis. His Iulianus cum maxima animi ægritudine auditis, iuſſit, «
vt eo prætergrediente conticeſcerent. At Publia eius leges parui æſti- «
mans, maiore cum alacritate chorum Virginum in vnum coëgit: & illo «
prætereunte, denuò cantare mandauit, Exurgat Deus, & diſſipentur *Pſalm. 67.*
inimici eius. Itaque Tyrannus grauiter commotus, iubet magiſtram «
chori ad ſe adduci. Quam cùm anum, propter ætatem ingraueſcentem «
cùm primis venerandam cerneret: tamen neque canicie corporis ad mi- «
ſericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tri- «
buendum inducitur: ſed ſatelliti cuidam dat mandatum, vt vtramque «
malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro «
ſummo honore ducens, domum reuertitur, & Tyrannum (vt ſolebat) «
ſpiritualibus cantilenis perſtringit. [Sozomenus quoque refert iniurias *Soz. lib. 5. cap. 8. 9.*
ſub hoc Tyranno ab Ethnicis Gazenſibus illatas Chriſtianis: & quòd per
idem tempus Hilarion etiam Monachus [ille admirabilis, cuius Vitam «
ſcripſit S. Hieronymus,] à populo Gazæ quæſitus, profugit in Siciliam. «
[Vbi narrat deinde id quod ſuprà Theodoretus, ab Heliopolitis in Syria]
Virgines ſacras (incredibile quidem dictu, niſi quidam eorum qui eodem «
tempore vixerunt, idem ipſum narraſſent) quæ à populo conſpici mini- «
mè ſolent, in loco publico veſte nudatas. atque vt primùm eo quo libitum «
erat modo in eas inſultarant, ad extremum illarum capillum tondebant. «

quin-

" quinetiam eas diſſecabant bifariam, & ad illarum inteſtina deuoranda por-
" cos prouocabant, viſcerum extremitate, conſueto illis alimento, operta.
[Sub Valente dein rurſus Imperatore Arriano, Athanaſij ſucceſſore Pe-
tro Alexandrino expulſo, & Lucio Arriano Pſeudoëpiſcopo intruſo, ex
Soc. lib. 4. Edicto Imperatoris mandatum eſt [inquit Socrates] vt omnes qui fidem
c. 16. 17. " Conſubſtantialis tenebant, non Alexandriâ ſolùm, ſed ex vniuerſa etiam
" Ægypto penitus expellerentur. &c. Eodem tempore Monaſteria in ſo-
" litudine direpta, diuexata, & crudeliter expugnata fuêre. Nam inermes,
" qui ne manum quidem ad ictum repellendum extendere volebant, viri
" armati aggreſſi, miſerandum in modum enecarunt. [Item infrà:] Ad
Soc. lib. 4. Monaſteria Ægypti contendunt. ibi, viros conſueta obeuntes munera,
cap. 19. " preces ſcilicet fundentes, medicantes morbis, eijcientes dæmonia, com-
" prehendunt. & miracula per dei gratiam factitata non magno æſtiman-
" tes, ſolita Precationum officia in locis ad orandum ipſis deſtinatis exe-
" quendi nullam voluerunt omnino illis facere poteſtatem, ſed inde eos
" exturbarunt. Quinetiam in amentia longiùs progreſſi, temerarias populi
" turbas in eos incitarunt. Hæc Ruffinus ſe aſpexiſſe, inque calamitatis
Soz. lib. 6. ſocietatem cum illis veniſſe ſe, narrat. [Eademque de perſecutione Mo-
cap. 20. Theod. l. 4. nachorum illorum tanta operantium miracula ſcribunt Sozomenus &
ca. 23. 24. Theodoretus. Ruffini autem quem citauit Socrates, verba ſunt iſta:] Va-
25. 26. Ruf. l. 2. c. lens fauendo Hæreticis, abijt in viam patrum ſuorum. Nam & Epiſco-
2. 3. 4. " pos egit in exilium: & Presbyteros, ac Diaconos, & Monachos (Tatiano
" Alexandriæ Præſidente) vſque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit.
&c. [Ac mox de Lucio Arianæ Partis Epiſcopo:] Cuius primo ingreſſu
" tanta & tam turpia in Virgines & Continentes Eccleſiæ geſta ſunt, quæ
" nec in Perſecutionibus Gentilium memorantur. Inde &c. ad Mona-
" ſteria, furoris ſui arma conuertit. Vaſtat Eremum, & bella quieſcentibus
" indicit. Tria millia ſimul (aut eo amplius) viros, per totam Eremum ſe-
" creta & ſolitaria habitatione diſperſos, oppugnare pariter aggreditur. &c.
" Quæ preſens vidi, loquor, & eorum geſta refero, quorum in paſſionibus
" ſocius eſſe promerui. [& cætera, in quibus nominat Patres tunc Mona-
chorum, ſeu Abbates, cum quibuſdam eorum miraculis, dicens tam
" multa fuiſſe, vt narrationem proprij operis mereantur. Sed in his om-
" nibus Lucius [inquit] non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mi-
" rabilibus detulit: &c. [Erant autem plurimi inſignes Monachi ſeu Ab-
bates, qui iſtam perſecutionem paſſi ſunt, quos iſti Auctores nomina-
tim exprimunt, maximè autem inter cæteras excellunt narrationes de
duobus, Aphraate, & Baſilio, qui coram ipſo Valēte magnam in Catholica
fide con-

fide conſtantiam oſtenderunt. Nam Aphraates apud Theodoretum, Va- *Theod. lib.*
lenti dicenti ſibi, quod lex monaſtica iubet Monachos manere domi intra *4. cap. 24.*
cellam, reſpondit quaſi alter Elias ad Achab: Tu iam in Patris noſtri «
ædes flammam iniecisti. ideò nos circumcurſitamus, quò eam maturè poſ- «
ſimus extinguere. [Sanctus quoque Baſilius, Magnus ille & celeberrimus
Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, qui & ipſe (vt aiunt Socrates, Ruffi- *Soc. lib. 4.*
nus,) ſolitariam viuendi rationem cum Gregorio Nazianzeno ſibi delegit, *cap. 21.*
& loca ad monaſticam diſciplinam exercendam etiam in Ponto conſti- *Ruff. lib. 2. cap. 9.*
tuit: hic quoque apud Valentem magna libertate vſus eſt. Denique eun- *Vide Moti. 25. nu. 18.*
dem ſermone & mira virtute ſua conuertit, ita vt (teſte Theodoreto) ad *Theod. lib.*
Templum ſanctum catholicum ſe conferens, conſueta dona offerret al- *4. cap. 17.*
tari, licèt poſtea redierit vt canis ad vomitum. In eiuſdem Valentis Per-
ſecutione nominat Ruffinus, (itemque Socrates, Theodoretus & Sozo- *Ruff. lib. 2.*
menus) alium Monachum, nomine Moyſen, meritis & virtutibus ac ſi- *cap. 6.*
gnis nobiliſſimum: qui à Mauuia Sarracenorum Regina poſtulatus, inter *Soc. lib. 4. cap. 29.*
conditiones pacis cum Valente, Genti ſuæ Apoſtolus & Epiſcopus, liberè *Theod. lib.*
dixit coram ducibus Valentis, cum eſſet ordinandus: Lucius Sanctorum *4. cap. 21. Soz. lib. 6.*
ſanguine pollutas & cruentas ſuper me non inijciet manus. Et ita (quo- *cap. 38.*
niam perurgebat neceſſitas Reipublicæ conſulendi) compulſus eſt Lucius «
acquieſcere, vt ab Epiſcopis quos in exilium truſerat, Sacerdotium Moy- «
ſes ſumeret. [Similis eſt narratio Theodoreti de Antiocho in eadem per- *Theod. lib.*
ſecutione, qui ad ſacram menſam genu flectens, vt ordinaretur Samoſa- *4. cap. 14.*
tenſis epiſcopus, non paſſus eſt, vt inter cæteros ordinatores ſuos Epiſco-
pos, Iouiani Pergenſis, qui aliquandiu communioni Arrianæ adhæſerat,
ſibi imponeretur manus, quæ [inquit] Sacra Myſteria per blaſphemiam
conſecrata receperat. [Et paulò ſuprà narrat relegatum ab eodem Valente *Cap. 12.*
Pelagium Epiſcopũ Laodicenſem, qui cùm adoleſcens eſſet, duxit vxorem, «
primoque nuptiarum die, in ipſo nuptiali thalamo, ſponſæ perſuaſit, vt ca- «
ſtitatem pluris quàm concubitum æſtimaret, & vt amorem fraternum pro «
cõiunctione iugali teneret edocuit. [& propter huiuſmodi virtutes poſtea
factus epiſcopus eſt. Extat porrò apud Theodoretũ Epiſtola ipſius S. Petri
Alexandrini Epiſcopi, hæc ſuprà dicta de Lucio Arriano cõfirmãs. Qualia *Apud*
enim Alexandriæ Georgius ſub Athanaſio, talia planè Lucius hic ſub Pe- *Theod. lib.*
tro Athanaſij ſucceſſore contra Virgines, & Monachos, & alios Catho- *4. cap. 20.*
licos deſignauit. Contumelias [inquit Petrus] in Chriſti Virgines iacere «
non ſunt veriti &c: denudarunt, violarunt, occiderunt, &c. [puerũ, mulie- «
rem] in ipſo Altari, vbi pro Spiritus Sancti deſcenſu inuocari ſolet, ſaltare «
cõpulerunt, ridentes &c. Lucium Pſeudoepiſcopũ in Vrbe comitati ſunt, «

„ non Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, non Monachi, Hymnos ex ſacris „ literis depromptos cantantes, [ſed Arianus quidam excommunicatus,] & „ Magnus Comes, cum ingenti militum manu, vir nullo non impietatis „ genere ſemper nobilitatus. &c. [Denique] viginti tres Monachi ad Me- „ talla damnantur. [& vndecim Epiſcopi Ægypti,] qui ab ineunte ætate „ ad ſummam vſque ſenectutem Solitudinem, ſeueræ diſciplinæ causâ, in- „ colu[e]rant, &c, [in exilium eijciuntur. item] Clerici Eccleſiæ Catholicæ „ Antiochenæ, cum quibuſdam Monaſticæ vitæ ſpectatis. [Sed omnes in hac Valentis Perſecutione ſuperat hiſtorias, S. Paulini Nolani Epiſcopi narratio de S. Melania fœmina nobiliſſima, & a Scriptoribus illius temporis plurimum decantata.] De multis [inquit Paulinus] in illa virtutibus Dei, vnam ſaltem, de qua omnia eius æſtimentur, operam prædicabo.

Paulin. Epi. 10 ad Seuerum.

„ Tempore illo Valentis, quando Eccleſiam Dei viui furor Arrianorum, „ Rege ipſo impietatis ſatellite, perſequebatur, hæc erat princeps vel „ particeps cunctis pro fide inſtantibus: hæc fugatos recipiebat, aut appre- „ henſos comitabatur. ſed cùm eos recepiſſet in latebram qui, propter „ inſignem fidem, maiore & Hæreticorum odio infeſtabantur, & occultan- „ tium tegebantur inuidiâ: graui tunc ſeditione diaboli facibus inflammatâ, „ quaſi contra legem publicam contumax, protrahi, ac pati iuſſa eſt, quæ „ illos manebant, niſi prodere maluiſſet. Proceſſit impauidè, cupida paſſio- „ nis, & iniuriâ publicationis exultans, quamuis non expectaſſet trahi, „ tracturos anteuolans ad Iudicem: qui confuſus veneratione præſentis, „ non executus eſt infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. [Ac tum ſequitur id quod quærimus, exemplum glorioſum atque magnificum:]

Ibid. 6. „ Eadem tempeſtate, [inquit] per triduum, quinque millia Monachorum „ latentium panibus ſuis pauit: vt per eius manum iterum Dominus Ieſus „ priſtinum numerum in Deſerto paſceret: tanto quidem nunc impen- „ ſiore clementia, quanto minore licentia fouebantur occulti, quàm illi „ quondam qui ad Dominum voluntariè in libertate & pace conuenerant. „ Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum ſecura præbebat officium: „ nec volens gloriâ operationis agnoſci, tamen operis magnitudine pro- „ debatur: totidem apud homines teſtimonijs glorioſa, quot paſtis Deo

3. Reg. 18. conſcia. Quid hæc meriti habeat æſtimemus, cùm in Hiſtoria Regnorum

Abdias dux Achab. „ ille celebretur, qui abſconditos ab ira æquè impij Regis centum Viros Dei „ pauit? Dubitandum eſt, hanc in opere ſimili ſæpè millies hunc numerum

a Matt. 13. ſupergreſſam fructum feciſſe a centeſimum?

Hæc igitur ſub Conſtantio & Valente Arrianis Monachi cum Clericis paſſi ſunt. Nec diſſimilia pòſt ſub Vandalis in Africa Arrianis,

Genſe-

Genſerico & Hunerico regibus perſequentibus. quam hiſtoriam pleniſ-
ſimè deſcribit ſæpè dictus S. Victor Vticenſis Epiſcopus. Et primùm
ſub Genſerico, ᵃ Ab eorum contagione [inquit] nullus remanſit locus “ a Victor. de
immunis. Præſertim in Eccleſijs, Baſilicisque, & Cœmeterijs, & Mo- “ perſ. Vand.
naſterijs ſceleratiùs ſæuiebant. &c. Quanti tunc ab eis præclari Pontifi- “ lib. 1. fol. 1. b.
ces, & nobiles Sacerdotes diuerſis pœnarum generibus extincti ſunt, &c! “
[Et poſt multa:] ᵇ Si forſitan quiſpiam, vt moris eſt, dum Dei popu- “ b fol. 5. a.
lum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonoſor, Holofernem, aut ali- “
quem ſimilem nominaſſet, obijciebatur illi, quòd in perſonam Regis iſta “
dixiſſet, & ſtatim exilio trudebatur. &c. Qua de re plurimos Sacerdo- “
tum tunc nouimus relegatos, &c. & Felicem epiſcopum, ob hoc, quòd “
ſuſcepiſſet quendam Ioannem Monachum tranſmarinum. [Et paulò “
pòſt:] ᶜ Sed etiam martyria quàm plurima eſſe probantur, Confeſſorum “ c fol. 6. 7.
autem ingens & plurima multitudo. Erant tunc ſerui cuiuſdam Van- “
dali, Martinianus, Saturianus, & eorum duo germani, erat & conſerua “
eorum quædam egregia Chriſti ancilla nomine Maxima, corpore ſimul “
& corde decora. [Quorum tormenta varia, & ſtupenda Miracula ego ſuo
loco ex hoc Auctore recenſui. Huius autem loci ſunt quæ ſequuntur: Moti. 10.
quòd ſcilicet cùm Vandalus Martinianum Maximamque coniugali con- “
ſortio crediſſet ſociare, Martinianus, adoleſcentulorum ſecularium “
more, coniugium affectabat. Maxima namque iam Deo ſacrata, huma- “
nas nuptias refutabat. [quæ & propterea ei in thalamo reſpondit:] Chriſto
ego, ô Martiniane frater, membra mei corporis dedicaui, nec poſſum “
humanum ſortiri coniugium, habens iam cæleſtem & verum ſponſum. “
ſed dabo conſilium: Si velis poteris & ipſe tibi præſtare cùm licet, vt cui “
ego concupiui nubere, delecteris & ipſe ſeruire. Ita factum eſt, vt obe- “
diens virgini, etiam adoleſcens ſuam animam lucraretur. qui & tribus “
fratribus ſuis perſuaſit, vt theſaurum quem inuenerat haberent, vtpote “
germani, communem. [Itaque neſciente Vandalo, Dei puella comitan- “
te, clàm egredientes, Tabraceno Monaſterio, cui præerat tunc nobilis “
paſtor Andreas, ſociantur. Illa verò haud procul Monaſterium incoluit “
puellarum. [Sed reperti pòſt à Vandalo, mira ſunt quæ decernente Rege,
paſſi ſunt, & alias à me expoſita. Denique relegauit in exilium Rex qua-
tuor fratres.] Maximam verò, Chriſti famulam, confuſus & victus mira- “
culis, propriæ voluntati dimiſit. quæ nunc [inquit S. Victor] ſupereſt “
Virgo, mater [id eſt, Abbatiſſa] multarum Virginum Dei, nobis etiam “
nequaquam ignota. [Tandem & filij huius, Hunerici crudelitates narrat,
dicens poſt alia:] ᵃ Præcepit deinde Sacras Virgines congregari, dirigens a lib. 2 fol. 16. b.

 Vanda-

„ Vandalos cum ſuæ Gentis obſtetricibus, ad inſpicienda & contrectanda,
„ contra iura verecundiæ, verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec
„ aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio, atque ingentia
„ pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamillis,
„ & lateribus apponebant: quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quo-
„ modo Epiſcopi vobiſcum concumbunt & Clerici veſtri. [Et poſt multa,
b lib. 3 fol. 42. a. in alia perſecutione eiuſdem, narrat [b] linguas & manus dextras radicitus
„ abſciſſas multis. qui tamen, Spiritu ſancto præſtante, ita loquuti ſunt, &
„ loquuntur [inquit] quomodo antea loquebantur. Sed ſiquis incredulus
„ eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet vnum de
„ illis, Subdiaconem Reparatum, ſermones politos ſine vlla offenſione lo-
„ quentem. Ob quam cauſam venerabilis nimium in Palatio Zenonis Im-
„ peratoris habetur, & præcipuè Regina mirâ eum reuerentiâ veneratur.
c fol. 43. a. [Poſt pauca:] [c] vniuerſus Clerus Eccleſiæ Carthaginenſis cæde inedia-
„ que maceratur, ferè quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi
„ erant Lectores infantuli &c. Poſt Archidiaconũ Salutarem, artatur pœnis
d fol. 44. a. Muritta Diaconus. fuit enim ſecundus in officio Miniſtrorum. &c. [d] Pa-
„ rantes itaque vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergũt. &c.
„ De multitudine autem pergentium Confeſſorum, id eſt, Eccleſiæ Cartha-
„ ginis clericorum, ſuggerente quodam exlectore Teuchario perdito, quos
„ ille nouerat vocales, ſtrenuos, atque aptos modulis cantilenæ, deſignatio-
„ ne ſua debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe dum Catholi-
„ cus eſſet tunc diſcipulos habuit. [Miranda autem fuit horum duodecim
puerorum choriſtarij conſtantia in fide & cõmunione catholica, quæ nec
e fol. 44. b. & 53. a. blanditijs, nec verberibus, fuſtibus, vulneribus labefactari potuit. [e] Tunc
„ & ſeptem fratres, non natura ſed gratia, ſimul in Monaſterio comma-
„ nantes, confeſſionis certamine expleto, immarceſſibilem peruenerunt ad
„ coronam; id eſt, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus ſubdia-
„ conus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus,
& Maximus Monachus. [quorum martyria dira, & miracula diuina alias
f fol. 52. commemoraui.] [f] Ipſi [inquit S. Victor de his, in Paſſione eorum] di-
„ gnentur pro me miſero, Domino ſupplicare. &c. [Vbi rurſus de Huneri-
„ co:] Vniuerſas ſimul eccleſias, præiudicatis venerabilibus portis, cœmen-
„ tis ingentibus claudi mandauit. Vniuerſa namque Monaſteria virorum
„ vel puellarum ſanctarum Gentibus, id eſt, Mauris, cum habitatoribus, do-
nare præcepit. [Vnde eſt illa vox eius flebilis in planctu ſeu Lamentatio-
g fol. 51. a. ne Africæ ſuæ:] [g] Virgines, & iuuenes eius, in aulis educati Monaſterio-
„ rum, abierunt in captiuitatem Maurorum, &c.

Et hæc

Et hæc quidem in terris Romanorum paſſi ſunt à Perſecutoribus vel Paganis vel Hæreticis, Clerici noſtri, Sanctimoniales, atque Monachi. Sed & in Perſide, ſub rege Sapore, tempore Conſtantini Magni, eadem omnino ſunt paſſi, Iudæis etiam inſtigantibus, Religioni Chriſtianæ ſemper infenſis. Legantur quæ [a] Sozomenus narrat tum patrata in Chriſtianos, quòd ipſorum quàm plurimos voluntariam egeſtatem excolere norat Rex: in Sacerdotes, Diaconos, Archiepiſcopum. quomodo Eccleſias diruit, earum theſauros ac monimenta in publicum proferri iubet. [item,] [b] ſexto die hebdomadæ, in quo ante celebrem diem feſtũ Reſurrectionis, memoria ſalutaris Chriſti Paſſionis quotannis recoli ſolet, decernit rex, vt Simeones archiepiſcopus gladio feriatur. Nam forti & magno animo cum rege de fide Chriſtiana diſſeruerat: & neque illum, neque Solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, itidem obtruncari iubet. Horum pars Epiſcopi, pars Presbyteri, pars ex alio Clericorũ ordine fuerunt. [Et infrà:] [c] Tarbula, ſoror Simeonis epiſcopi, ſancta Virgo, ſimul cum ancilla idem vitæ genus colente, & ſorore eius, quæ poſt viri mortem abſtinuit à nuptijs, & eandem viuendi rationem tenuit, comprehenditur. [quæ omnes etiam occidũtur. & deinde,] [d] infinita multitudo Preſbyterorum, Diaconorum, Monachorum, ſanctarum Virginum, & aliorum qui in Eccleſiarum miniſterio verſabantur. [[e] vbi inter alios narrat de martyrio Millis cuiuſdam,] qui primùm apud Perſas militauerat: poſtea autem relicta militia, vitæ genus planè Apoſtolicum excolere cœpit, [multa edens diuina miracula. quique poſt euerſionem vrbis incredulæ prædictam,] peram ſolùm, in qua ſacratum Euangeliorum librum habebat, ſecum geſtans, Hieroſolymam precatum ſe contulit: indeque in Ægyptum ad viſendos Monachos, qui ibi ætatem degebant, conceſſit.

a Soz. lib. 2. cap. 8.
b cap. 9.
c cap. 11.
d cap. 12.
e cap. 13.

Ex hoc igitur decimo de Clero, Virginibus, & Monachis ſic tũ vaſtatis, & ex reliquis nouem argumẽtis præcedẽtibus (nam plura prolixitas nimia nõ permittit) clariſſimũ & euidẽtiſſimum eſt, Chriſtianos in illis Perſecutionibus nõ fuiſſe Proteſtãtes, ſed Religionis noſtræ. Simulq; ex vaticinijs Iſaiæ, & aliorum Prophetarum, & ipſius Chriſti Domini, certiſſimè cõſtat, fuiſſe populũ Dei qui illa tum patiebatur: ita vt Euſebius, producto Agapio martyre coram ipſo Maximino Imperatore, rectè annotet, hoc dictũ ſalutare, quod Dominus Diſcipulis ſuis Diuina præſcientia prædixiſſet (nimirũ, quòd coram Regibus adducerẽtur propter teſtimonium eius) verè tum cõpletũ eſſe. Ex quibus ſic euidẽter oſtẽſis, ſequũtur iam quædã, diligẽter & ſeriò tum à Proteſtãtibus tum à Catholicis põderãda. Et à Proteſtãtibus quidẽ iſta: primũ, quòd dũ nos, id eſt, vel Clericos noſtros, vel Monachos, XXIII.

Euſ. lib. 8. cap. 16.
Matth. 10.

Schiſma eiuſmodi ortum eſt ætate Cypriani Martyris inter Cornelium & Nouatianum, quem Euſebius Nouatum corruptè appellat. Cuius poſt alia, facinus omnium ſanè peſſimum (inquit Euſebius) Cornelius in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum tradit his verbis: Cùm

Apud Euſ. Hiſt. lib. 6. cap. 35.

„ feciſſet oblationes [id eſt, Miſſas] & ſingulis partem Sacramenti diſtri-
„ buiſſet, porrexiſſetque: miſeros homines & infelices pro benedictione
„ & gratiarum actione iuſiurandum dare coëgit. Atque ſuis vtriſque ma-
„ nibus manus accipientis prehendens, non priùs dimiſit, quàm hoc iure-
„ iurando eum obſtrinxiſſet (illius enim verbis vtar:) Iura mihi per Cor-
„ pus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, te nunquam me de-
„ ſerturum, nec ad Cornelium reuerſurum. Atque miſer homo non antè
„ deguſtauit, quàm ita illi ſe deuouiſſet. Et qui illum acceperat, pro Amen,
„ quod dicere debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium reuertar.

[In hoc igitur horribili Schiſmate, quàm neceſſariā duxerint Cyprianus & alij Chriſtiani illius Decianæ Perſecutionis Communionem veri Romani Pontificis, magis ex Motiuo 28 conſtabit. Et hæc de Communione Summi Pontificis dicta ſufficiant.

XIX. Iam & de religioſo ac ſolenni vſu ſalutaris Signi Dominicæ Crucis in illis ijſdem Perſecutionibus, nemo ignorare poteſt, qui vel Motiua 13 & 14 de Vſu & Virtute eiuſdem legerit, vel in præſenti Motiuo recordetur quæ ex Lactantio ferè in Principio repetiui, de cauſa perſecutionum multarum nata ex Chriſtianorum in frontibus ſignatione; quæque nunc pauloantè citaui ex Petro Epiſcopo Alexandrino de Diacono S. Damaſi Romani Pontificis, qui cùm in perſecutione Arriana omni humano deſtitueretur auxilio, ad Chriſtum confugiens ſe in fronte ſignauit: quæ ex Victore etiam in hoc ipſo Motiuo, de Eugenio Epiſcopo in Perſecutione Vandalica conſignante Signo Crucis oculos Cæci, qui ſtatim viſum, Domino reddente, recepit. Qui Victor [b] alibi etiam inter ceremonias Baptiſmi meminit Signationis in fronte: [c] Armogaſtæ item martyris, cuius Arriani frontem in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat crucis, arabant. Hinc etiam fuit id quod apud Euſebium Eccleſiæ Vienneñſis & Lugdunenſis in Gallia ſcribentes ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ de Martyribus ſuis ſub Antonino Vero, in illo ſtupendo & multiplici Martyrio S. Blandinæ ancillæ Chriſtianæ referunt, quòd trabi ligneæ

b fol. 51. b.
c fol. 9. a.
Euſ. Hiſt. lib. 5. cap. 1.

„ ſublimis affixa, [vt præda eſſet beſtijs incurſantibus,] quoniā & in Crucis
„ ſpecie ſuſpenſa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnam con-
„ certantium mentibus alacritatem iniecit: quippe in ipſo certamine, ex
„ ſorore cruci ſuffixa, ipſum Chriſtum, qui pro nobis crucifixus eſt,

oculis corporeis quodam modo videbant: vti credentibus in illum pro "
certo perſuaderetur, quòd qui pro eius gloria quicquam perpetiatur, hæ- "
reditatis ſit cum Deo viuente conſors & particeps futurus. [Cui ſimile eſt "
& illud, quod ſub Diocletiano narrat Euſebius, qui ipſe quoque interfuit, *Euſ. lib. 8. cap. 7.*
Tyri in Phœnice geſtum, admirabile exemplum Chriſtianæ conſtantiæ.
Vidiſſes enim [inquit] Adoleſcentulum [in theatro vel circo] non viginti "
annos integros natum, nullis conſtrictum vinculis, firmè conſiſtentem: "
manibus in Crucis modum è tranſuerſo expanſis, robuſta & excelſa mẽte "
in precibus ad Dei numen fundendis attentiſſimè defixũ: neque omnino "
ſe commouentem, neque in hãc vel illam partem de loco in quo ſteterat, "
deflectentem: idque cùm vrſi & pardi furorem & mortem in eum exha- "
larent, cumque iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur. quorũ "
ora diuinâ quadam & inexplicabili potentiâ neſcio quo pacto fuere propè "
obturata, & iterum ipſi retrò properè recurrerunt. [Hoc eſt, quod multo
etiam ante ſcripſerat Tertullianus de Chriſtianis orãtibus manibus expã- *Tert. in Apologet. cap. 30.*
ſis, & dicens Gentilibus perſecutoribus: Sic itaque nos ad Deum expanſos
vngulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detrun- "
cent, beſtiæ inſiliant: paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus oran- "
tis Chriſtiani. [Poſt illam autem Diocletiani Perſecutionem retuli ex
Euſebio inter Religionis Chriſtianæ monumenta reſtituta, etiam arcana
Paſſionis Seruatoris ſymbola. Et circa ea tempora ad Saporem Regem *Soz lib. 2. cap. 13. 14.*
Perſarum, (ſub cuius perſecutione atrociſſima numerati ſunt Martyres
in Perſide ad ſedecim millia, præter alios innumerabiles) ſcribit pro
Chriſtianis ſuis Conſtantinus Magnus (apud Sozomenum) allegans in-
ter alia, quòd Signum Crucis, ſuas copias antecedens, ſatis ſibi attuliſſet
ſubſidij, intelligens nimirum, quòd Maxentium Tyrannum in hoc victo- *Euſeb. Hiſt. lib. 9. cap. 8.*
rioſo Signo viciſſet, vt extat apud Euſebium. Contra alterius Pagani
regis Perſarum Choſrois perſecutionem (vt narrat [a] Euagrius) munie- *a Euag. lib. 2. cap. 25.*
runt ſe & ciuitatem ſuam Chriſtiani Antiocheni, adoratione Ligni Cru-
cis, igne (vt ſuprà monui) mirabili comitante. [b] Edeſſeni verò, Ima- *b cap. 26.*
gine Chriſti, quam miſit ad Abgarum. [c] Sergiopolitani autem volebant *c cap. 27.*
ſe ab eius obſidione redimere ſacris theſauris, & monumentis, in quæ
erat Crux pretioſiſſima: qui poſtremò Reliquijs & apparitione S. Sergij
mirabiliter liberati ſunt.

Quàm multa porrò in his quæ iam dixi, animaduerti potuerunt à XX.
ſtudioſo Lectore teſtimonia & exempla illorum Martyrum, de Me-
rito ſalutis per bona opera, & maximè per Martyrium! vt quod in paſ- *Apud Euſ. Hiſt. lib. 5. cap. 1.*
ſione S. Blandinæ Galli ſcribebant: per illuſtre illud certamen coronam

" immortalitatis aſſecuta eſt. [& paulò antè de alijs:] par erat eos, immor-
" talitatis gloriâ coronari. [Et quæ S. Cyprianus ſcripſit ad Martyres & ad
" Virgines:] cùm in vobis Dominus Martyrium & Virginitatem cœperit
Apud Soc. lib. 2. cap. 15. honorare. [Et quod S. Iulius Romanus Pontifex apud Socratem dicit ſi-
" militer, Athanaſium pro perſecutionibus & præclaris virtutibus in cælo
coronandum. cum alijs huiuſmodi (ſi breuitatis modus ſineret) infinitis.
Quàm multa etiam de religioſis Peregrinationibus ad loca Sancta vel
Chriſti vel Martyrum eius! vt Alexander Epiſcopus Cappadociæ ve-
niens Hieroſolymam voti causâ: & poſt turbinem Diocletiani, ad noua
Templa concurſus Peregrinorum longè ab exteris regionibus acceden-
a Soz. lib. 2 cap. 13. tium, ex Euſebio. Miles etiam admirabilis apud [a] Sozomenum, qui ſub
Sapore Perſico Tyranno Hieroſolymam precatum ſe contulit. Et quod
b Ruff. lib. 2. cap. 5. Soc. lib. 4. cap. 14. [b] Ruffinus atque Socrates narrant de Edeſſa Thomæ Apoſtoli Reliquijs
decorata, & Templo ibi egregio atque magnifico eidem Apoſtolo dica-
to, ad quod crebra hominum multitudo propter loci ſanctitatem con-
fluat: ac Valens ipſe Imperator Arrianus inter cæteros, quando contigit
illud memorabile & celeberrimum exemplum Catholicæ fortitudinis in
muliere perrumpente aciem Militum cum filiolo, vt in Templo cum
cæteris Catholicis occumberet martyrio. Quàm multa etiam de Sacra-
mentis alijs, & alijs in eorum adminiſtratione ceremonijs, quàm quæ
Apud Euſ. lib. 6. cap. 35. placeant Proteſtantibus! ad quæ vnicum ex Epiſtola Cornelij Papæ apud
Euſebium exemplum in Nouatiano hæretico locuples atque fertile non
Cochlæus in vita Lutheri. pigebit adiungere. Sic igitur ſcribit de eodem S. Cornelius: Ex Satana
" (qui ingreſſus in illum, diu eſt in intimo pectore commoratus) primùm
Surius ad an. 1517. data illi fuit credendi occaſio. [quemadmodum etiam ſcribunt multi,
" Luthero primum datam eſſe occaſionem ingrediendi Religionem.] Qui
" quidem, vbi Exorciſtarum præſidio, ſpiritu illo malo eſſet liberatus: &
" poſt in tam grauem morbum, vt iam fermè mori putaretur, incidiſſet, in
" lecto, in quo decumbebat, aqua circumfuſus, Baptiſmum accepit: ſi
" modò talem hominem Baptiſmum [dignè] accepiſſe dicendum ſit. Verùm
" morbo tandem elapſus, neque cætera quibus poſt Baptiſmum ſecundum
" Eccleſiæ canonem imbui oportuerat, acquiſiuit; neque Domini Sigillo
" ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quo modo
" quæſo Spiritum ſanctum adeptus eſt? [Datur enim in hoc Sacramento
Epiſcopalis Cõfirmationis Spiritus ſanctus ſingulari quodam & peculiari
Moti. 90. modo, ſecundũ Scripturas à me alio loco copioſè allegatas. Sed dũ in hoc
ſeptimo de ſingulis Articulis loco, ad inueſtigãdam antiquã Perſecutionũ
Religionem, ex infinitis pauca decerpo, breuitatis excedo modum.

Octauo

Octauò igitur (vt ad generales obſeruationes reuertar) animaduertat Lector prudens, quinam hodie ſint, vtrum nos ſcilicet, an Proteſtantes, qui verſentur in Vitis, paſſionibus, & memorijs illorum Martyrum recolendis. Certè noſtri ſunt Aloyſius Lipomanus Veroněſis Epiſcopus, & Laurentius Surius Monachus Carthuſianus, viri diligentiſſimi & religioſiſſimi, qui poſt alios noſtros eaſdem Sanctorum Vitas ex authenticis Scriptoribus in Tomos & Volumina labore vtiliſſimo collegerunt. Noſtraque eſt Eccleſia, quæ etiam publicè & ſolenniter non modò anniuerſarios eorumdem Sanctorum dies (idque ſecundum morem primitiuæ Eccleſiæ, teſte ſuprà inter alios Cypriano) recolit & concelebrat, legens tunc in Officio Nocturno Paſſiones eorum, & Deo in Miſſa ob eorum honorem offerens Sacrificia, verùm quotidie etiam in Hora canonica quæ dicitur Prima, Martyrologium recitat. Contraque Proteſtantes ſunt, qui & hunc ſolennem & perpetuum Eccleſiæ morem è ſuis conuenticulis vel ex toto vel ex maxima parte eliminarunt, &, ſi fortè Martyrologia ſcribant (ſicut Ioannes Criſpinus & Ioannes Foxus Anglus) nouos tantum iſtos pſeudomartyres prædicant, antiquos autem Martyres vix attingunt. Lege modò veterum Martyrum Vitas, & nihil miraberis vel noſtrorum ex vna parte diligentiam, vel Proteſtantium ex alia parte ſilentium. tam perſpicuè ſcilicet deprehendes, eos omnes & ſingulos fuiſſe noſtros, & nec vnum quempiam eorum fuiſſe Proteſtãtem. Ad quam lectionem equidem omnes qui ſanam fidem & piam vitam cupiũt, identidem vehementer hortor, prædicens atque promittens in Domino, quod neminem vnquam illius operæ pœnitebit. quod qui mihi non credit, videat apud S. Auguſtinum, quid in multis vnius S. Antonij Monachi Vita ſemel lecta perfecit. XXI.

Vitæ Sanctorum.

Aug. Cõfeſ. lib. 8. ca. 6. vide Moti. 25. nu 21.

Nonò animaduertit Lector in his quæ de Perſecutionibus dixi, quòd ſancti Patres, vt S. Cyprianus, S. Athanaſius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Victor, & alij, illorum Chriſtianorum de quibus quærimus, participes, imò duces & anteſignani, cum in Religione, tum in perſecutione fuerint. Ac ſimul recordatur, Proteſtantes multis modis fateri, (vt oſtendam in Motiuo 26 fuſiùs) ſe à Patrum Religione, tanquam à noſtrâ, diſſidere. Ex quo rurſum euidenter habetur, non Proteſtantes in religione, ſed nos, cum illis Martyribus conuenire.

Decimò & vltimò conſiderent etiam hoc prudentes, & omnes, cùm illi Perſecutores interdum contra omnes Chriſtianos, plerumque autem contra ſolum Clerum, & ſemper potiſſimùm contra eum baccathi & graſſati fuerint, ipſum illum Clerum fuiſſe noſtrum, & non Proteſtan- XXII.

Not. 34. 25 tium, ſicut alibi fuſiùs, ſed & hic ſatis oſtendam ex ipſis Cleri illius ac noſtri ordinibus & officijs: imò (quod diligenter annotandum eſt) ſæpiſſime etiam Monachos & Monachas fuiſſe, qui illa patiebantur. quæ ſi clariſſimè demonſtrabo, quis dubitet, quin vaniſſimi & impudentiſſimi ſint Proteſtantes, dum conantur illos Martyres & Confeſſores nobis præripere, quemadmodum etiam dum ſe in religione nobis, id eſt ſocijs illorum Martyrum manifeſtiſſimis, non erubeſcunt opponere? Ecce igitur quid in Diocletiani perſecutione factum ſit. Carceres [inquit Euſe-

Euſ. Hiſt. lib. 8. cap. 6.

bius] paſſim, qui iam olim homicidis, & mortuorũ ſepulchris conditorum ,, expilatoribus parati fuerant, tunc Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Lecto- ,, ribus, & Exorciſtis penitus referti ſunt. adeò vt his qui maleficijs tene- ,, bantur obſtricti, nihil illic loci eſſet reliquum. [Et [a] poſtea meminit Romani Martyris, qui fuit Eccleſiæ Cæſarienſis Diaconus & Exorciſta. vbi ,, concludit, & tranſit, dicens: Hæc igitur primo anno, cùm Perſecutio ſo- ,, lum contra Eccleſiæ præſides graſſaretur, geſta fuerunt. [nam deinceps ſæuire cœperunt contra omnes Chriſtianos, etiam Laicos. in quibus deſcribendis meminit deinde [b] Romuli Subdiaconi, item [c] Virginum quæ ſua ſponte Dei cultui ſe conſecrauerant &c. & nominatim [d] Theodoſiæ Virginis, de qua etiam ſuprà. item [e] pòſt, aliarum duarum, quæ Virginitatis ſcopum ſibi propoſuerant. [f] Petri etiam cuiuſdam, qui fuit ἀσκητὰς, (id eſt, religioſus vel monachus, vt verè exponit Interpres Ioannes Chriſtophorſonus, Reuerẽdiſſimus nuper in Anglia Ciceſtrẽſis Epiſ- ,, copus) vitam ſolitariam & meditationi deditam ſecutus. quem Iudex & ,, qui ei aderant in conſilio, ſæpiſſimè orabant, vt ſui ipſius miſereretur, ſuæ- ,, que adoleſcentiæ & ætati florenti parceret. ſed ille eorum hortationibus ,, penitus neglectis, & ſpe quam in Deo omnipotenti collocaſſet, omnibus ,, rebus longè prælata, Cæſareæ per ignem, velut aurum puriſſimũ, fidem in Chriſtũ Dei, generoſo & excelſo animo accuratè probauit. [Quem [g] mox ſequitur Seleucus quidam, qui initio perſecutionis cæſus, & dignitate ſpoliatus, eorum qui ἀσκηταὶ, (id eſt pietatis cultores vel monachi) qui dies noctéſque diuinis meditationibus ſe exercent, æmulum ſe & imitatorem effecit: &c. Tandem verò perſecutione ſedata, habentur paſſim in Tẽplorum dedicationibus Panegyricæ orationes, in quibus ſic affantur Sacerdotes præſentes:] [h] Amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacroſancto podêre indumẽto, cæleſti gloriæ corona, diuina vnctione, & ſacrata ſancti Spiritus ſtola circũveſtiti, &c. Antea quoque in Perſecutione Decij, præter [i] Apolloniam virginẽ prouectæ ætatis, [k] eſt Epiſtola Cornelij Papæ (de qua ſuprà) contra Nouatianũ, teſtantis, in Eccleſia Romana fuiſſe tum tẽporis præter Epiſco-

a cap. 12. b cap. 13. c cap. 15. d cap. 17. e cap. 18. f cap. 20. g cap. 21. h lib. 10. cap. 4. i lib. 6. cap. 34. k cap. 35.

Epiſcopum (qui vnus eſſe debuit) Presbyteros quadragintaſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acoluthos quadraginta duos, Exorciſtas & Lectores vnà cũ Oſtiarijs quinquaginta duos: Viduas, & alios, morbo atque egeſtate afflictatos, mille & quingentos. [De Nouatiano deinde ſubijcit exemplũ impium, magis tamen ferendũ, quàm ſint Proteſtantes, quia iſtis dogma eſt, quod illi metus fuit. Iſte [inquit Cornelius] perſecutionis tempore, metu debilitatus, & nimia vitæ cupiditate adductus, ſe Presbyterum eſſe denegauit. Nam cum à Diaconis rogatus, oratuſque eſſet, vt domo, qua ſe cõcluſum occuluerat, egreſſus, quantũ Presbytero liceret, quantũque in eius ſitum eſſet poteſtate, fratres in periculo cõſtitutos, opiſque & auxilij indigentes, iuuaret: [non enim poterant Diaconi Sacrificiũ offerre, aut Sacramentum parare, ſed id maioris, id eſt Presbyteri fuit:] tantum abfuit, vt Diaconis eum obſecrantibus obtemperaret, vt etiam nõ ſine ſtomacho & bile ab illis abiret, diſcederetque. nam ſe nolle ampliùs eſſe presbyterũ, ſed alteri vitæ generi ſe dicaturum aſſeruit. Deinde verò ſub perſecutionibus Hæreticorũ, plurima ſunt ſimilia teſtimonia & Ordinũ noſtrorũ, & Monachorũ. Imprimis enim Cõſtantio Imperatori Arriano reſpõdit [a] Liberius papa (quem volebat Cõſtantius ſubſcribere iniuſtiſſimæ cõdẽnationi Athanaſij per Arrianos) quòd Manũ Epiſcopi Deus non ad hanc rem, ſed ad Myſteriorũ ſanctificationem, & ad omnem iuſtam bonãque actionem exequendã paratã eſſe voluit. Quapropter exilio mulctatus eſt, vt præter alios narrat Sozomenus. De Athanaſio autẽ refert [b] Theodoretus, quod ſingulis ordinum Eccleſiaſticorũ muneribus cũ ſumma omniũ admiratione perfunctus eſt, & ſic ad Epiſcopatũ rite aſcẽdit. Qui [c] Athanaſius ipſe in Apologetico de fuga ſua (quẽ citant quoque Socrates & Theodoretus) narrans perditos conatus cõtra ſe Georgij Epiſcopi Ariani (ſub dicto Imperatore Conſtantio) adiuti copijs Sebaſtiani Manichæi Præfecti militũ, vt neci ipſum darent: Virgines [inquit] in carcerẽ conijci cœptæ ſunt; Epiſcopi cõſtricti vinculis, à militibus abduci: ædes viduis & orphanis adimi: &c: fratres clericorũ, pro clericis, in vitæ periculũ vocari. [Et poſterius de eodẽ Sebaſtiano:] Rogũ incẽdere, virgines propter ignem ſtatuere: eas, vt fidẽ Arrianã profiteri ſe dicerent, cogere cœpit. Vbi eas victrices eſſe, igniſque flãmas prorſus cõtemnere, animaduertit, detractis veſtibus, ſic eas in ora ac vultus verberare, vt diu pòſt ægrè à ſuis noſcerentur. [Qua de re ſcripſit etiam Athanaſius orationẽ cõſolatoriã ad Virgines illas; quæ acerbos illos cruciatus pertuliſſent. ipſiuſque tragædiæ meminit etiam, [d] apud Theodoretũ, Cõcilium Sardicenſe, dicens, Virgines nudatas, ſtatutaſq; in publico, &c. Eaſque virgines dicit [e] Theod. perpetuæ caſtitati ſe addixiſſe.

a Soz. lib. 4. cap. 10.
b Theo. hiſt. lib. 1. cap. 26
c Athan. in Apol. Soc. lib. 2. cap. 22. Theod. l. 2. c. 13. 14.
d Apud Theod. lib. 2. cap. 8.
e Theod. lib. 2. cap. 14.

mum eos porcis deuorandos obijciunt. [De Antiochia deinde loquens, *Lib.3.cap.17.*
hiſtoriam [inquit] de fœmina quadam præſtantiſſima, planè memorabi-
lem narrabo. Publia fœmina illis temporibus nobiliſſima, & propter vir- "
tutis ſuæ præſtantiam plurimorum celebrata ſermonibus, matrimonij "
iugo aliquandiu copulata, fructum Deo dignum ſanè admiratione obtu- "
lit. Nam Ioannes [Chryſoſtomus] qui longo tempore Presbyteris An- "
tiochiæ præfuit, & ſæpè ad primatum Apoſtolicum ſuffragijs delectus, "
ſemper illum honoris gradum recuſauit, ex eius ventre, tanquam ex ad- "
mirabili ſolo editus eſt. Hæc mulier chorum Virginum perpetuam caſti- "
moniam profeſſarum ſecum habens, Deum omnium opificem ac Serua- "
torem hymnis aſſiduè celebrare ſolebat. Ac cùm Imperator illàc præter- "
grederetur, Virgines inter ſe multò clariore voce canunt: ratæ, illum "
conſceleratum Tyrannum contemnendum eſſe, & omniū irriſione lu- "
dendum. Canebant autem illos potiſſimum pſalmos, quibus debilitas Si- "
mulachrorum ſcitè derideretur, & cum Dauide dicebant: Simulachra *Pſal.113.*
gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Ac poſtquam "
verſus, qui illa ſenſus omnis expertia eſſe pronunciant, recitauerant, "
iſtum adiungebant: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confi- "
dunt in eis. His Iulianus cum maxima animi ægritudine auditis, iuſſit, "
vt eo prætergrediente conticeſcerent. At Publia eius leges parui æſti- "
mans, maiore cum alacritate chorum Virginum in vnum coëgit: & illo "
prætereunte, denuò cantare mandauit, Exurgat Deus, & diſſipentur *Pſalm. 67.*
inimici eius. Itaque Tyrannus grauiter commotus, iubet magiſtram "
chori ad ſe adduci. Quam cùm anum, propter ætatem ingraueſcentem "
cùm primis venerandam cerneret: tamen neque canicie corporis ad mi- "
ſericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tri- "
buendum inducitur: ſed ſatelliti cuidam dat mandatum, vt vtramque "
malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro "
ſummo honore ducens, domum reuertitur, & Tyrannum (vt ſolebat) "
ſpiritualibus cantilenis perſtringit. [Sozomenus quoque refert iniurias *Soz. lib. 5. cap. 8.9.*
ſub hoc Tyranno ab Ethnicis Gazenſibus illatas Chriſtianis: & quòd per
idem tempus Hilarion etiam Monachus [ille admirabilis, cuius Vitam "
ſcripſit S. Hieronymus,] à populo Gazæ quæſitus, profugit in Siciliam. "
[Vbi narrat deinde id quod ſuprà Theodoretus, ab Heliopolitis in Syria]
Virgines ſacras (incredibile quidem dictu, niſi quidam eorum qui eodem "
tempore vixerunt, idem ipſum narraſſent) quæ à populo conſpici mini- "
mè ſolent, in loco publico veſte nudatas. atque vt primùm eo quo libitum "
erat modo in eas inſultarant, ad extremum illarum capillum tondebant. "

quin-

» quinetiam eas diſſecabant bifariam,& ad illarum inteſtina deuoranda por-
» cos prouocabant, viſcerum extremitate, conſueto illis alimento, operta.
[Sub Valente dein rurſus Imperatore Arriano, Athanaſij ſucceſſore Pe-
tro Alexandrino expulſo, & Lucio Arriano Pſeudoepiſcopo intruſo, ex
Soc. lib. 4. c. 16 17. Edicto Imperatoris mandatum eſt [inquit Socrates] vt omnes qui fidem
» Conſubſtantialis tenebant, non Alexandriâ ſolùm, ſed ex vniuerſa etiam
» Ægypto penitus expellerentur. &c. Eodem tempore Monaſteria in ſo-
» litudine direpta, diuexata, & crudeliter expugnata fuêre. Nam inermes,
» qui ne manum quidem ad ictum repellendum extendere volebant, viri
» armati aggreſſi, miſerandum in modum enecarunt. [Item infrà:] Ad
Soc. lib. 4. cap. 19. Monaſteria Ægypti contendunt. ibi, viros conſueta obeuntes munera,
» preces ſcilicet fundentes, medicantes morbis, eijcientes dæmonia, com-
» prehendunt. & miracula per dei gratiam factitata non magno æſtiman-
» tes, ſolita Precationum officia in locis ad orandum ipſis deſtinatis exe-
» quendi nullam voluerunt omnino illis facere poteſtatem, ſed inde eos
» exturbarunt. Quinetiam in amentia longiùs progreſſi, temerarias populi
» turbas in eos incitarunt. Hæc Ruffinus ſe aſpexiſſe, inque calamitatis
Soz. lib. 6. cap. 20. ſocietatem cum illis veniſſe ſe, narrat. [Eademque de perſecutione Mo-
Theod. l. 4. ca. 23. 24. 25. 26. nachorum illorum tanta operantium miracula ſcribunt Sozomenus &
Theodoretus. Ruffini autem quem citauit Socrates, verba ſunt iſta:] Va-
Ruf. l. 2. c. 2. 3. 4. lens fauendo Hæreticis, abijt in viam patrum ſuorum. Nam & Epiſco-
» pos egit in exilium: & Presbyteros, ac Diaconos, & Monachos (Tatiano
» Alexandriæ Præſidente) vſque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit.
&c. [Ac mox de Lucio Arianæ Partis Epiſcopo:] Cuius primo ingreſſu
» tanta & tam turpia in Virgines & Continentes Eccleſiæ geſta ſunt, quæ
» nec in Perſecutionibus Gentilium memorantur. Inde &c. ad Mona-
» ſteria, furoris ſui arma conuertit. Vaſtat Eremum,& bella quieſcentibus
» indicit. Tria millia ſimul (aut eo amplius) viros, per totam Eremum ſe-
» creta & ſolitaria habitatione diſperſos, oppugnare pariter aggreditur.&c.
» Quæ preſens vidi, loquor, & eorum geſta refero, quorum in paſſionibus
» ſocius eſſe promerui. [& cætera, in quibus nominat Patres tunc Mona-
chorum, ſeu Abbates, cum quibuſdam eorum miraculis, dicens tam
» multa fuiſſe, vt narrationem proprij operis mereantur. Sed in his om-
» nibus Lucius [inquit] non erubuit, nec aliquid reuerentiæ virtutum mi-
» rabilibus detulit: &c. [Erant autem plurimi inſignes Monachi ſeu Ab-
bates, qui iſtam perſecutionem paſſi ſunt, quos iſti Auctores nomina-
tim exprimunt, maximè autem inter cæteras excellunt narrationes de
duobus, Aphraate,& Baſilio, qui coram ipſo Valēte magnam in Catholica
fide con-

ſide conſtantiam oſtenderunt. Nam Aphraates apud Theodoretum, Va- *Theod. lib.*
lenti dicenti ſibi, quòd lex monaſtica iubet Monachos manere domi intra *4. cap. 24.*
cellam, reſpondit quaſi alter Elias ad Achab: Tu iam in Patris noſtri "
ædes flammam inieciſti. ideò nos circumcurſitamus, quò eam maturè poſ- "
ſimus extinguere. [Sanctus quoque Baſilius, Magnus ille & celeberrimus
Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, qui & ipſe (vt aiunt Socrates, Ruffi- *Soc. lib. 4.*
nus,) ſolitariam viuendi rationem cum Gregorio Nazianzeno ſibi delegit, *cap. 21.* *Ruff. lib. 2.*
& loca ad monaſticam diſciplinam exercendam etiam in Ponto conſti- *cap. 9.*
tuit: hic quoque apud Valentem magna libertate vſus eſt. Denique eun- *Vide Moti. 25. nu. 18.*
dem ſermone & mira virtute ſua conuertit, ita vt (teſte Theodoreto) ad *Theod. lib.*
Templum ſanctum catholicum ſe conferens, conſueta dona offerret al- *4. cap. 17.*
tari, licèt poſtea redierit vt canis ad vomitum. In eiuſdem Valentis Per-
ſecutione nominat Ruffinus, (itemque Socrates, Theodoretus & Sozo- *Ruff. lib. 2.*
menus) alium Monachum, nomine Moyſen, meritis & virtutibus ac ſi- *cap. 6.* *Soc. lib. 4.*
gnis nobiliſſimum: qui à Mauuia Sarracenorum Regina poſtulatus, inter *cap. 29.*
conditiones pacis cum Valente, Genti ſuæ Apoſtolus & Epiſcopus, liberè *Theod. lib. 4. cap. 21.*
dixit coram ducibus Valentis, cum eſſet ordinandus: Lucius Sanctorum *Soz. lib. 6.*
ſanguine pollutas & cruentas ſuper me non inijciet manus. Et ita (quo- *cap. 38.* "
niam perurgebat neceſſitas Reipublicæ conſulendi) compulſus eſt Lucius "
acquieſcere, vt ab Epiſcopis quos in exilium truſerat, Sacerdotium Moy- "
ſes ſumeret. [Similis eſt narratio Theodoreti de Antiocho in eadem per- *Theod. lib.*
ſecutione, qui ad ſacram menſam genu flectens, vt ordinaretur Samoſa- *4. cap. 14.*
tenſis epiſcopus, non paſſus eſt, vt inter cæteros ordinatores ſuos Epiſco-
pos, Iouiani Pergenſis, qui aliquandiu communioni Arrianæ adhæſerat,
ſibi imponeretur manus, quæ [inquit] Sacra Myſteria per blaſphemiam
conſecrata receperat. [Et paulò ſuprà narrat relegatum ab eodem Valente *Cap. 12.*
Pelagium Epiſcopũ Laodicenſem, qui cùm adoleſcens eſſet, duxit vxorem, "
primoque nuptiarum die, in ipſo nuptiali thalamo, ſponſæ perſuaſit, vt ca- "
ſtitatem pluris quàm concubitum æſtimaret, & vt amorem fraternum pro "
cõiunctione iugali teneret edocuit. [& propter huiuſmodi virtutes poſtea
factus epiſcopus eſt. Extat porrò apud Theodoretũ Epiſtola ipſius S. Petri
Alexandrini Epiſcopi, hæc ſuprà dicta de Lucio Arriano cõfirmãs. Qualia *Apud*
enim Alexandriæ Georgius ſub Athanaſio, talia planè Lucius hic ſub Pe- *Theod. lib.*
tro Athanaſij ſucceſſore contra Virgines, & Monachos, & alios Catho- *4. cap. 20.*
licos deſignauit. Contumelias [inquit Petrus] in Chriſti Virgines iacere "
non ſunt veriti &c: denudarunt, violarunt, occiderunt, &c. [puerũ, mulie- "
rem] in ipſo Altari, vbi pro Spiritus Sancti deſcenſu inuocari ſolet, ſaltare "
cõpulerunt, ridentes &c. Lucium Pſeudoëpiſcopũ in Vrbẽ comitati ſunt, "

» non Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, non Monachi, Hymnos ex ſacris
» literis depromptos cantantes, [ſed Arianus quidam excommunicatus,] &
» Magnus Comes, cum ingenti militum manu, vir nullo non impietatis
» genere ſemper nobilitatus. &c. [Denique] viginti tres Monachi ad Me-
» talla damnantur. [& vndecim Epiſcopi Ægypti,] qui ab ineunte ætate
» ad ſummam vſque ſenectutem Solitudinem, ſeueræ diſciplinæ causâ, in-
» coluerant, &c, [in exilium eijciuntur. item] Clerici Eccleſiæ Catholicæ
» Antiochenæ, cum quibuſdam Monaſticæ vitæ ſpectatis. [Sed omnes in
hac Valentis Perſecutione ſuperat hiſtorias, S. Paulini Nolani Epiſcopi
narratio de S. Melania fœmina nobiliſſima, & a Scriptoribus illius tem-
Paulin. Epi. 10 ad Seuerum. poris plurimum decantata.] De multis [inquit Paulinus] in illa virtuti-
» bus Dei, vnam ſaltem, de qua omnia eius æſtimentur, operam prædicabo.
» Tempore illo Valentis, quando Eccleſiam Dei viui furor Arrianorum,
» Rege ipſo impietatis ſatellite, perſequebatur, hæc erat princeps vel
» particeps cunctis pro fide inſtantibus: hæc fugatos recipiebat, aut appre-
» henſos comitabatur. ſed cùm eos recepiſſet in latebram qui, propter
» inſignem fidem, maiore & Hæreticorum odio infeſtabantur, & occultan-
» tium tegebantur inuidiâ: graui tunc ſeditione diaboli facibus inflammatâ,
» quaſi contra legem publicam contumax, protrahi, ac pati iuſſa eſt, quæ
» illos manebant, niſi prodere maluiſſet. Proceſſit impauidè, cupida paſſio-
» nis, & iniuriâ publicationis exultans, quamuis non expectaſſet trahi,
» tracturos anteuolans ad Iudicem: qui confuſus veneratione præſentis,
» non executus eſt infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. [Ac tum
ſequitur id quod quærimus, exemplum glorioſum atque magnificum:]
Isaa. 6. » Eadem tempeſtate, [inquit] per triduum, quinque millia Monachorum
» latentium panibus ſuis pauit: vt per eius manum iterum Dominus Ieſus
» priſtinum numerum in Deſerto paſceret: tanto quidem nunc impen-
» ſiore clementia, quanto minore licentia fouebantur occulti, quàm illi
» quondam qui ad Dominum voluntariè in libertate & pace conuenerant.
» Sed hæc nec timida deprehendi, interdictum ſecura præbebat officium:
» nec volens gloriâ operationis agnoſci, tamen operis magnitudine pro-
» debatur: totidem apud homines teſtimonijs glorioſa, quot paſtis Deo
3. Reg. 18. Abdias dux Achab. conſcia. Quid hæc meriti habeat æſtimemus, cùm in Hiſtoria Regnorum
» ille celebretur, qui abſconditos ab ira æquè impij Regis centum Viros Dei
» pauit? Dubitandum eſt, hanc in opere ſimili ſæpè millies hunc numerum
a. Matt. 13. ſupergreſſam fructum feciſſe a centeſimum?

Hæc igitur ſub Conſtantio & Valente Arrianis Monachi cum Cle-
ricis paſſi ſunt. Nec diſſimilia pòſt ſub Vandalis in Africa Arrianis,

Genſe-

Genſerico & Hunerico regibus perſequentibus. quam hiſtoriam pleniſ-
niſſimè deſcribit ſæpè dictus S. Victor Vticenſis Epiſcopus. Et primùm
ſub Genſerico, [a] Ab eorum contagione [inquit] nullus remanſit locus a *Victor. de*
immunis. Præſertim in Eccleſijs, Baſilicíſque, & Cœmeterijs, & Mo- *perſ. Vand.*
naſterijs ſceleratiùs ſæuiebant. &c. Quanti tunc ab eis præclari Pontifi- *lib. 1. fol.* *1. b.*
ces, & nobiles Sacerdotes diuerſis pœnarum generibus extincti ſunt, &c! "
[Et poſt multa :] [b] Si forſitan quiſpiam, vt moris eſt, dum Dei popu- b *fol. 5. 6.*
lum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonoſor, Holofernem, aut ali- "
quem ſimilem nominaſſet, obijciebatur illi, quòd in perſonam Regis iſta "
dixiſſet, & ſtatim exilio trudebatur. &c. Qua de re plurimos Sacerdo- "
tum tunc nouimus relegatos, &c. & Felicem epiſcopum, ob hoc, quòd "
ſuſcepiſſet quendam Ioannem Monachum tranſmarinum. [Et paulò "
pòſt:] [c] Sed etiam martyria quàm plurima eſſe probantur, Confeſſorum c *fol. 6. 7.*
autem ingens & plurima multitudo. Erant tunc ſerui cuiuſdam Van- "
dali, Martinianus, Saturianus, & eorum duo germani, erat & conſerua "
eorum quædam egregia Chriſti ancilla nomine Maxima, corpore ſimul "
& corde decora. [Quorum tormenta varia, & ſtupenda Miracula ego ſuo
loco ex hoc Auctore recenſui. Huius autem loci ſunt quæ ſequuntur: *Moti. 10.*
quòd ſcilicet cùm Vandalus Martinianum Maximamque coniugali con- "
ſortio credidiſſet ſociare, Martinianus, adoleſcentulorum ſecularium "
more, coniugium affectabat. Maxima namque iam Deo ſacrata, huma- "
nas nuptias refutabat. [quæ & propterea ei in thalamo reſpondit:] Chriſto
ego, ô Martiniane frater, membra mei corporis dedicaui, nec poſſum "
humanum ſortiri coniugium, habens iam cæleſtem & verum ſponſum. "
ſed dabo conſilium : Si velis poteris & ipſe tibi præſtare cùm licet, vt cui "
ego concupiui nubere, delecteris & ipſe ſeruire. Ita factum eſt, vt obe- "
diens virgini, etiam adoleſcens ſuam animam lucraretur. qui & tribus "
fratribus ſuis perſuaſit, vt theſaurum quem inuenerat haberent, vtpote "
germani, communem. [Itaque neſciente Vandalo, Dei puella comitan- "
te, clàm egredientes, Tabraceno Monaſterio, cui præerat tunc nobilis "
paſtor Andreas, ſociantur. Illa verò haud procul Monaſterium incoluit "
puellarum. [Sed reperti pòſt à Vandalo, mira ſunt quæ decernente Rege,
paſſi ſunt, & alias à me expoſita. Denique relegauit in exilium Rex qua-
tuor fratres.] Maximam verò, Chriſti famulam, confuſus & victus mira- "
culis, propriæ voluntati dimiſit. quæ nunc [inquit S. Victor] ſupereſt "
Virgo, mater [id eſt, Abbatiſſa] multarum Virginum Dei, nobis etiam "
nequaquam ignota. [Tandem & filij huius, Hunerici crudelitates narrat, a *lib. 2 fol.*
dicens poſt alia:] [a] Præcepit deinde Sacras Virgines congregari, dirigens *16. b.*

 Vanda-

» Vandalos cum ſuæ Gentis obſtetricibus, ad inſpicienda & contrectanda,
» contra iura verecundiæ, verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec
» aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio, atque ingentia
» pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamillis,
» & lateribus apponebant: quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite, quo-
» modo Epiſcopi vobiſcum concumbunt & Clerici veſtri. [Et poſt multa,
b lib. 3 fol. 42. a. in alia perſecutione eiuſdem, narrat [b] linguas & manus dextras radicitus
» abſciſſas multis. qui tamen, Spiritu ſancto præſtante, ita loquuti ſunt, &
» loquuntur [inquit] quomodo antea loquebantur. Sed ſiquis incredulus
» eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet vnum de
» illis, Subdiaconem Reparatum, ſermones politos ſine vlla offenſione lo-
» quentem: Ob quam cauſam venerabilis nimium in Palatio Zenonis Im-
» peratoris habetur, & præcipuè Regina mirâ eum reuerentiâ veneratur.
c fol. 43. a. [Poſt pauca:] [c] vniuerſus Clerus Eccleſiæ Carthaginenſis cæde inedia-
» que maceratur, ferè quingenti vel amplius. Inter quos quamplurimi
» erant Lectores infantuli &c. Poſt Archidiaconũ Salutarem, artatur pœnis
d fol. 44. a. Muritta Diaconus. fuit enim ſecundus in officio Miniſtrorum. &c. [d] Pa-
» rantes itaque vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergũt. &c.
» De multitudine autem pergentium Confeſſorum, id eſt, Eccleſiæ Cartha-
» ginis clericorum, ſuggerente quodam exlectore Teuchario perdito, quos
» ille nouerat vocales, ſtrenuos, atque aptos modulis cantilenæ, deſignatio-
» ne ſua debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe dum Catholi-
» cus eſſet tunc diſcipulos habuit. [Miranda autem fuit horum duodecim
puerorum choriſtarũ conſtantia in fide & cõmunione catholica, quæ nec
e fol. 44. b. & 53. a. blanditijs, nec verberibus, fuſtibus, vulneribus labefactari potuit. [e] Tunc
» & ſeptem fratres, non natura ſed gratia, ſimul in Monaſterio comma-
» nantes, confeſſionis certamine expleto, immarceſſibilem peruenerunt ad
» coronam; id eſt, Liberatus Abbas, Bonifacius diaconus, Seruus ſubdia-
» conus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus,
& Maximus Monachus. [quorum martyria dira, & miracula diuina alias
f fol. 52. commemoraui.] [f] Ipſi [inquit S. Victor de his, in Paſſione eorum] di-
» gnentur pro me miſero, Domino ſupplicare. &c. [Vbi rurſus de Huneri-
» co:] Vniuerſas ſimul eccleſias, præiudicatis venerabilibus portis, cœmen-
» tis ingentibus claudi mandauit. Vniuerſa namque Monaſteria virorum
» vel puellarum ſanctarum Gentibus, id eſt, Mauris, cum habitatoribus, do-
nare præcepit. [Vnde eſt illa vox eius flebilis in planctu ſeu Lamentatio-
g fol. 51. a. ne Africæ ſuæ:] [g] Virgines, & iuuenes eius, in aulis educati Monaſterio-
» rum, abierunt in captiuitatem Maurorum, &c.

Et hæc

Et hæc quidem in terris Romanorum paſſi ſunt à Perſecutoribus vel Paganis vel Hæreticis, Clerici noſtri, Sanctimoniales, atque Monachi. Sed & in Perſide, ſub rege Sapore, tempore Conſtantini Magni, eadem omnino ſunt paſſi, Iudæis etiam inſtigantibus, Religioni Chriſtianæ ſemper infenſis. Legantur quæ [a] Sozomenus narrat tum patrata in Chriſtianos, quòd ipſorum quàm plurimos voluntariam egeſtatem excolere norat Rex: in Sacerdotes, Diaconos, Archiepiſcopum. quomodo Eccleſias dirui, earum theſauros ac monimenta in publicum proferri iubet. [item,] [b] ſexto die hebdomadæ, in quo ante celebrem diem feſtũ Reſurrectionis, memoria ſalutaris Chriſti Paſſionis quotannis recoli ſolet, decernit rex, vt Simeones archiepiſcopus gladio feriatur. Nam forti & magno animo cum rege de fide Chriſtiana diſſeruerat: & neque illum, neque Solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, itidem obtruncari iubet. Horum pars Epiſcopi, pars Presbyteri, pars ex alio Clericorũ ordine fuerunt. [Et infrà:] [c] Tarbula, ſoror Simeonis epiſcopi, ſancta Virgo, ſimul cum ancilla idem vitæ genus colente, & ſorore eius, quæ poſt viri mortem abſtinuit à nuptijs, & eandem viuendi rationem tenuit, comprehenditur. [quæ omnes etiam occidũtur. & deinde,] [d] infinita multitudo Preſbyterorum, Diaconorum, Monachorum, ſanctarum Virginum, & aliorum qui in Eccleſiarum miniſterio verſabantur. [[e] vbi inter alios narrat de martyrio Millis cuiuſdam,] qui primùm apud Perſas militauerat: poſtea autem relicta militia, vitæ genus planè Apoſtolicum excolere cœpit, [multa edens diuina miracula. quique poſt euerſionem vrbis incredulæ prædictam,] peram ſolùm, in qua ſacratum Euangeliorum librum habebat, ſecum geſtans, Hieroſolymam precatum ſe contulit: indeque in Ægyptum ad viſendos Monachos, qui ibi ætatem degebant, conceſſit.

a Soz. lib. 2. cap. 1.
b cap. 9.
c cap. 11.
d cap. 12.
e cap. 13.

XXIII. Ex hoc igitur decimo de Clero, Virginibus, & Monachis ſic tũ vaſtatis, & ex reliquis nouem argumẽtis præcedẽtibus (nam plura prolixitas nimia nõ permittit) clariſſimũ & euidẽtiſſimum eſt, Chriſtianos in illis Perſecutionibus nõ fuiſſe Proteſtãtes, ſed Religionis noſtræ. Simulq; ex vaticinijs Iſaiæ, & aliorum Prophetarum, & ipſius Chriſti Domini, certiſſimè cõſtat, fuiſſe populũ Dei qui illa tum patiebatur: ita vt Euſebius, producto Agapio martyre coram ipſo Maximino Imperatore, rectè annotet, hoc dictũ ſalutare, quod Dominus Diſcipulis ſuis Diuina præſcientia prædixiſſet (nimirũ, quòd coram Regibus adducerẽtur propter teſtimonium eius) verè tum cõpletũ eſſe. [Ex quibus ſic euidẽter oſtẽſis, ſequũtur iam quædã, diligẽter & ſeriò tum à Proteſtãtibus tum à Catholicis põderãda. Et à Proteſtãtibus quidẽ iſta: primũ, quòd dũ nos, id eſt, vel Clericos noſtros, vel Monachos,

Euſ. lib. 8. cap. 16.
Matth. 10.

vel Laicos perſequuntur, vtique ſocios & participes illorum martyrum perſequuntur, ideoque & illos rurſum in nobis, imò & Chriſtum, cuius & illi fuerunt, & nos ſumus. Secundò, quòd in iſto flagitio faciunt ſe ſocios Arrianorum, vt Hunerici, Genſerici; Valentis & Lucij, Conſtantij & Georgij, &c: item Iuliani Apoſtatæ: item Tyrannorum illorum, Diocletiani, Maximini, Decij, & reliquorum vſque ad Neronem. Tertiò, quòd ob eandem cauſam nimis vani, nimis cæci, nimis impudentes ſint, cum ſuos huius temporis Pſeudomartyres quaſi ab illorum veterum Martyrum ſocietate commendare conantur, vt nobis inde inuidiam creent apud multitudinem imperitam. Quartò, quòd propterea penitus è contrario, cùm ipſi omnes, tum omnium maximè pſeudomartyres eorum à cunctis Chriſtianis deteſtandi, & execrandi, & anathematizandi ſunt. Quemadmodum enim qui veram religionem eo vſque defendunt, vt vitam etiam pro illa profundere non dubitent, præcipuam in cælo, velut Chriſti Martyres, à iuſto Iudice repoſitam ſibi coronam habent,
Matth.13. eam ſcilicet ipſam quam Euangelica parabola fructui centeſimo comparat: ita qui veræ Religioni reſiſtunt, & id eò vſque, vt vitam in ea oppugnanda non vereantur perdere, ij ſine omni dubio, vt Diaboli pſeudomartyres, in profundo inferni, teterrimum locum, & atrociſſimum poſſident cruciatum. Nam ſterile quidem eſt martyrium, ſi etiam pro Chriſto Hæreticus vel Schiſmaticus mortem oppetat, dicente Apoſto-
1. Cor. 13. lo: Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non
„ habuero, nihil mihi prodeſt. Sed contra Chriſtum & contra Eccleſiam, contraque religionem eius extremum ac maximum huiuſmodi velle teſtimonium dare, non modò ſterile eſt, verùm (vt dixi) adeò Satanicum ac Diabolicum, vt omnes omnium impietates ſuperet. Quintò igitur conſiderent vniuerſi qui vel ſcribunt vel legunt iſta putidiſſima Martyrologia Hæreticorum, in quanam camarina, & in quo cœno verſentur, ſeque oblectent. Equidem non dubito, quin contra omnes illos Pſeudomartyres ſufficiat apud quemuis non nimis abſurdum, nominaſſe ſolùm Catholicos noſtros Martyres, eoſque huius tantum ætatis, & vel ſolius Angliæ noſtræ: quemadmodum Epiſcopum Roffenſem, Thomam Morum, Monachos Carthuſianos, cum alijs plurimis ſub Henrico octauo: & iam recentiores ſub Elizabetha, tam innumerabiles, artificioſa quadam crudelitate conſummatos, vt priuatione beneficiorum & patrimoniorum, direptione bonorum, carceribus, venenis, flagellis, fame, exilijs, Epiſcopos, Presbyteros, Decanos, Archidiaconos, Canonicos, Monachos, Eccleſiaſticas perſonas omnium ordinum: Equites auratos, illuſtres

Milites,

Milites, viros Nobiles, & alios Laicos omnium quoque ordinum: tam multos etiam publicè in oculis omnium martyrio coronatos, Thomam Perſeum illuſtriſſimũ Comitem Northumbriæ, Ioannem Storæum Doctorem vtriuſque Iuris, Ioannem Feltonum, Wilkinſonum, duos Nortonos Thomam & Chriſtoforum patruum ac nepotem, & multas centurias Catholicorum Septentrionalium, ac præcipuè duos Presbyteros venerabiles Plumtreum, & Wodolſum: eos & in vita & in morte tales tantoſque viros, vt neque Aduerſarij habeant in eis quod calumnientur, quemadmodum proprius ipſorum ſermo de eis, propriæ ipſorum conſcientiæ, & mundus ipſe palàm teſtantur: nonnullos quoque eorum (& idcirco omnes etiam, propter vnam ſcilicet communem omnium cauſam) à Deo ipſo indubitatis ᶜ Miraculis commendatos. Itaque tametſi non dubitem (vt dixi) quin nemo ſobrius dixerit, putidos Hæreticorum Pſeudomartyres cum his glorioſiſſimis Martyribus Catholicorum vllo modo comparandos eſſe: tamen ſi fingatur, quòd in cæteris omnibus pares fuerint inter ſe, ac noſtri non palpabiliter præferendi, hæc nihilominus vnica conſideratio, quòd noſtri mortui ſint in fide S. Stephani Protomartyris, & ſociorum eius Martyrum omnium, & illi penitus aduerſus hanc fidem, nónne ſolidiſſima & clariſſima demõſtratio eſt, quòd noſtri ſint Martyres Chriſti, illíque Diaboli?

Vide Sanderi Monarc. li. 7.

c Copus Dial. 6. cap. 45. Surius ad An. 1515.

XXIIII. Nunc igitur ex altera parte perpendant iſta Catholici noſtri. Primùm, quòd S. Stephanus & alij omnes antiqui Martyres, pro alijs quidem articulis interdum, ſed tamen ſemper in hac, quæ hodie noſtra eſt, fide & Religione paſſi ſunt. Secundò, quòd nullum poteſt dici Perſecutionis genus, nullum ſupplicium tam inauditum, vel tam atrox, quod illi Martyres, ijque vtriuſque ſexus, omnis ætatis, omnis conditionis, & ordinis, non guſtauerint, non pertulerint. ſicut in hoc Motiuo noſtro potuit ex parte obſeruari, & multo magis in ipſis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ fontibus, ac non incommodè etiam vel in ipſis Tabulis quas vidimus in Anglia editas ab Hæreticis, vt in eis, quaſi ad commendandos Pſeudomartyres ſuos, ſed reuera (vt ex hoc Motiuo claret) agentes contra ſeipſos cauſam noſtram, ſingulas ſpecies tormentorum atque martyriorum ponerent cunctis ob oculos. Tertiò, quòd illos tam varios, tam horrendos, tam diros cruciatus adierint illi Martyres plerunque pro vnico duntaxat ſuæ, eiuſdemque noſtræ, Religionis articulo: nec eo tam magni (vt imperiti exiſtimabunt) ponderis ac momenti: vt, ne in Sancta Trinitate negarent Eccleſiaſticum verbum Homouſion, id eſt, Conſubſtantiale: &, ne de cibis Idolo alicui immolatis guſtarent: vel, adolerent:

lerent thus in ara Idoli. Quartò, quòd hodie à nobis cum Proteſtantibus, non vnius cuiuſlibet articuli cauſa agitur: ſed de articulis innumeris circa Sacramenta Chriſti, de articulis innumeris circa Iuſtificationem, de articulis innumeris circa Eccleſiam, & circa alia plurima, tanquam cùm manifeſtis Apoſtatis, diſceptatur. Vnde ſi rectè, imò quoniam rectiſſimè
August. cō. Fauſt. li. 19. cap. 14. concluſit S. Auguſtinus, dicens: Si antiqui iuſti pro illis prænunciatiuis Sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpeſſi ſunt: ſi tres pueros,
a Dan. 1. Danielemque prædicamus, [a] quia de menſa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum: Si Machabæos
b 2 Mac. 7. cum ingenti admiratione præferimus, [b] quia eſcas, quibus nunc Chriſtiani licitè vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore Prophetico non licebat: quanto magis nunc pro Baptiſmo Chriſti, pro Euchariſtia Chriſti, pro Signo Chriſti, ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus, cùm illæ fuerint promiſſiones rerum complendarum, hæc ſint indicia completarum? [quoniam rectiſſimè etiam ſcripſit
Apud Euſ. Hiſt. lib. 6. cap. 37. (vt eſt apud Euſebium) S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus ad Nouatianum eo tempore perturbantem Schiſmate Romanam Eccleſiam, & ſimulantem, ſe quorundam iniurijs ad illud Schiſma faciendum fuiſſe compulſum, dicens:] Oportuerat, omnia incommoda potiùs ſubijſſe, quàm Eccleſiæ Dei diſcidiſſe concordiam. Atque illud martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur Eccleſiæ conſenſio, non minus certè, ſed multo plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud quod ſuſcipitur, ne Idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro vna quiſque anima ſuffert Martyrium, in illo autem pro tota Eccleſia. [Quoniam (inquam) hæc & tantorum virorum auctoritate nixa, & per ſe etiam ipſa clariſſima ſunt: cogitent quintò Catholici noſtri, quánam ipſi apud Chriſtum commendatione digni ſint, qui nimirum non pro vnico aliquo articulo fidei, illa vetera incredibilia tormenta, ſed neque pro Eccleſia, neque pro Sacramentis omnibus, neque pro reliquis tam innumeris dogmatibus Catholicis, amiſſionem aut periculum vel vitæ, vel quantulicunque ſanguinis, vel patriæ, vel honoris, vel amicitiæ, vel patrimonij, vel vnius oboli, ſuſtinent adire: ſed quò vel habita cuſtodiant, vel etiam plura lucrentur, vniuerſaliſſimæ Apoſtaſiæ dant ſponte manus, & videntes fures, Hæreticos, Apoſtatas, ad conuenticula ipſorum, deſerta Eccleſia Catholica, currunt cum eis, prorſus immemores iuſtitiæ ac veritatis eius, & nimis ingrati charitati ac pietati eius qui dixit: Nam
Luc. 9. qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm ve-

cùm venerit in Maieſtate ſua & Patris & ſanctorum Angelorum. [& "
antè in eodem Sermone:] Quid enim proficit homo, ſi lucretur vni- "
uerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? "
[Sexto denique cogitent è diuerſo cæteri catholici qui conſtanter omnia tolerant, ſeu magna ſeu parua, potiùs quàm Hæreticorum vel doctrinæ ſubſcribant, vel cum eiſdem vllo modo communicent: ſe eſſe, ad quos (ſicut ad omnes antiquos martyres & Confeſſores) pertinent omnes illæ Sacrarum Scripturarum, ſanctorumque Patrum conſolationes, exhortationes, laudeſque Martyrij. quemadmodum etiam ex xxv.
ipſis locis Sacræ Scripturæ patet, dum nos ad patiendum hortantur expectatione mercedis in cælo pro paſſione: id quod Hæreticis, vtpote negantibus merita operum, intolerabile videtur eſſe. Talia loca debent dicti Catholici propter conſolationem ſuam habere ſemper in promptu. vt quod Saluator ipſe dicit:] Beati qui perſecutionem patiuntur *Matth. 5.*
propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Beati eſtis "
cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne "
malum aduerſum vos, mentientes, propter me: Gaudete, & exul- "
tate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. ſic enim perſecuti "
ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. [Rurſus:] Petrus dixit ei: Ecce *Matth. 19.*
nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus *Mar. 10.*
autem dixit illis: &c. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut "
ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros "
propter me, propter nomen meum & propter Euangelium: centu- "
plum accipiet in tempore hoc, cum perſecutionibus: & in ſeculo fu- "
turo vitam æternam poſſidebit. [Rurſum:] Qui perdiderit animam *Matth. 10.*
ſuam propter me, inueniet eam. [Vbi etiam recipientibus ſuos in perſecutione, ecce quale tribuat meritum, & qualem promittat mercedem:] Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui "
me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ: mercedem "
Prophetæ accipiet. & qui recipit iuſtum in nomine iuſti: mercedem "
iuſti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis ca- "
licem aquæ frigidæ, tantùm in nomine Diſcipuli: amen dico vobis, "
non perdet mercedem ſuam. [Sicque imbiberant Apoſtoli hanc doctrinam, vt cùm Annas & Caiphas & reliqui Iudæorum Principes, primum eos mitterent in carcerem, deinde vocantes eos, denuntiarent ne om- *Act. 4.* "
nino loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu vlli hominum, [ipſi, "
non vt quidam ex neſcio quo metu vel inſcitia, ſe obligarint ad obediendum, ſed conſtanter reſponderint, dicentes ad eos:] Si iuſtum eſt

Act. 5. in conſpectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. [Vnde & paulò pòſt docentes populum in Templo, & rurſus capti, Principi Sa-
» cerdotum interroganti eos, & dicenti,] Præcipiendo præcepimus vobis
» ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ:
[iterum reſponderunt cum eadem conſtantia,] Obedire oportet Deo
» magis, quàm hominibus. [Ac ſequitur poſt pauca:] Et conuocantes Apo-
» ſtolos, cæſis denuntiauerunt ne loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſe-
» runt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpecto concilij, quoniam
» digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati. [Quodque Apo-
ſtoli fecerunt ipſi, hoc & alios docuerunt, ſcribente Paulo ad Philip-
Phil. 1. penſes:] Et in nullo terreamini ab Aduerſarijs: quæ illis eſt cauſa per-
» ditionis: vobis autem ſalutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum eſt pro
Credere & pati, vtrũque Dei donum. Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiami-
ni, idem certamen habentes quale & vidiſtis in me, & nunc auditis
de me. [Ad quos & de ſe ipſo dicit conformiter:] Sed & ſi immolor
Phil. 2. » ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor om-
» nibus vobis. Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.
1. Theſ. 2. [Idem etiam ad Theſſalonicenſes: Vos enim [ait] imitatores facti
» eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu: quia
» eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis,
» qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti
» ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur. [Et
2. Theſ. 1. iterum ad eoſdem:] Gloriamur pro vobis in Eccleſijs Dei, pro patien-
» tia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus & tribulationibus, quas
» ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini Regno
» Dei, pro quo & patimini. ſi tamen iuſtum eſt apud Deum, retri-
» buere tribulationem ijs qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini re-
» quiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum angelis vir-
tutis eius. [Cuius gloriationis ſuæ in Eccleſijs Dei pro Theſſaloni-
cenſibus, exemplum eſt in poſteriori Epiſtola quam ad Eccleſiam Co-
2. Cor. 8. rinthiorum ſcripſit, in qua dicit: Notam autem vobis facimus, fra-
» tres, gratiam Dei quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ: quòd in mul-
» to experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit. [Vnde
Iac. 1. » & S. Iacobus dicit: Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in
» tentationes varias incideritis. [& alia paſſim huius generis infinita.
Quæ dum propono meditationi Catholicorum fratrum & Patrum & dominorum meorum, quibus & voce & corde & literis ſeruio, nemo & me ineptire dixerit, ſicut Proteſtantes, qui ſolùm de perſecutionis

vocabulo

vocabulo multa garriunt, de cauſa verò muti ſunt. Multo enim ego aliter, qui iam priùs oſtendi clarè atque perſpicuè, eandem nos catholicos qui hodie perſecutionem patimur, habere cauſam fidei ac religionis, cum Chriſtianis illis qui vllam poſt S. Stephanum Protomartyrem per ſexcentos annos perſecutionem paſſi ſunt: producens ſimul apertiſſima Sacrarum literarum teſtimonia pro fide ac Religione quæ per illa perſecutionum tempora Chriſtianorum fuit. Quare Poſtremò vehementer opto, & plurimùm commendo, fideliſſimum illud ipſius Veteris Teſtamenti exemplum in tempore Schiſmatis, fidelium omnium moribus & cordibus infigendum: Sacerdotes autem & 2. Par. 11.
Leuitæ [ſic enim ſcriptum eſt] qui erant in vniuerſo Iſraël, venerunt "
ad Roboam de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana & poſſeſ- "
ſiones ſuas, & tranſeuntes ad Iudam & Ieruſalem: eò quòd abieciſſet "
eos Ieroboam, & poſteri eius, ne Sacerdotio Domini fungerentur. qui "
conſtituit ſibi ſacerdotes Excelſorum & Dæmoniorum, vitulorumque "
quos fecerat. [Non ſolùm autem illi,] Sed & de cunctis tribubus Iſraël, "
quicunque dederant cor ſuum vt quærerent Dominum Deum Iſraël, "
venerunt in Ieruſalem ad immolandum victimas ſuas coram Domino "
Deo Patrum ſuorum.

Motivvm Vigesimvm-Primvm.

Quòd Templa Chriſtianorum, eaq; in Prophetis commendata; ſicut hodie, ita planè ab Apoſtolorum tempore ſiue ſub Perſecutoribus illis antiquis, ſiue deinde ſub Chriſtianis Imperatoribus, clariſſima perhibuerint teſtimonia Religioni noſtræ, tum in fabrica ſua, tum in ſacra ſupellectile, tum in cæteris omnibus.

SI in quæſtione Religionis inter nos diſcutienda, vellent Hæretici huius temporis ſtare Templis omnibus totius vſquequaque Chriſtiani orbis, vident vniuerſi oculis ſuis, quod huius omnis controuerſiæ noſtræ continuò finis eſſet. Nam omnia vbique Templa hodie Chriſtiana, adeò clarè loquuntur Religionem noſtram Catholicam, vt ipſa Templa ſint, quæ Proteſtãtes, ad Religionem noſtram conuellendam, diripienda, transformanda, & euertenda ſibi propoſuerint. 1.

Non enim in Templis ferunt Sanctuarium Cleri, quod vocamus Chorum, neque longitudinem in Orientem cum latitudine cruciformi in tranſuerſo, neque Altaria, neque Cruces cum alijs ſacris Imaginibus, neque Reliquias, neque Calices, Thuribula, candelabra, neque indumenta linea, atque holoſerica, cum reliquis ſacris vaſis atque veſtibus. Eas etiam faciunt interdum obiectiones contra Templa, quibus inſinuant, ſe neque huiuſmodi, neque vlla omnino alia Templa eſſe velle: vt, cùm illum

Ioan. 4. „ Saluatoris ſermonem ad Samaritanam nobis opponunt: Mulier, crede
„ mihi, quia veniet hora, quando neque in Monte hoc [Garizim,] neque
„ in Ieroſolymis adorabitis Patrem. [itemque mox:] Sed venit hora, &
„ nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.
„ Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: & eos
„ qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. [Nihilominus, his omnibus non obſtantibus, qui veram, per quam ſolam ſaluentur, Religionem inuenire volunt, Templa intueri non negligent. [Nam per illa & facillimè & certiſſimè inuenient id quod quærunt, ſicut multis modis ex hoc Motiuo perſpicient. Primùm enim de Templis omnibus quæ viſuntur hodie, non eſt (inquam) dubium, quin Religioni noſtræ perſpicuè ſuffragentur. Quanti igitur deinde ſit æſtimandum hoc eorum ſuffragium, intelligent prudentes, ſi animaduertant quanta ſit eorum in his ipſis rebus, quas in eis reprehendunt Hæretici, per totum orbem vni-

Auguſt. de Bapt. con. Don. lib. 4. *cap.* 24. formitas. Nam, vt ait vir ſapientiſſimus & ſanctiſſimus Auguſtinus] quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper re-
„ tentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

Epiſt. 118. *cap.* 1. [Et alibi in eundem ſenſum:] Illa, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodi-
„ mus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel
„ ab ipſis Apoſtolis, vel à Plenarijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſa-
„ luberrima auctoritas) commendata atque ſtatuta retineri: ſicuti, quòd
„ Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cœlum, & Aduentus de
„ cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid
„ aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia. [Quibus verbis docet vir acutiſſimus, duas tantum eſſe cauſas & quaſi fontes eorum quæ videmus in Eccleſia generaliter obſeruari, nimirum Concilia generalia, & Apoſtolos. Quoniam igitur non ſolum Templa, verum etiam eorum figura, & ſacra contenta, ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia, toto terrarum orbe ſimiliter tenentur & obſeruantur; nec vllius Concilij inſtitutione hæc introducta ſunt, licèt multorum Conciliorum canonibus (ſicut alia Apoſtolorum pleraque)

roboratæ

roborata : tanti profectò & eiuſdem planè momenti eſt hæc vniuerſalis
obſeruatio , quanti & cuius eſt ipſa Apoſtolorum auctoritas & traditio.
Si quis igitur in quærenda vera Religione non ſpernit Apoſtolos , idem
nec Catholica Templa contemnet. Et ſic ex Templis quæ oculis noſtris
paſſim expoſita ſunt , datur nobis hoc modo ſine vlla ambiguitate veram
capere Religionem.

Verumtamen progrediamur, ſi placet, & Templa etiam antiqua con- II.
templemur , perſpecturi hoc pacto vim Auguſtinianæ illius regulæ.
Quod igitur ex Templis præſentibus videndo, idem indubiè ex Templis
antiquis ſcrutando diſcemus : idque plurimis rationibus perſpicuis atque
ſecuris. Et primò quidem , ſi cogitemus , innumera iſtorum Templo-
rum, Calicum , Altarium , Imaginum , & cæterorum huiuſmodi, quæ
nunc in quauis Chriſtiana gente videmus , eadem eſſe antiquiſſima atque
primæua. Secundò, quòd nullus Hæreticus quantumvis diligens atque
doctus poteſt oſtendere tempus aliquod , quando aut forma contraria
priori , aut ornatus contrarius priori cœpit in Templa inuehi. Sumat,
exempli cauſa , Hæreticus quiuis popularis meus Templa noſtræ Britan-
niæ, & demonſtret , iſta quæ ipſi ab initio huius Schiſmatis, deforma-
runt, ſpoliarunt, ſubuerterunt , per nos mutata eſſe vllo tempore ab illis
Templis quæ narrat Venerabilis Beda ædificata eſſe mille abhinc annis in
prima noſtra conuerſione. Aut , illa rurſus Templa primæ Conuerſio-
nis noſtræ, id eſt Anglorum , contraria fuiſſe antiquioribus Templis Bri-
tonum ſiue Wallorum. Aut multa Templa vtriuſque gentis, Anglorum
ſcilicet & Britonum, non etiam hodie (excepta duntaxat vaſtitate Schiſ-
matica) remanere. vt [a] Templum S. Apoſtoli Londinenſe, quod refert a Bed Hiſt.
Beda ædificatum eſſe ab Edelbertho primo Anglorum rege Chriſtiano. Ang. lib. 2.
item ab eodem [e] Templum S. Andreæ Apoſtoli in ciuitate Roffenſi, cap. 3.
quam ille vocat (ſicut nos hodie) Rotcheſter. Ab eodem etiam [f] Tem- f lib. 1.
plum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Monaſterio Dorouer- cap. 33.
nienſi, id eſt, Cantuarienſi.in quo templo erat [g] Porticus S. Martini, vbi g lib. 2.
ſepelirentur Epiſcopi Cantuarienſes & Reges. [b] Templum inſuper cap. 5. b lib. 2.
S.Petri Apoſtoli Eboracenſe,ab Edwino & Oſwaldo regibus.Et [c] Tem- cap. 14.
plum Lincolnienſe , à Paulino Epiſcopo. Aliud quoque [d] Oratorium c cap. 16. d lib. 3.
in Henfeld, vbi prædictus rex S. Oſwaldus virtute Sanctæ Crucis victo- cap. 2.
riam ab Ethnicis admirabilem reportauit. Et [e] Templum ſanctorum e cap 7.
Apoſtolorum Petri & Pauli in Ciuitate Venta, quam & ille vocat Wint-
cheſter, hodie Latinè Vintoniam appellamus. Multa item Templa an-
tiquiora his Anglorum , nimirum vel à Britonibus Chriſtianis,vel etiam

Metl. 11. ab ipſis Romanis Chriſtianis extructa. fuit enim eo tempore Britannia Romanis ſubiecta, vt alibi oſtendi fuſiùs. Inter illa ergo erat Cantua-
h lib. 1. *ca.* 33. riæ [h] Eccleſia quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam » fuiſſe didicerat [S. Auguſtinus Apoſtolus noſter,] & eam Regio admi-
» niculo recuperans, in nomine S. Saluatoris Dei & Domini noſtri Ieſu
i lib. 1. *cap.* 26. Chriſti ſacrauit. [i] [Alia item] Eccleſia prope eandem ciuitatem ad
» Orientem in honorem S. Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani
» Britanniam incolerent. [in qua Apoſtoli noſtri] primò conuenire, pſal-
» lere, orare, Miſſas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donec
» Rege [Edelbertho] ad fidem conuerſo, maiorem prædicandi per om-
» nia, & eccleſias fabricandi vel reſtaurandi licentiam acciperent. [Alia
k lib. 1. *cap.* 7. porro] [k] apud ciuitatem Verolamium, ſiue Werlamaceſtir, ſiue Warlingaceſtir, nunc Eccleſia S. Albani, mirandi operis, atque eius Mar-
» tyrio condigna, [extructa poſt procellam Diocletiani.] in quo vide-
» licet loco vſque ad hanc diem [inquit Beda] curatio infirmorum, &
» frequentium operatio virtutum celebrari non deſinit. [Hæc igitur Templa vetuſtiſſima (vt puto) omnia cum plurimis alijs hodieque ſtant, licèt deformata & expilata ab hæreticis: manifeſtiſſimè teſtantia oculis omnium id quod modò dixi, etiam primæua Templa fuiſſe Religionis noſtræ. Tertiò, reſpondeant Hæretici, cur contra omnia omnino Templa congerant (vt præmonui) vaniſſima argumenta, niſi non præſentia ſolùm, verùm antiqua etiam aduerſentur Religioni ipſorum. Quartò, expendantur loca omnia Veterum Scriptorum, in quibus deſcriptionem vel mētionem vllam faciunt Templorum antiquorum: nullam certè dabunt vel minimam ſuſpicionem contra Religionem noſtram, ſed contra Proteſtantes dabunt voces ſonoras & manifeſtas: ita vt ſtatim intelligas, ea quæ audies de illis Templis deuaſtatis olim à Tyrannis, ſimillima & planè eadem eſſe cum facinoribus hodie Proteſtantium: ea verò quæ de illis ædificatis, vel reſtauratis lecturus es, noſtra proculdubio eſſe.

III. Quinto notabis, tanti eſſe momenti hanc inſpectionem Templorum, vt antiquiſſimi & doctiſſimi Chriſtiani inde probent Paganis, Chriſtum eſſe Deum: ſimulque notabis, quòd dum id faciunt, ſic loquuntur
Euſ. Orat. de Laud. Conſtantini p. 384. de Templis, vt ea noſtra fuiſſe, nihil dubites. Hinc enim eſt quod Euſebius laceſſit Gentilem quemlibet, & dicit: Quis alius, ſolo noſtro Ser-
» uatore excepto, Sacrificia rationalia ſanguiniſque expertia, precibus &
» arcanâ quadam Diuinæ laudis celebrandæ ratione, ſuis Diſcipulis obeun-
» da tradidit? Qua de cauſa tum Altaria in toto orbe terrarum conſtructa ſunt,

ſunt, tum auguſtæ ſanctæque Eccleſiæ ædificatæ, tum Diuina Sacrificio- «
rum ſola mente & ratione perceptorũ miniſteria ſoli Deo omnium mo- «
deratori ab omnibus Gentibus deſtinata, tributaque. [Similiter S. Chry- *Chryſ. Tom.*
ſoſtomus Gentili dicit, vt demonſtret Chriſtum eſſe Deum:] Cõſidera & *5. cõ. Gent. quod Chriſtus ſit*
cogita tecum, quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis *Deus, col.*
Eccleſijs impleri, tantas Gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi *1036.*
vt patrias leges irritent, Altaria & Templa [Idolorum] aboleant: & exci- «
tent Altaria [Chriſti] vbique Gentium, in regione Romanorum, Perſa- «
rum, Scytharum, Maurorum, Indorum; & vltra orbem noſtrum. Nam & «
Britannicæ inſulæ extra hoc mare [Mediterraneum] ſitæ, & quæ in ipſo «
Oceano ſunt, virtutem verbi [huius, Ædificabo Eccleſiam meam] ſen- *Matth. 16.*
ſerunt. Sunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta Altaria. [Vnde *Bed. Hiſt.*
& Beda noſter Eccleſias & Altaria vocat fidei Chriſtianæ ſigna. Nam vbi *lib. 3. cap. 2.*
narrauit victoriam Oſwaldi Regis noſtri Chriſtianiſſimi de Paganis, par-
tam virtute Crucis ligneæ erectæ ab eo in Heauenfeld, id eſt, cæleſti
campo; variaque miracula deinde per aſſulas eiuſdem ſacroſanctæ crucis
patrata: & quòd in eodem loco conſuetudinem multo iam tempore fe- «
cerant fratres Haguſtaldenſis Eccleſiæ (quæ non longè abeſt) aduenien- «
tes omni anno, pridie quàm poſtea idem Rex Oſwaldus occiſus eſt, Vi- «
gilias pro ſalute animæ eius facere, plurimaque Pſalmorum laude cele- *Dirige, & Requiem.*
brata, victimam pro eo manè Sacræ Oblationis offerre: [ſubijcit mox
de ijſdem fratribus, dicens: Qui etiam creſcente bona conſuetudine, «
nuper ibidem Eccleſia conſtructa atque dedicata, ſacratiorem cunctis «
& honorabiliorem omnibus locum fecerunt. Nec [inquit] immeritò: «
quia nullum (vt comperimus) fidei Chriſtianæ ſignum, nulla Eccleſia, «
nullum Altare in tota Berniciorum gente erectum eſt, priuſquam hoc «
ſacræ Crucis vexillum nouus militiæ eductor, dictante fidei deuotio- «
ne, contra hoſtem immaniſſimum pugnaturus, ſtatueret. [Plurimum- «
que obſeruandum eſt, quod antiquiſſimus Tertullianus è contrario de
Hæreticis refert, in illo aureo libello de Præſcriptionibus Hæreticorum, *Tertul. de*
poſt notatam fidem eorum ſic notans & conuerſationem:] Non omit- *Præſc.*
tam [inquit] ipſius etiam Conuerſationis Hæreticæ deſcriptionem. «
Quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit, ſine grauitate, ſine «
auctoritate, ſine diſciplina, vt fidei ſuæ congruens. Imprimis quis «
Catechumenus, quis Fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter «
audiunt, pariter orant: &c. Plerique nec Eccleſias habent, ſine matre, «
ſine Deo, orbi fide extorres quaſi aſili [id eſt, œſtra] latè vagan- «
tur. &c.

Sextò,

Sextò, conſiderabis, eiuſdem religionis homines fuiſſe, & eaſdem etiam perſonas interdum, quorum Templa ante Conſtantinum Magnum Perſecutores euertebant, & qui Perſecutionibus ſopitis vel eadem reſtaurabant, vel noua extruxerunt: ita vt & priora & poſteriora Templa vnius & eiuſdem fuiſſe religionis videas. Addeſque etiam hoc, Deum ipſum per Prophetas teſtari clariſſimè, & Templa illa ſua, & populum illum ſuum fuiſſe. Quæ omnia ſic euidenter oſtendo. Imprimis enim ſtatum rerum Chriſtianarum ante Perſecutionem Diocletiani & Maximiani deſcribens Euſebius, ſic ait: Aut quomodo quiſquam Conuentus illos infinitâ hominum turbâ frequentatos, multitudines in ſingulis ciuitatibus coactas, illuſtres hominum in Templis concurſus, poterit oratione explicare? Vnde cùm in antiquis illis ædificijs non ſatis loci haberent, ampliores Eccleſias in vniuerſis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. [Deinde in perſecutione ipſa narranda:] a Sub Diocletiano [inquit] ſocijſque eius, grauis contra nos incendebatur Perſecutio, & eodem momento violenta Eccleſiarum euerſio facta eſt. [Et iterum: Chriſtianis plurimis vitia vitijs aceruatim adijcientibus,] b tunc demũ [inquit] iuxta Hieremiæ ſententiam, obſcurauit in ira ſua Dominus filiam Sion, & deiecit de cælo gloriam Iſraël: non recordatus eſt ſcabelli pedum eius, in die iræ ſuæ: ſed demerſit Dominus omnem decorem Iſraël, & demolitus eſt omnes ſepes eius. Et ſicut in Pſalmis Propheticè prædictum erat, auertit teſtamentum ſerui eius, prophanauit in terra per eccleſiarum euerſionem Sanctuarium eius, & deſtruxit omnes ſepes eius, poſuit firmamentum eius formidinem: diripuerunt multitudines populi, omnes tranſeuntes per viam: & propterea factus eſt opprobrium populus vicinis ſuis. exaltauit enim dexteram inimicorum ſuorum, & auertit adiutorium gladij ſui, & non eſt auxiliatus ei in bello: deſtruxit eum ab emundatione ſua, & ſedem illius in terram colliſit: minorauit dies temporis eius, & ad extremum perfudit eum confuſione. Iſta omnia mala [inquit Euſebius] erant noſtris ſcilicet expleta temporibus, quando Sacras ædes precibus dicatas, è ſublimi in ſolum, fundamentis ipſis conquaſſatis, deiectas: Diuinas & ſanctas Scripturas medio foro in rogum impoſitas: Eccleſiarum Paſtores, hos in latebras hic illic ſe cum ignominia abdentes, illos non ſine dedecore prehenſos, & ab hoſtibus ludibrio expoſitos oculis noſtris aſpeximus. [Moxque de Edicto ipſo refert:] Anno 19. Imperij Diocletiani, menſe Martio, cum ſalutaris Paſſionis Dominicæ Feſtum iam pro foribus eſſet, omnibus in locis per Imperatoris literas palàm edictum fuit, vt tum

Euſeb. hiſt. lib. 8. ca. 1.

a lib. 7. cap. 24.

b lib. 8. cap. 1. 2. Thren. 2.

Pſalm. 78. 89.

Cap. 3.

vt tum deturbarentur Eccleſiæ, ſoloq́ue æquarentur: tum Scripturæ ab- «
ſumerentur igni: tum qui honorem [ciuilem ſeu militarem] fuiſſent ad- «
epti, de gradu turpiter deponerentur: tum priuati, ſi modò in profeſſio- «
ne Chriſtiana perſtarent, libertate penitus priuarentur. [Et ſequitur:] «
Ac primum Edictum contra eos editum, tale fuit. Non longo tempore «
pòſt, alijs literis exeuntibus mandatum eſt, vt omnes Eccleſiarum Præſi- «
des vbique gentium primùm conijcerentur in vincula; deinde omnibus «
machinis adhibitis, Idolis victimas immolare cogerentur. &c. [Qua ge- «
neralitate perſecutionis factum eſt, vt ſicut ex generali conuerſione mundi Chryſoſtomus ſuprà notauit etiam in Britanniâ noſtrâ erecta eſſe Templa cum Altaribus, ita è contrario Beda noſter, cum dixiſſet, Diocletia- *Bed. Hiſt. lib. 1. cap. 6.*
nus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente, vaſtari Eccleſias,
affligi interficique Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt: «
quæ perſecutio omnibus ferè anteactis diuturnior atque immanior fuit. «
Nam per decem annos, incendijs eccleſiarum, proſcriptionibus innocen- «
tum, cædibus Martyrum inceſſabiliter acta eſt: [tum ſubiunxerit:] Deni- «
que etiam Britanniam cum plurima confeſſionis Deo deuotæ gloria ſubli- «
mauit: [& ibi] [a] eccleſijs ad ſolum vſque deſtructis. *a cap. 8.*

Hæc eſt illa Diocletiani & Maximiani perſecutio, in qua facta eſt illa Traditio Codicum Diuinorum & aliarum rerum ſacrarum, de qua tam frequens eſt mentio apud eos (Auguſtinum maximè) qui de cauſa Cæciliani & Donatiſtarum ſcribunt. Volebant enim Donatiſtæ tempore Auguſtini defendere Schiſma ſuum in quo iam tum à Maioribus perſeuerabant centum ferè annis, dicendo, Cæcilianum epiſcopum Carthaginis eſſe non potuiſſe, quia Traditor fuit, ideoque Maiores eorum rite contra eum ordinaſſe Maiorinum. Reſpondet poſt Optatum Auguſtinus, primùm illam non fuiſſe idoneam cauſam Schiſmatis & Separationis à tota Eccleſia Catholica, etiamſi vnus Cæcilianus fuit Traditor. deinde, docet Cæcilianum non fuiſſe Traditorem. tertiò oſtendit, maiores Donatiſtarum fuiſſe Traditores in illa eadem perſecutione: idque conuincit ex quibuſdam publicis Iudiciorum actis, in quibus ſcripta erant hæc: Diocletiano octies & Maximiano ſepties conſuli- *Auguſt. cõ. Creſc lib 3. cap. 29.*
bus, 14 cal. Iunij, ex Actis Munatij Felicis flaminis, perpetui cura-
toris Coloniæ Cirthenſis: cum ventum eſſet ad domum in qua Chri- «
ſtiani conueniebant, Felix flamen Paulo Epiſcopo dixit, Profer- «
te Scripturas Legis, & ſi quid aliud hic habetis, vt & præcepto & «
iuſſioni [Imperatorum] parere poſſitis. Paulus Epiſcopus dixit, Scrip- «
turas Lectores habent: ſed nos quod hic habemus, damus. «

„ [Et paulo pòſt ſequitur ſcriptum eſſe in breue ſic,] Calices duo aurei,
„ Item Calices ſex argentei, &c. Et alio loco, [inquit Auguſtinus,] Poſtea-
„ quam apertum eſt in Bibliotheca, inuenta ſunt ibi armaria inania. ibi pro-
„ tulit Siluanus ſubdiaconus [ſed poſtea nihilominus Epiſcopus Cirthen-
„ ſis Donatiſtarum] capitulatam argenteam, & lucernam argenteam, quòd
„ diceret ſe poſt arcam inueniſſe. [cui Gentilis quidam ſtatim dixit,] Mor-
„ tuus fueras, ſi non illas inueniſſes. [& deinde flamen prædictus,] Inqui-
„ re diligentiùs nequid hîc remanſerit. Siluanus dixit, Nihil hîc remanſit,
„ totum hoc eiecimus: & cætera. [Hæc igitur & ſimilia in illa perſequu-
tione geſta ſunt. Quid verò deinde? Tandem ſcilicet poſt decem per-
ſecutionis annos, fractus Maximianus varijs magniſque miſerijs diui-
b 2. Mac. 9. nitus ſibi inflictis, vt [b] olim Antiochus, cecinit palinodiam (cuius
c. Euſ. lib. 8. cap. 29. exemplum conſeruauit [c] Euſebius) lege & decreto Imperatorio iubens
„ Chriſtianos Templa ſua exædificare, rem maturare, conſueta officia in
d lib. 9. cap. 2. illis facere, preces pro Imperij ſtatu fundere. [Et duas ſimiles ponit [d] in-
feriùs etiam Iouij Maximini reuocationes, cùm alijs ſucceſſibus Con-
ſtantini Magni perterriti, tum à ſororio eius Licinio bello ſuperati. in
„ ſecunda igitur reuocatione ſunt hæc verba:] Quinetiam vt Dominica
„ & Sacras ædes reficiant, à nobis conceſſum eſt. &c. [Mox autem ſecun-
e cap. 9. „ do prælio Tyranno hoc perempto, tum demum [e] Eccleſiæ [inquit Eu-
VI. ſebius] gratia Dei omnipotentis ab ipſis fundamentis denuò ædificatæ
d lib. 10. cap. 2. erectæque fuerunt, &c. [Et [d] infrà rurſum:] Quinetiam omnium no-
„ ſtri mentes diuino quodam & cæleſti gaudio triumpharunt, dum ſingula
„ loca Tyrannorum ſcelere & impietate paulo antè diruta, tanquam poſt
„ diuturnam & mortiferam vaſtitatem iam quodam modo reuiuiſcere, &
„ Templa ſolo æquata, ab ipſis fundamentis denuò ad immenſam altitudi-
„ nem erigi, & multò maiore ſplendore atque amplitudine, quàm illa quæ
„ dudum euerſa erant, illuſtrari videbamus. [Quæ omnia [f] oſtendit facta
f. lib. 10. cap. 5. 8. eſſe gratia & opibus Imperatorum Conſtantini atque Licinij, quan-
quam Licinius poſtea verſus in Tyrannum, rurſus & ipſe deijci Eccle-
ſias claudique præcepit, ſimilique propterea ſuperioribus Tyrannis inte-
ritu ſublatus eſt.

Tanti porrò docet ponderis fuiſſe has tam mirabiles rerum con-
uerſiones, vt inde paſſim in Hiſtoria ſua meritò annotet contra Genti-
g lib. 10. cap. 4. les Deitatem Ieſu Chriſti Domini noſtri. vbi & [g] Oratorem quendam
Tyrium Chriſtianum inducit; qui cum dixiſſet, in Panegyrica, Sceleſtus
„ dæmon rabiem ſuam in Templorum lapides edebat, &c. ſubiecit pòſt
inter argumenta Deitatis Chriſti, dicens:] Quis denique tam regalibus
tamque

tamq́ue magnificis Palatijs, tam præclaris Templis auguſtè conſecratis, omnem locum, regionem, & ciuitatem tam Græcorum quàm Barbarorum illuſtrauit? [Vnde argumentatur fuſiùs ipſe Euſebius [b] alio in loco,& dicit.] Cæterum hoc loco tempus opportunum ſe offert, eas res perſequendi,quæ noſtris temporibus à Seruatore noſtro geſtæ ſunt: Deiq́ue viuentis facta, quæ propter recentem ipſorum memoriam quodammodo viuunt, accuratè cognoſcendi. Nunquid non Viuentis ea eſſe ſtatuemus? At talia tamq́ue egregia facta, & ipſa viua ſunt, & Dei qui reuerà vitâ viuit, exiſtimanda. Verùm rogas fortaſſe, quænám iſta ſint? Sic igitur accipito: Tyranni quidam cum Deo bellum ſuſcipere minimè veriti, non ita pridem Templa precibus dicata, impetu animi ardentiſſimo, maximis viribus & copijs, concuſſis illorum fundamentis, diruerunt: Eccleſiaſq́ue prorſus delere cogitantes, omnibus machinis Deum qui oculis cerni nequit, oppugnare, infinitaq́ue verba plena blaſphemiæ in eum iácere intorquereq́ue cœperunt. Verùm ille qui in occulto latet, occulta quadam vi & recondita, eorum conatus vindicauit. Nam nonnulli qui antè delicatè ac molliter vixerant, putabanturq́ue beatiſſimi, quiq́ue Semidei omnium ſermone & prædicatione celebrabantur, ſolo Dei nutu & potentia extincti fuerunt. Alij, qui multis annorum conuerſionibus præclarè omnia & ex animi ſententia propterea geſſerant, quòd erga Deum, contra quem poſtea dimicabant amicitiam, & pacem colebant: poſtquàm mutatâ ſententiâ cum Deo bellum gerere temerè aggreſſi ſunt, ſuoſq́ue deos propugnatores & defenſores noſtro Deo ex aduerſo oppoſuerunt, extemplò vno temporis momento, Dei nutu ac potentia, quicum prælium iniuerant, omnes ſcelerum ſuorum pœnas debitas perſoluerunt. Adeò vt inuiti ei cogerentur, quem oppugnauerant, cedere, terga dare, Diuinam eius virtutem agnoſcere, & admodum maturare, vt ipſorum permiſſu contraria illis, quæ antè admiſerant, decernerentur. Seruator igitur confeſtim trophæa victoriæ vbique terrarum erigenda, mundum vniuerſum ſacroſanctis Templis, auguſtiſq́ue Eccleſiarum ædificijs adornandum, in ſingulis vrbibus, pagis, regionibuſq́ue omnibus, atque adeò in deſertis Barbarorum locis, ædes ſacras & VII.
Templa vni omnium Deo atque vniuerſarum rerum Domino dedicanda conſecrandaque curauit. Vnde etiam Templa quæ erant ei conſecrata, Domini nomen obtinuerunt: quod nomen non ex hominibus, ſed ex ipſo omnium Domino, illis fuit impoſitum, & propterea Dominica ſunt appellata [Græcè κυριακά, vnde eſt Germanicum Kyrken, quo vocabulo etiam Angli Septentrionales vtuntur, nam reliqui pro

b Euſ. de Laud. Conſt. pag. 385.

Diocletiani, Maximiani, Maximini, & complicum interitus. Maxentii, Licinii.

» more ſuo mutandi in pleriſque c in ch, vocant Chyrches vel Chur-
» ches.) Iam verò [inquit Euſebius ex his] aliquis [Gentilis] prodeat in
» medium, atque nos doceat, quis poſt tantam ruinam vaſtationemque,
» ſacra ædificia à ſolo in ſublime erexerit: aut quis Templa, quorum refi-
» ciendorum nulla ſpes reliqua fuit, poſteriore ſtructura multò illuſtrio-
» ra magnificentioraque, quàm antea fuiſſent, reddiderit, eaque denuò
» ædificauerit, non poſt mortem Tyrannorum illorum qui cum Deo
» bellum fecerant, ſed (quod dictu propè incredibile eſt) dum adhuc
» illis ſuppetebat vita, qui eadem ipſa diruiſſent: adeò vt ijdem Tyran-
» ni tum ſermone corà̃ habito, tum ſcriptis, facinorum tam impiè ab
» ipſis admiſſorum palinodiam canerent: idque adeò præſtarent, non
» cùm lætitia fruerentur & voluptate animorum (ſic namque fortaſſe
» aliquis exiſtimare poſſet, eos benignitate & clementia inductos illud
» ipſum feciſſe) ſed cùm plagis & cruciatibus cælitus inflictis ad id fa-
» ciendum cogerentur. [Hoc igitur modo completa eſſe vaticinia quæ-
dam Prophetarum notat pro Christo S. Hieronymus: vt illud Za-
Hier in Zach. 8. » chariæ, Hæc dicit Dominus exercituum: Si difficile videbitur in
» oculis reliquiarum populi huius in diebus illis: nunquid in oculis
» meis difficile erit, dicit Dominus exercituum? Per ſingula verba
» atque ſententias [inquit Hieronymus] quibus Iſraëli proſpera & pro
» rerum magnitudine pænè incredibili: a promittit, Propheta proponit:
» Hæc dicit Dominus omnipotens: alio ſermone, hoc loquens: Ne
» putetis mea eſſe quæ ſpondeo, vt quaſi homini non credatis, Dei ſunt
promiſſa quæ replico. [ibique primùm de typo ad quem Propheta alludit,
» loquens:] Suprà [inquit] dixerat, anus & ſenes in platéis eſſe ſeſſu-
» ros, & pro temporis longitudine baculos manibus retenturos: ar-
» tandas platéis hominum multitudine: pueros ac puellas quaſi in feſtis
» diebus choros ducere: & extruendam Hieruſalem, atque in ſtatum
» fœlicitatis priſtinæ reſtituendam. Hoc reliquijs populi quæ de capti-
» uitate venerant, videbatur incredibile, cernentibus vrbem penitus
» deſtitutam, murorum ruinas, combuſtos parietes, manus Babylo-
» nias oſtentare: idcirco conſolatur: Si vobis qui eſtis reliquiæ captiui
» populi, vel difficile vel impoſſibile videtur eſſe quod ſpondeo, vt
» in diebus illis quibus ædificanda eſt Hieruſalem, tanta fœlicitas ſit:
» nunquid in conſpectu Domini aut difficile erit aut impoſſibile, qui
hæc futura meo ore promittit? [hactenus de vmbra: iam de imple-
» tione.] Hæc [inquit] Perſecutionis tempore in Eccleſijs Christi
expleta

expleta conſpeximus, quando in tantam rabiem Perſecutorum feritas excitata eſt, vt etiam conciliabula noſtra deſtruerent; diuinos Libros ignibus traderent; omnes inſulæ, metalla, carceres, Confeſſorum & Martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet, rurſum Eccleſias conſtruendas [quemadmodum & nunc plerique deſperant, Eccleſias Monaſteriorum rurſus in Anglia conſtruendas] ab his ipſis qui antè deſtruxerant? non quòd ijdem homines fuerint, ſed quòd Regalis Poteſtas quæ priùs ſedebat in inſidijs cum diuitibus, & quaſi ex Senatuſconſulto Chriſti nomen conabatur extinguere, nunc expenſis Reipublicæ eccleſiarum baſilicas [id eſt, Regia Palatia ſeu Aulas] extruat, & exaltet ſummma faſtigia, vt non ſolùm laquearia & tecta fulgentia auro decoret, ſed parietes diuerſi marmoris veſtiat cruſtis; & Diuinos Libros, quos priùs tradebat incendio, nunc deauratos, & purpuratos, & gemmarum varietate diſtinctos, in cuſtodiam Romani veneretur ſtatus. [Item illud Iſaiæ ad Eccleſiam Chriſti, ex perſona Dei:] Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. In indignatione enim mea percuſſi te: & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. [vbi Hieronymus ſimiliter:] Videmus [inquit] Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & aduerſus perſequutiones Gentium atque inſidias Hæreticorum Legum ſcita pendere.

Pſalm. 9.

VIII.

Hier. in Iſa. 60.

Ex his igitur perſpicuum eſt, illa fuiſſe Templa Dei ſeu Chriſti, & populum illum fuiſſe populum ſeu Eccleſiam Chriſti ac Dei, imò & eoſdem numero Chriſtianos homines ſeu perſonas fuiſſe, (ne vllam hic ſuſpiceris mutationem Religionis) quorum Templa tum Diocletianus, Maximinianus, Maximinus, cæteriquè Tyranni priùs deturbarunt, ac deinde reædificari permiſerunt, tum maximè Conſtantinus magnus ac alij Imperatores Chriſtiani vſque ad ætatem breui ſequentem S. Hieronymi extruxerunt. Quæ omnia cum tam clara ac manifeſta, tam certa ac firma ſint, nemo ſapiens illa Templa contemnet, ſed eam ſibi religionem ſalutarem, eamque ſolam, exiſtimabit, cuius illa Templa, antequam diruerentur, & cùm pòſt ab ijſdem Chriſtianis ſine vlla mutatione, ſplendidiùs reædificarentur, fuerunt.

IX. Hoc igitur (vt punctum rei attingam) certiſſimum & perſuaſiſſimum habeat Lector quicunque eſt, nihil prorſus iſtorum omnium eſſe, quæ hoc tempore in Templis noſtris damnant, & è Templis

t 3 noſtris

noſtris eijciunt Proteſtantes, quod idem ipſum in illis antiquis Chriſti Templis non exuterit: non Altaria, non chorum, non Cruces & alias Imagines, non Reliquias, non calices cum alijs ſacris vaſis, non ſacras veſtes, non Titulares Sanctorum: addo etiam Dedicationes, Conſecrationes, & ad ipſa loca Peregrinationes, & ſi quid aliud dici poteſt. Scio quidem, multa eſſe in Templorum ornamentis, quæ licèt primæua non fuiſſent, tamen pòſt aſſumi licitè potuerunt, nec vnquam certè vidi rationem vllam, cur non de ipſis etiam ſacris Imaginibus ita ſentiam: quòd (inquam) licèt primitiuo illo tempore in Templis non fuiſſent, poſteriùs tamen introduci potuiſſent, quia reuera nihil aliud quàm repræſentant oculis quòd prædicatio Euangelij concionatur ad aures. ita vt etiam, ſi licitum fuit poſtea libris commendare, quod initio viua concionatorum voce traditum eſt, non fuerit illicitum, idem quoque commendare picturæ. ita etiam, vt ſi Libros ſacros venerati ſunt licitè Imperatores in cuſtodiam Romani ſtatus (quod paulo antè teſtatus eſt S. Hieronymus) licitè etiam Picturis ſacris ſuam venerationem dare omnes & potuerint & poſſimus. Verùm licèt Imagines ſacras huiuſmodi eſſe putem, certum tamen eſt, & eas, & Reliquias, & Altaria, & cætera quæ dixi, & alia ferè omnia quæ nunc videntur in Templis, etiam in Templis Primitiuis ſimili modo fuiſſe. Quorum etiam omnium certum eſt non ſolùm ſimplicia teſtimonia extare in Antiquitate, verùm etiam myſticas rationes eorundem & tum vſurpatas fuiſſe, quantumlibet illuſores Hæretici illas nunc in Rationali Diuinorum (quod vocatur) irridere & ſubſannare non timeant. De quo interim recordentur docti, quæ S. Dionyſius Areopagita in Anagógis ſuis Eccleſiaſticis ſcripta reliquit: ego verò in ſequenti Motiuo dicturus ſum plura. In hoc autem non attigi, nec attingam ferè niſi teſtimonia, quæ dixi, nuda atque ſimplicia. Attigi autem iam teſtimonia eius generis ſatis multa prudenti, ſatiſque perſpicua. quæ qui rectè conſiderat, dubitare ampliùs de omnimoda ſimilitudine illorum Templorum atque noſtrorum iure non poteſt. Veruntamen ex ſuperabundanti adijciam plura, monens interim Lectorem, infinita eum talia reperturum, ſi exemplo meo obſeruet loca Antiquorum ſimilia, in quibus Templorum ædificationem, deſtructionem, reædificationem, prophanationem, repurgationem, vel aliam quamlibet mentionem cernet. Nam in ijs profectò omnibus legens quæ Chriſtianorum erant, non dubitabit ſe quæ hodie noſtra ſunt, legere: contraque legens quæ tunc Tyrannorum & aliorum Aduerſariorum impijſſimorum erant, fatebitur ſe quæ hodie geruntur à Proteſtantibus, legere. idque per ea omnia primæua

tempora,

tempora, in quibus nihil probabile adferre poſſunt Proteſtantes, cur ſobrius quiſquam credat eis, Templa interim Chriſtianorum in diſſimilem, nedum contrarium habitum eſſe mutata. Plurima ego ſanè iam adduxi ſolidiſſima firmamenta, quæ neminem permittant ſanum vel ſuſpicari aliquam talem mutationem tunc in Templis factam eſſe, ſed contrà ea vſque permanſiſſe talia, qualia Prophetæ prædixerunt, & qualia Chriſtiani in argumentum Deitatis Chriſti Gentilibus oppoſuerunt. id quod meritiſſimò feciſſe eos hinc quoque intelliges, ſi conſideres, Idolorum Templa paſſim diruta eſſe, vt illa Chriſto Templa extruerentur; cuius rei exempla aliquot ſubijcere opportunis locis non ero immemor. X.

Veruntamen vnum adhuc exemplum & teſtimonium illuſtriſſimum atque mirabile commemorandum puto, ex quo perſpiciant imperiti vel hæſitabundi, vnam quandam Templorum formam, ex Apoſtolorum indubiè traditione, fuiſſe. Patet enim illud ex illa apud Ruffinum & Socratem hiſtoria memorabili de muliere quadam captiua apud Iberos ſub axe Pontico temporibus Conſtantini: quæ primùm vitam pudicam ducendo, totiſque diebus ac noctibus obſecrationes Deo peruigiles exhibendo, deinde paruulum quendam, itemque Reginam, cilicio ſuo ſuperpoſitos, oratione ſanando, [magnæ admirationi facta Barbaris, tandem, interueniente tertio quoque miraculo in ipſo Rege, accerſita eſt ab eis. itaque] edocet Chriſtum Deum: ſupplicandi ritum venerandique modum, inquantum de his aperire fœminæ fas eſt, pandit. fabricari tamen eccleſiam [inquit Ruffinus] monet, formamque deſcribit. ſeu [vt dicit Socrates] formam & effigiem eccleſiarum, quæ apud Romanos ſunt, docet. [actutum igitur aggrediuntur opus, cõcurrente etiam ingenti miraculo, quo Deus apertè declarauit, illam ædificationem ſibi gratam eſſe. cuiuſmodi miracula, id eſt Diuina teſtimonia & ſuffragia cæleſtia in alijs quoque Templis ſtudioſus Lector obſeruet. Hinc igitur conſtat, Templa ferè omnia illius (vt & huius) temporis, vnius formæ fuiſſe. Nunc itaque plura particularia ſubnotemus, vt quibus cum illis Templis conueniat, vtrum nobis, an Proteſtantibus, adhuc euidentiùs innoteſcat.

Ruff. lib. 10. cap. 9. Soc. lib. 1. cap. 16.

Proteſtantibus certè in hoc magis conuenire cum Donatiſtis Hæreticis, vnus Optatus ſufficienter oſtendet: qui ſic Donatiſtas (& in eis, Proteſtantes) alloquitur: Quid eſt enim tam ſacrilegum, quàm Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, remouere? in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt? &c. quid eſt enim Altare, niſi ſedes Corporis & Sanguinis Chriſti? Hæc omnia furor 11.

Opt. lib. 6. fol. 61. b.

veſter

» veſter aut raſit, aut fregit, aut remouit. Hoc inexpiabile nefas &c vbi-
» que eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuiſtis. Quid perdi-
» torum [quaſi Geuſiorum] referam multitudinem, & vinum in merce-
» dem ſceleris datum? &c. Si liuoris iudicio nos vobis ſordidi videbamur,
» quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari conſueuerat? Quid vos of-
» fenderat Chriſtus, cuius illic per certa momenta Corpus & Sanguis ha-
» bitabat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, vt illa Altaria frangeretis,
» in quibus ante nos per longa temporum ſpacia, ſanctè (vt arbitramini)
» obtuliſtis? Dum impiè perſequimini manus noſtras illic vbi Corpus
» Chriſti habitabat, ferijſtis & veſtras. Hoc modo Iudæos eſtis imitati:
» Illi iniecerunt manus Chriſto in Cruce: à vobis percuſſus eſt in Altari.
» Si Catholicos illic inſectari voluiſtis, vel veſtris illic antiquis oblationi-
» bus parceretis. [Nam vt hoc obiter moneam, licèt dicam, in iſtis conue-
nire Proteſtantes cum Donatiſtis, tamen in hoc fateor, cogente me Op-
tato, differre eos, quòd Proteſtantes ſint in hac parte multo magis ſacri-
legi quàm Donatiſtæ. nam illi non perſequebantur Altaria & Sacrificium
Corporis ac Sanguinis Chriſti, niſi quatenus Catholicorum erant. Hi
autem perſequuntur eadem non ſolùm propter Catholicos (quos ſimi-
liter ſordidos & immundos putant) verùm etiam propter ſe ipſa. altaria
(inquam) & Sacrificium illud, ipſa per ſe ſacrilego odio habent. hoc
igitur diſcrimine excepto, pergat Optatus, & in Donatiſtis percutiat
» Proteſtantes. ſequitur: Ibi modò ſuperbus inuentus es, vbi iamdudum
» humilis offerebas? Ibi libenter peccas, vbi pro multorum peccatis orare
» conſueueras? &c. Sufficeret inſaniæ veſtræ, quòd membra laniaſtis Ec-
» cleſiæ, quòd Dei populos iamdudum in Vnitate poſitos, veſtris ſeductio-
» nibus diuiſiſtis. Inter hæc omnia vel Altaribus parceretis. Cur vota
» & deſideria hominum cum ipſis Altaribus euertiſtis? Illàc ad aures Dei
» aſcendere Populi ſolebat oratio. Cur concidiſtis precibus viam? & ne
» ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impia manu quo-
» dammodo ſcalas ſubducere laboraſtis? [& cætera, in quibus ſalsè irridet
furioſam ſtultitiam illorum Hæreticorum, quòd putantes ea] quæ à Ca-
» tholicis in nomine Dei in ipſo Myſterio [Miſſæ] tacta ſunt, immunda
» eſſe; [cumque] nemo Fidelium neſciat, in peragendis Myſterijs, ipſa li-
» gna [Altaris] linteamine cooperiri, quod velamen linteum inter ipſa
» Sacramenta potuit à Catholicis tangi non lignum: [tamen Donatiſta-
rum ſapientia non velamen Altaris putabat immundum, ſed lignum.
Poſt quæ ſubijcit Optatus auctarium quoddam ſacrilegij Donatiſtarum,
an vero & Proteſtantium, Lector ex verbis eius intelliget: Hoc immane
facinus

facinus [inquit] geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices, Chriſti “
Sanguinis portatores. Quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercem “
nefarijs nundinis procurantes : ad quam nec emptores eligere volu- “
iſtis ſacrilegi, dum inconſiderate vendidiſtis, &c. paſſim vendi iuſſiſtis. “
Emerunt forſitan in vſus ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt Pagani, “
facturi vaſa, in quibus incenderent Idolis ſuis. O ſcelus nefarium! “
ô facinus inauditum! [Ibique ad inuidiam falsò à Donatiſtis conflatam Catholicis ex Aggæo Propheta ſcribente, Quæ tetigerit pollu- *Agg. 2.*
tus, polluta ſunt, inficiando reſpondet. negat enim illa crimina quæ
mendaces Hæretici Catholicis intentarunt. Et poſt multa, iterum:
In hoc genere [inquit] tanta damna feciſtis Deo, quanta lucra dia- *fol. 66. a.*
bolo procuraſtis. Conflaſtis impiè Calices, crudeliter fregiſtis, & “
inconſultè raſiſtis Altaria. [At mox addit ?] Et illud prætermit- “
tere nequeo, quod nec Deo eſt placitum, nec à veſtris cultoribus “
excuſari, nec ab aliquo homine defendi poteſt. [Quodnam illud?] “
Per iudicia ſæcularia & leges publicas, Diuinæ Legis inſtrumenta, “
executione Officiorum à plurimis eripienda eſſe duxiſtis, volentes “
ſoli habere, quod pax [Catholica] in communione poſſederat. “
[Quæ illa inſtrumenta tandem ? ſi tamen fas eſt planiùs audire.]
Non vereor [inquit] Chriſtianus dicere, quod vobis poſtulanti- “
bus Gentilis executio non potuit ignorare. [Dic igitur.] Vela- “
mina & inſtrumenta Dominica extorſiſtis, quæ iamdudum fuerant “
in communione poſſeſſa : extorſiſtis cum codicibus pallas. iudicio “
ſuperbiæ veſtræ vtraque arbitrati eſtis eſſe polluta. [Vnde facetè ir- “
ridet eos, dicens :] Niſi fallor, hæc, [quia polluta à nobis,] puri-
ficare properaſtis : Lauiſtis proculdubio pallas : indicate, quid de “
Codicibus feceritis : in omnibus iudicium prouidentiæ veſtræ de- “
bet eſſe æquale. Aut vtrumque laua, aut vtrumque dimitte. [Ac “
rurſum ſeriò, etiam de Templis :] Dicite, frater Parmeniane, quid “
vobis fecerat locus ? quid ipſi parietes, vt iſta paterentur ? An quia illic “
rogatus eſt Deus ? An quia illic laudatus eſt Chriſtus ? An quia illic “
inuocatus eſt Spiritus ſanctus ? An quia vobis abſentibus illic Pro- “
phetæ & ſancta Euangelia recitata ſunt ? An quia Vnitas Deo placita, in “
qua habitabat, inuenerat domum? &c. [Alia quoque eorum ſacrilegia in
Templis Catholicorum commiſſa, idem alias deſcribit, dicens quaſi
Proteſtantibus :] Et quod vobis leue videtur, facinus immane commiſ- *Opt. lib. 2. fol. 23. a.*
ſum eſt : Vt omnia ſacroſancta [& quæ illa, diligenter aduerte]

„ veſtri violarent, iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi: non ſine ſigno
„ [hoc enim continenter ſubiungit] Diuini iudicij. nam ijdem canes ac-
„ cenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones, ſancti Corporis reos, dente
„ vindice, tanquam ignotos & inimicos laniauerunt. [vnde pòſt etiam in-
„ ſurgit, ac dicit:] quid iniquius quàm Altaria frangere? euchariſtiam ani-
„ malibus proijcere? [Et quæ alia ſacroſancta violarunt?] Ampullam quo-
„ que Chriſmatis per feneſtram, vt frangerent, iactauerunt: [atque ecce
„ miraculum:] Et cùm caſum adiuuaret abiectio, non defuit manus An-
„ gelica, quæ ampullam ſpirituali ſubuectione deduceret: proiecta, caſum
„ ſentire non potuit: Deo muniente, illæſa inter ſaxa conſedit. [Qua de
re ſæpe etiam aliàs loquitur, vt grauitatem ſui criminis valeant cogita-
a lib. 3. fol. 37. „ re:] [a] Oleum [inquit] in ſapore, in lumine, etiam in ſancto Chriſmate
b lib. 7. fol. 77. „ &c. [item:] [b] Oleum, illum ſcilicet liquorem, qui ex nomine Chriſti
„ conditur: quod Chriſma, poſtquam conditũ eſt, nominatur. Antequam
„ fiat, adhuc oleum eſt, natura ſimplex: fit, & ſuaue eſt, dum de nomine
„ Chriſti conditur. &c. Oleum enim ſimplex eſt, & nomen ſuum vnum &
„ proprium habet: confectum, iam Chriſma vocatur, in quo eſt ſuauitas,
„ quæ cutem conſcientiæ mollit, excluſa duritia peccatorum: quæ animum
„ innouat lenem: quæ ſedem Spiritui ſancto parat, vt inuitatus illic, aſpe-
„ ritate fugata, libenter inhabitare dignetur. &c. Seduxiſtis homines: re-
„ baptizaſtis: iterum vnxiſtis. proh dolor! non ſine morte veſtra, exter-
„ minaſtis quod fuerat de nomine Chriſti confectum, more muſcarum, quæ
„ pereuntes exterminant &c. [Iſta igitur, Altaria, Calices, Corpus & San-
guinem Chriſti, Chriſma, Ampullas, qui etiam hodie in Templis ſuis
habeant, & qui eadem de Templis exterminent, quis non agnoſcit?
Quam autem contrarium iſtis eſt, quod de pietate Salomonis Diuinis
2. Par. 8. literis eſt mandatum!] Dixit enim Salomon: Non habitabit vxor mea
„ in domo Dauid Regis Iſraël, eò quòd ſanctificata ſit, quia ingreſſa eſt in
„ eam Arca Domini. [cùm iſti contrà, non ſolùm erga laicas domos, in qui-
bus fuit quandoque fortaſſe Arca Domini, ſed nec erga domos ipſas
Arcæ Domini conſecratas, vlli parcant ſacrilegio: declarantes per hæc
Pſalm. 82. apertè, ſe eſſe illos in Pſalmo Principes eorum qui dixerunt, Hæreditate
„ poſſideamus Sanctuarium Dei. &c.

XII. Quales non ſolùm Donatiſtæ in Africa, ſed etiam Arriani in eadem
Africa fuerunt: ne quis fortè ignoret Patres Proteſtantium. Nam (vt
Victor. de perſ. Vand. lib. 1. fol. 8. ſcribit Victor) Genſericus [rex Arrianus] mittit Proculum quendam in
Prouinciam Zeugitanam, qui coartaret ad tradendum Miniſteria Diuina
[id eſt, Vaſa ſacra in quibus Deo miniſtratur] vel Libros cunctos Do-
mini

mini, Sacerdotes. &c. Quibus ſe non poſſe tradere clamantibus, ipſe "
rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis Altaris (proh nefas) "
camiſias ſibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus, huius rei execu- "
tor, fruſtatim ſibi comedens linguam, in breui turpiſſima conſumptus "
eſt morte. [Narrans idem [b] ſuperiùs quòd nullus ab iſtorum Arriano- b *fol.1.b.*
rum furore remanſit locus immunis, dicit; ſed] præſertim in Eccleſijs,
Baſilicíſque, & Cœmeterijs, & Monaſterijs, ſceleratiùs ſæuiebant. & "
cùm maioribus incendijs Domus orationis magis quàm vrbes cunctaque "
oppida concremarent, vbi fortè venerabilis aulæ clauſas repererunt por- "
tas, certatim ictibus dextralium aditum reſerabant: vt rectè tunc dicere- "
tur: Quaſi in ſylua lignorum ſecuribus conſcidere ianuas eius in idipſum, *Pſalm.73.*
in ſecuri & aſcia deiecerunt ea, incenderunt igni Sanctuarium tuum, & "
in terra polluerunt Tabernaculum nominis tui. Quanti tunc ab eis præ- "
clari Pontifices & nobiles Sacerdotes diuerſis pœnarum generibus ex- "
tincti ſunt, vt traderent ſiquid auri vel argenti proprium vel Eccleſiaſti- "
cum haberent! [Pergit porrò, & dicit:] [c] Baſilicam maiorem [Cartha- c *fol.2.b.*
ginis] vbi Corpora ſanctarum Martyrum Perpetuæ atque Felicitatis ſe- "
pulta ſunt, Celerinæ, vel Scyllitanorum, & alias quaſcunque non deſtru- "
xerunt, ſuæ religioni licentia tyrannica mancipauerunt. [Item pòſt de "
eodem Genſerico:] [d] Epiſcopos & Clerum de ſuis Eccleſijs expulit &c. d *fol.3.b.*
[eaſque] ſuæ religioni mancipauit &c. quaſcũque voluit occupauit, & præ- "
cipuè duas egregias & amplas S. Martyris Cypriani, vnam vbi ſanguinem "
fudit, aliam vbi eius ſepultum eſt corpus. &c. [Denique Catholicis] [e] nuſ- e *fol.5.*
quam orandi aut immolandi concedebatur locus, &c. [Eſt autem me- "
morabile admodum, quod [f] poſteriùs refert, dicens:] Ante Perſecutio- f *lib.2.*
nis tempeſtatem, multis præeuntibus viſionibus & Signis imminens de- " *fol.15.*
monſtratum fuerat malum. Nam fermè ante biennium quàm fieret, "
vidit quidam S. Fauſti Eccleſiam ſolito in ornatu fulgentem: & dum læ- "
taretur tanti fulgoris candore, cereis quoque fulgentibus, pallíſque vela- "
minum ac lampadibus rutilantem, ſubitò (ait) luminis illius concupiſ- "
cibilis extinctus eſt fulgor: ac tenebris ſuccedẽtibus, aduerſarius naribus "
natus eſt fœtor: omniſque illa beatorum turba, expellentibus quibuſdam "
Æthyopibus, minata eſt foras. &c. [Et Viſionem iſtam [inquit Victor] "
nobis præſentibus ſancto retulit Eugenio [Carthaginenſi epiſcopo.] Vi- "
dit & quidam Presbyter ipſam Fauſti Eccleſiam refertam turbis innu- "
merabilium populorum, & poſt paululum euacuatam, & repletam por- "
corum multitudine atque caprarum. [Diu præceſſit hæc tempora S. An- XIII.
tonius, celeberrimus ille & ſanctiſſimus Monachus Ægypti, qui & ipſe

a Soz. lib. 6. cap. 5. auctore [a] Sozomeno] vidit ſecundum quietem, priuſquam Arriani eſ-
„ ſent Eccleſiarum potiti gubernaculis, mulos Altare inſultantes calcibus,
„ & ſacram menſam euertentes: [eſt autem Sacra menſa in Eccleſijs Græ-
corum in miniſterium Altaris collocata ad latus, quemadmodum etiam
apud Latinos quando Epiſcopi ſolemniora quædam peragunt, vt in li-
In Officio Fer. 5. in Cœna Dom. cum oleacō-ficiuntur. bro Pontificali videre eſt] ilicoque prædixit, tumultum ex adulterinis
permixtiſque doctrinis ortum, & rebellionem ex illis qui alienam ab Ec-
cleſia Catholica opinionem tenerent, excitatam, Eccleſiam Dei poſtea
„ occupaturam. Atque hæc quidem [inquit Sozomenus] verè ab eo &
» viſa eſſe & prædicta, res quæ ſub Conſtantio & Valente Imperatoribus
» Arrianis accidebant, manifeſtò declararunt. [Quas ego res Arrianorum
Moti. 20. commemoraui in præcedenti Motiuo ex Athanaſio & Petro Alexan-
num. 7. 22. drinis in Ægypto Epiſcopis (in qua ciuitate etiam nata eſt Arij Hæ-
reſis) maximèque flagitia eorum contra Monachos Ægypti filios & diſ-
Soc. lib. 4. cap. 19. cipulos prædicti Abbatis magni Antonij : & inter cætera quod, vt ſcri-
„ bit Socrates] ſolita precationum officia in locis ad orandum ipſis deſti-
» natis exequendi nullam voluerunt omnino illis facere poteſtatem, ſed
Apud Theod. lib. 4. cap. 20. inde eos exturbarunt. [Et quod apud Theodoretum ipſe Petrus Ale-
xandrinus horrendum facinus Lucij Arriani Pſeudoepiſcopi Alexandri-
» ni narrat his verbis:] Sed quid inter res magnas, eas quæ ſunt exigui
» momenti perſequor ? Aut quid in his immoror, & non ad eas quæ
» propter acerbitatem me ad ſe rapiunt, properè ſermonem transfero?
» Quarum, certe ſcio, vos magna capiet admiratio, & velut attoniti iuxta
» nobiſcum conſiſtetis, obſtupeſcentes admodum, quod Dominus tanta
» clementia vſus ſit, & non funditus hanc vniuerſitatem deleuerit. Nam
Isai. 1. » quæ neque facta ſunt, vti ſcriptum eſt, neque audita in diebus patrum no-
» ſtrorum, hæc impij in ipſo Altari deſignarunt. Nam velut in proſcenio,
» in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum maſculum, qui ſexum dene-
» gauerat virilem, & muliebrem ſibi affinxerat, quique tum oculos habebat
Iere. 4. » (vt ſcriptis proditum eſt) ſtibio oblitos, & vultum ſimulachrorum more
Ezech. 23. fuco rubentem, habitu muliebri in ipſo ſancto Altari, vbi pro Spiritus
» ſancti deſceſu inuocari ſolet, corpore in orbem acto, & manibus huc illuc-
» que cum geſtu iactatis, ſaltare compulerunt: atque in riſum immoderatum
» effuſi, nefarias voces ore extulerunt. Rurſus, cum iſtud quoque ad rectum
» ordinem ſpectare, & præterita facinora decora potius quàm nefaria exiſti-
» marent, vnum ex ſuis turpitudine inſigniter nobilitatum, & vt pudore,
» ita veſtibus, ſicut natus erat, nudatum in ſummo Eccleſiæ ſolio collocant,
» turpemque contra Chriſtum concionatorem appellant. Nam pro verbis
diuinis.

diuinis turpitudinem, pro graui oratione petulantiam, pro pietate impie- "
tatem, pro continentia ſtuprum, adulterium, concubitum cum maſculis "
prædicauit: docuitque cum alia, tum furtum, cibum & potionem, vitæ "
hominum vtilia eſſe. [Quæ eadem,& alia plura eiuſdem Lucij atque Arrianorum eius ſcelera in templis Catholicorum perpetrata perſequuntur graui & lamentabili oratione etiam duo illo tẽpore Luminaria Orientalis Eccleſiæ, S.Gregorius Nazianzenus & S.Baſilius magnus frater ipſius Petri Alexandrini. Gregorius quidem, primùm in Oratione quam cõpoſuit in laudem Heronis, vel potius (ſecundum Hieronymũ) Maximi Philoſophi & Confeſſoris. Adde [inquit Gregorius, poſt virgines ſacras ab eis denudatas &c.] Cædes cædibus ſuccedẽtes, caſus caſibus, Sancta prophanis pedibus calcata, Altaria geſtibus corporis obſcœnis & impudicis cantio- " *Hier. in Catal. Naz. Or. in Her. red. ab exilio.*
nibus, atque vt audio (hoccine lingua audax proferet?) ſaltitationibus, "
fœdiſque membrorum contorſionibus ludibrio contumeliæque habita: "
adde blaſphemas linguas in ſacroſanctis thronis concionantes, μυστήρια "
κωμωδούμενα, id eſt, Myſteria ſcurriliter irriſa ac ſugillata, [ſeu ad verbũ, "
comœdiata, vel in comœdias ducta] Pſalmodias ſilentio cõpreſſas, gemitus
ipſarum loco excitatos, fluentes ſanguinis riuos, lachrimarũ fontes, Sacer- "
dotes per vim abductos, Monachos laceratos, expreſſam denique percur- "
ſationis illius Aſſyriorũ imaginem, qua ſanctam Hieroſolymã quondam "
populati ſunt, quã nec oratio ſatis digna exprimere atq; ab oculos ponere, "
nec auris cõcipere poteſt, vnus vt ad eam calamitatem pro rei atrocitate "
cõplorandam adhibendus ſit Hieremias, qui totos etiam lachrimarũ fontes *Iere. 9. 14.*
expoſcit, vijſque Sion lamentationem immittit eò quòd nullos, qui Feſtos *Thren. 1.*
dies agitent, adducant. [Vnde paulò antè hæc dixerat:] Piget me, temporis
illius flagitia, immaneſq; cædes, tum quibus ſacroſanctã ſedẽ [Alexãdrinam "
Lucius] homo ferus & barbarus inuaſit, nefarijq; illius ingreſſus præludia "
referre. Ex multis tamen pauca deplorabo, quæ vos quoq; mecũ deplora- "
bitis, & iam antè deploraſtis: ad eamq; rem Dauidis verbis vtar: Deus ve- *Pſalm. 78.*
nerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Tẽplum ſanctũ tuũ. Et "
quæ ſequuntur. Poſuerunt cadauera ſeruorum tuorũ in eſcam volatilibus, "
& feris in lacerationem. Quin illud inſuper adijciã, quod idem Propheta "
in altera lamentatione alioq; pſalmo cecinit. Quãta malignè egit inimicus *Pſalm. 73.*
in ſancto tuo? Et gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ. "
Quid enim? an non gloriati ſunt? an non varijs calamitatibus atque omni "
malorum genere ſanctum Templum conſpurcarunt? &c. [Idem deinde "
replicat hæc ipſa hæreticorũ illorũ ſacrilegia in Oratione qua ſub perſona *Naz. Orat. ad Arrianos.*
Nouæ fidei & ſui ipſius comparat inter ſe arrianos atq; Catholicos, dicens:

„ Quoſnam precibus incumbentes, manuſque ad Deum attollentes obſi-
„ dione cinxi? quas Pſalmorum Cantiones tubarum clangore compreſſi?
Luc.13. „ quorum Myſticum Sanguinem cum mortifero ſanguine permiſcui? quos
„ ſpirituales fletus exitioſis fletibus ſuſtuli? quas Pœnitentiæ lachrymas
„ tragædiæ lachrymis depuli? quam Orationis ædem in ſepulchrum con-
„ uerti? quam ſupellectilem Rei Sacræ Miniſterio dicatam, manibuſque
a 4. Reg. prophanis non attrectandam, flagitioſis manibus expoſui? vel [a] Nabu-
25. b Dan. 5. „ zardæ coquorum principi, vel [b] Baltazaro, qui in ſacroſanctis poculis
„ nefariè perbacchatus eſt, atque adeò dignas amentia ſua pœnas exoluit?
c Pſal.83. Altaria dilecta, θυσιαςήρια ἠγαπημένα, vt ait [c] Scriptura, nunc autem
„ contumelioſè protrita, quiſnam impudicus ac perditus Adoleſcens tur-
„ piter cantillans corpuſque conflectens impulſu noſtro vobis inſultauit?
„ vel potius per quem huiuſmodi nebulonem ego vnquam Magnum at-
„ que Auguſtum Miſterium prodidi, ludibrioque habui? O Cathedra præ-
„ clara, & præclarorum virorum ſedes ac requies, quæque multos pios Sa-
„ cerdotes, qui iam olim Sacræ Diſciplinæ munus obierunt, ſubinde com-
„ mutaſti, ecquis tandem Ethnicus concionator te conſcendit, & ſcelerata
„ lingua Chriſtianorum Religionem inuectiua oratione proſcindens, Vir-
„ gines caſtæ & verecundæ, ne honeſtorum quidem virorum conſpectum
„ præ pudore ferentes, ecquis tandem ex noſtris vel ad has vſque corporis
„ partes, quas inſpicere nefas erat, probro contumeliáque vos affecit, im-
„ piorumque oculis ſpectaculum triſte propoſuit, flammaque Sodomitica
Baſil. Epiſ. 70. mulctandum? &c. [Baſilius verò eadem apud Epiſcopos Occidentales
pari lamentatione deplorat, ac dicit:] Exilia Presbyterorum, exilia Dia-
„ conorum, totiuſque cleri depopulationes. &c. Sonitus lamentantium
„ in ciuitate, ſonitus in agris, in vijs, in ſolitudinibus. Vox vna omnium
„ miſeranda ac triſtia loquentium: Sublatum eſt gaudium & lætitia ſpiri-
„ tualis: in luctum mutatæ ſunt Feſtiuitates noſtræ: Domus precationum
„ clauſæ ſunt: Altaria cultu ſpirituali vacant: Nulli amplius Chriſtiano-
„ rum cœtus, nulla amplius Doctorum præſidentia: ceſſarunt doctrinæ
„ ſalutares, ceſſarunt Panegyres ac feſtiui conuentus publicique, Hym-
„ nodia nocturna non habentur; neque ſupereſt beata illa exultatio, qua
„ Domino Credentium animæ in Synaxi ac communione ſpiritalium cha-
d Dan.3. „ riſmatum exhilarētur. Nobis iam dicere licet, quod [d] in hoc tempore ſit
„ neque princeps, neque propheta, neque præſes, neque oblatio, neque
„ incenſum, neque locus vbi coram Domino poſſit offerri ſacrificium ac
„ miſericordia acquiri. Hæc ſcientibus ſcribimus: propterea quod nulla
„ Orbis pars eſt, quæ calamitates noſtras ignoret. &c. [Idem de perſecutio-
nibus

nibus iſtis ipſos [e] Alexandrinos & cæteros Ægyptios conſolatur, miſſis [e] Baſil. Epiſt. 71.
literis per Eugenium Monachum quēdam ſuum: [f] Euaiſenos item hor- [f] idem Ep. 72.
tatur ad Cōſtantiam, & inter Arrianorum ſacrilegia refert, quod Baſilidis
Paphlagonici [Epiſcopi Catholici] Altaria ſubuertit Euſtathius [Ar-
rianus] cum Paphlagoniam tranſiret, & proprijs menſis Miſſæ munus
perfecit. [Sic enim Interpres optimè reddit verbum ἐλειτούργει, quod eſt
in Græco textu ipſius Baſilij. Eſt autem digniſſima, quæ hoc loco me- XIIII.
moretur, hiſtoria de Vandalis Arrianis in Africa ſub Tranſimundo rege, Euag. lib. 4.
ſucceſſore ſuprà dictorum Genſerici, & Hunerici, quam referunt Pro- cap. 15. Procop.
copius & Euagrius, per eam demonſtrantes, Mauruſios Paganos magis
fuiſſe Chriſtianos quàm erant illi Vandali Arriani:] Cabaones qui Mau-
ruſijs circiter Tripolim accolentibus præfuit, ſimulatque accepit, Van-
dalos contra ſe arma tuliſſe, iſta egit, [inquit Procopius:] Primùm edicit
omnibus qui eius ditioni parebant, vti tum ab omni iniuſtitia, tum à ci-
barijs quæ ad luxum facerent, tum maximè omnium à mulierum con-
ſuetudine ſe abſtinerent. Deinde duo valla conſtruxit, in quorum altero
ipſe vnà cum viris omnibus caſtra locauit: in alterum mulieres concluſit,
minatuſque eſt, ſi quis fortè ad vallum mulierum iret, eum morte mul-
ctatum fore. Poſtea miſſis Carthaginem ſpeculatoribus, imperat iſta, vt
ſimulatque Vandali in expeditione cōſtituti, templum aliquod à chriſtia-
nis cultu & veneratione dignatum, turpiter violare aggrederentur, ipſi
quæ facta eſſent diligenter conſiderarent: & cum Vandali ex eo loco diſ-
cederent, ipſi templum, à quo Vandali abyſſent, contrà quàm feciſſent
Vandali, purgare cohoneſtareque corarentur: eumque dixiſſe fertur, ſe
Deum, quem colebant Chriſtiani, ignorare quidem, eſſe tamen veriſi-
mile, ſi tam potens ſit, quàm prædicatur, & vlturum eos qui ipſum affi-
ciunt contumelia; & qui honore & obſeruantia proſequuntur, eos de-
fenſurum. Speculatores igitur cum veniſſent Carthaginem, dedere
operam, vt bellicum Vandalorum apparatum penitus cognoſcerent. Ac
ſimul vt Vandali Tripolim verſus iter ſuſceperunt, ſpeculatores habitu
vili & abiecto induti, ſequuntur. Vandali autem templa Chriſtiano-
rum, ſicut primo die ſpoliare aggrediuntur, equos aliaque animalia in
ea introducere: nihil denique turpitudinis prætermittunt aut contu-
meliæ, ſed ſuam ipſorum libidinem cœperunt, & intemperantiam exple-
re, ſacerdotes quos prehenderunt, verberibus cædere, lacerare eorum
terga, ex illiſque complures ſibi ſeruire mandarunt. Vt primum verò
inde deceſsêre, ſpeculatores Cabaonis faciunt quod illis fuit imperatum.
Nam ſtatim aggrediuntur templa perpurgare, fimum & ſi quid aliud per

impie-

„ impietatem ingeſtum fuit, diligenter educere, omnes accendere cereos,
„ proſequi magna reuerentia ſacerdotes, & cæteris humanitatis officijs per-
„ fungi non deſtiterunt. Vbi propius ad Tripolim ventum eſt, ſpeculato-
„ res anteuertunt: nunciant Cabaoni, quæ tum Vandali, tum ipſi in Chri-
„ ſtianorum templa preſtitiſſent, & quòd hoſtes eſſent in proximo. Qui-
„ bus auditis, Cabaones parat ſe ad prælium: in quo magna pars Vandalo-
„ rum interijt: multi ab hoſtibus capti, perpauci autem ex eo exercitu do-
„ mum reuerterunt. Atque hæc quidem plaga à Maurufijs Thraſimundo
Soz. lib. 6. cap. 31. inflicta fuit. [Quo eodem in genere eſt apud Sozomenum admodum laudabile humilitatis exemplum Melanis Epiſcopi & Monachi Ægypti,
„ quem Arriani perſecutores offenderunt, tanquam infimum miniſtrum,
„ lampades eccleſiæ parantem: habentemque baltheum, quo pallium cin-
„ gebatur, oleo ſordidatum: in lampades denique lycgnos inſerentem. &c.

XV. Similia hæreticis iſtis, donatiſtis ſcilicet atque Arrianis, deſignarunt etiam Eutychiani hæretici in eadem vrbe Alexandria. nam in motiuo
Euagr. lib. 2. cap. 8. præcedenti ex epiſtola (quæ apud Euagrium eſt) Epiſcoporum Ægypti & Cleri Alexandrini ad Leonem Imperatorem commemoraui, occiſum ab eis Proterium Epiſcopum Catholicum conſultas celebrantem Synaxes, & confugientem ad venerandum Baptiſterium, tanquam ad Aſylum, idque ſolenni die feſto ſalutaris Paſchatis. ſed illi hæretici neque ſanctimoniam loci, neque tempus, neque Sacerdotij dignitatem reueriti
Leo Epiſt. 75. ſunt. Qua de re apud eundem Leonem Auguſtum multa conqueritur Leo Papa Primus & Magnus, eoque magis quòd videbatur Imperator incertus pendere inter duas contrarias ſupplicationes Catholicorum & Eutychianorum. Hortatur igitur Papa Imperatorem, vt ſinat apud ſe præponderare petitionem Catholicorum, & rationes adfert dicens: In
„ vna ergo Catholicorum ſupplicatio cõtinetur, in alia Hæreticorum com-
„ menta panduntur. Hic ſacerdotium Domini & totius Chriſtiani populi,
„ ac monaſteriorum defletur euerſio, ibi immanium ſcelerum continuatio
„ demonſtratur, vt quod non licuit audiri, liceat dilatari. Nónne perſpi-
„ cuum eſt, quibus pietas veſtra ſuccurrere, & quibus debeat obuiare, ne
Matth. 21. Alexandrina Eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationis, ſpelunca nunc
„ ſit latronum? Manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam, inſaniſſimam-
„ que ſæuitiam, omne illic cæleſtium Sacramentorum lumen extinctum.
„ intercepta eſt ſacrificij oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio, & patri-
„ cidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. Nec vllo mo-
„ do ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit, qui poſt nefanda ſacri-
„ legia, poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, & concremati
corpo-

corporis cinerem in contumeliam aëris cœlique diſperſum, audent ſibi
ius perſuaſæ dignitatis expetere, & Apoſtolicæ doctrinæ inuiolabilem fi-
dem ad Concilia prouocare. &c. Si ergo laudabile vobis eſt, aduerſarum
gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab inſaniſſimo Tyranno
Alexandrinam Eccleſiam, in cuius contritione omnium Chriſtianorum
eſt iniuria, liberare?

Nihil porrò meliora his erant ea quæ facta Conſtantinopoli ab hoſti- XVI.
bus S. Chryſoſtomi narrat Sozomenus, quando militibus irruentibus tu- *Soz. lib. 8.*
multus ingens oriebatur circa Baptiſterium &c: Sacerdotibus verò ac Dia- *cap. 21.*
conis vapulantibus, & in ornatu (vt erant) per vim raptis. Cætera enim
quæ in tanta confuſione fuiſſe facta conſentaneum eſt, qui Chriſto dede-
runt nomen, non ignorāt: ego autem neceſſariò tacebo, ne quis fortè pro-
fanus in hanc Hiſtoriam incidat. [Quæ tamen ipſe Chryſoſtomus Inno- *Chryſoſt. E-*
centio Papæ reuelat, licèt nimis horrenda (inquit) audiri.] Nam & San- *piſt. 1. ad Innocent.*
ctuaria ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos miſte- *Tom. 5.*
rijs, & viderunt omnia quæ intus erant. Quin & ſanctiſſimus Chriſti San-
guis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effu-
ſus eſt: fiebantque quaſi in barbarica captiuitate omnia. [eaque] ipſo ma-
gno Sabbato, ad veſperam diei, [ſeu, vt loquitur Sozomenus] finita Qua-
drageſima, in ipſa ſacra nocte qua anniuerſarium Feſtum celebratur ad
memoriam Reſurrectionis Dominicæ.

Ac intentabant quidem Hæretici Catholicis quoque Epiſcopis cri- XVII.
mina ſimilia: vt Arriani Athanaſio in Conciliabulo ſuo apud Tyrum (re- *Soz. lib. 2.*
ferente Sozomeno) quòd Calicem miſticum confregerat, quodq; Solium *cap. 24.*
Epiſcopale deturbarat, & Iſchirionem presbyterum ſæpè & carcerem cō-
cluſerat. Aſclepæ item Catholico Epiſcopo Gazæ, quòd Altare euerterit. *Soz. lib. 5.*
crimina grauia, & (vt ex Catholicorum ſententia iam vidimus) omni *Cap. 7.*
deteſtatione digna: ſed Hæretici deficiebant contra illos ſanctos viros in
probatione: cum ipſi interim eorundem criminum & rei & notorij eſſent.
In quibus, præter Hæreticos, Iulianus quoq; Apoſtata notabilis fuit. Nam
præter immunitates & cōgiaria adempta Clero, Virginibus, & Viduis, quæ
donauerat eis Conſtantinus, cuius rei mentionem ſuprà feci] odium ſuum, *Soz. lib. 5.*
[inquit Sozomenus] aduerſus Chriſtianā religionem conceptum, nō his *cap. 5.*
rebus exſaturauit: ſed flamma iræ contra fidem incenſus, nullum perditi
conatus genus prætermiſit, quo Eccleſiā Dei euerteret. Nam pecuniam,
monimenta, vaſa ſacra ex ea abſtulit: delubra, regnāte Conſtātino, & filio
etiam Conſtātio diruta, eos qui ea demoliti fuerāt, aut denuò ædificare, aut
pecuniæ ſummā quæ ad illud præſtādū ſatis æſtimaretur, perſoluere coëgit.

» Atque non modò qui neutram harum rerum præſtare poterant, verum
» etiam Sacerdotes, clerici, & alij multi Chriſtiani, dum de pecunijs quæ
» ſacræ erant, & eccleſiarum propriæ, inquiſitio fieret, grauiter torque-
» bantur, & in carceres etiam conijciebantur. [His conueniunt, quæ de
Theod. lib. 3. cap. 11. hoc Apoſtata narrat etiam Theodoretus, dicens:] Tyrannus item ſacra
» vaſa in ærarium regium inferri: & portas eccleſiæ, quam Conſtantinus
» ædificarat, obſerari mandat, quò nullus aditus illis qui in eo conuentus
» agere ſolerent, omnino pateret. Hanc eccleſiam id temporis occupabant
» Arriani. In ſacroſanctum autem templum ad vaſa ſacra auferenda ſimul
» ingrediuntur, Iulianus præfectus Orientis [erat is auunculus Apoſtatæ]
» Felix regij theſauri quæſtor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum
» Imperatoris procurator, quem Romani Comitem priuatum appellare
» conſueuerunt. Felicem verò & Elpidium, cum eſſent Chriſtiani, quò
» impio imperatori gratificarentur, à vera religione ac pietate deſciuiſſe
» ferunt. Iulianus autem cum eſſet in templo, aduerſus ſacram menſam
» minxiſſe dicitur: Atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum in-
» fregiſſe, dixiſſeque, res chriſtianorum Diuina cura ac prouidentia pror-
» ſus deſtitutas eſſe. Felix Sacrorum vaſorum magnificentiam conſpicatus
» (Conſtantinus enim & Conſtantius ſplendide & ample ea conficienda
» curauerant) Ecce, inquit, quàm ſumptuoſis vaſis Filio Mariæ miniſtre-
Cap. 12. tur. [Verum euentus aliter rem habere docuit eos, addente Theodo-
» reto, & dicēte:] Sed iſti tyranni pro his impijs & inſanis facinoribus non
» diu poſt pœnas perſoluerunt. Nam Iulianus confeſtim in grauem mor-
» bum delapſus, viſceribus putredine exeſis, interijt. atque ſtercus non
» amplius per partes illas corporis, per quas naturaliter egeri ſolet, emiſit:
» ſed ſceleratum eius os, inſtrumentum blaſphemiæ, partis illius ad ſtercus
» eijciendum natæ locum obtinuit. &c. & ipſe extemplo migrauit è vita.
» Felix autem derepente flagello etiam cælitus impacto oppreſſus, ſangui-
» nem dies noctesque ex ore fudit: quippe ſanguis ex omnibus vndique
» corporis (vt ita dicam) vaſis, quibus continebantur, ad eam partem con-
» fluxit. Itaque vniuerſo eius ſanguine ad hunc modum exhauſto, ſtatim
» extinctus eſt, & æternæ morti traditus. [Has quidem pœnas iſti pro ſua
impietate dederunt.

XVIII. Sacra porrò Eccleſiæ vaſa, per illa primitiua tempora, tam multa & tam ſumptuoſa fuerunt, vtpote in miniſterium rei ſanctiſſimæ, corporis & ſanguinis ipſius Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti (quem infelix ille per contemptum vocauit Mariæ Filium) comparata, vt narrent Hiſtoriæ, ea ſuffeciſſe ad multa ſæpe millia captiuorum redimenda, ſeu pauperum

alenda,

alenda, ſeu alia quædam pietatis opera magnificè exercenda. Hinc eſt illa narratio Socratis: Acacius Amidæ Epiſcopus, ob facinus quoddam præclarum, per id tempus ab ipſo geſtum, vehementer ab omnibus celebratus fuit. Cum Romani milites illos Perſas quos captiuos ceperant, nullo modo Regi Perſarum reddere in animum inducerent: captiui qui erant numero circiter ſeptem millia (quæ res animum regis Perſarum non parum diuexauit) fame propemodum abſumpti ſunt. Acacius igitur hanc militum miſeriam minimè neglexit: ſed conuocatis ſuis clericis, ſic eos alloquitur: Deus noſter neque lancibus neque poculis eget. Nam nec comedit, nec bibit, quippe qui his rebus minimè opus habeat. Quare cum eccleſia multa monumenta aurea argenteáque ex propenſa fidelium in eam benignitate poſſideat: conſentaneum eſt, hiſce rebus milites captiuos & è cuſtodia liberare, & fame propè enectos reficere, ſuſtentareque. Vbi hæc aliáque id genus oratione percurrerat, monumenta eccleſiæ conflanda curauit, vendidit, pretiáque partim militibus pro captiuis redimendis dedit, partim ad eorum famem ſubleuandam impendit. poſtremò viatico illis ſuppeditato, ad ſuum ipſorum regem remiſit. cui hæc res tantam fecit mirationem, vt tum ipſe magno deſiderio Acacij videndi flagrarit, tum Theodoſius Imperator Acacio præceperit, vti regis deſiderio ſatisfaceret. [Æquè glorioſum in hoc genere fuit facinus illius Deo gratias, quem, ſupplicante Valentiniano Auguſto, permiſit Genſericus rex Arrianus Carthaginenſi eccleſiæ catholicæ poſt longum ſilentium deſolationis, Epiſcopum ordinari. Nam [vt ſcribit Victor Vticenſis] factum eſt tunc, peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobiliſſimam atque famoſam xv. regni ſui anno præfatus Genſericus caperet Romam. & ſimul exinde Regum multorum diuitias cum populis captiuauit. Quæ dum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus Wandalis & Mauris ingentem populi quantitatem (vt moris eſt Barbaris) mariti ab vxoribus, liberi à parentibus ſeparabantur. Statim ſategit vir Deo plenus & charus, vniuerſa vaſa miniſterij aurea vel argentea diſtrahere, & libertatem de ſeruitute Barbarica liberare, vt & coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderent. [Propter quod opus magnificum, & alia multa ſimilia, liuore Arriani ſuccenſi, hunc quidem Epiſcopum dolis quamplurimis voluere ſæpius enecare. in alio autem Epiſcopo Catholico, ſancto illo & ter magno Ambroſio, ijſdem Arrianis opus tale diſplicuit. Sed eleganter & pulchrè ſe defendit Ambroſius, dicens: Nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis diſplicere poterat,

Soc. lib. 7. cap. 21.

Victor. de perſ. Vvand. lib. 1. fol. 5. b.

Ambr. off. lib. 2. cap. 28.

„ nec tam factum diſplicere, quàm vt eſſet quod in nobis reprehenderent. [Qui reſpondet inter cætera, & dicit: Verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ „ redimunt animas à morte. Ornatus Sacramentorum, redemptio captiuo- „ rum eſt. Ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur quod Sanguis eius „ operatus eſt. Tunc vas Dominici Sanguinis agnoſco, cum in vtroque „ videro redemptionem, vt Calix ab hoſte redimat, quos Sanguis à peccato „ redemit. &c. agnoſco infuſum auro ſanguinem Chriſti, non ſolùm ir- „ rutilaſſe, verumetiam diuinæ operationis impreſſiſſe virtutem, redemptio- nis munere. [ibique adfert in defenſionem facti ſui, exemplum illius cele- berrimi Diaconi & glorioſiſſimi martyris S. Laurentij:] Tale aurum [in- „ quit] ſanctus martyr Laurentius Domino reſeruauit: A quo cum quære- „ rentur Theſauri Eccleſiæ [in Perſecutione Deciana, longo ante Conſtan- „ tinum tempore] promiſit demonſtraturũ ſe. Sequẽti die, pauperes duxit, [ſeu vt ait S. Leo] numeroſiſſimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in „ quorum victu atque veſtitu, inamiſſibiles condiderat facultates. [Itaque] „ interrogatus, [inquit Ambroſius] vbi eſſent Theſauri quos promiſerat, „ oſtendit pauperes, dicens: Hi ſunt Theſauri Eccleſiæ. [Simile exemplum erat S. Cyrilli Hieroſolymitani epiſcopi, ad quem vtpote epiſcopum [vt narrat Sozomenus] cùm fames agrum Hieroſolymitanum occuparet mul- „ titudo rebus ad victũ neceſſarijs deſtituta, opis implorandæ causâ confugit. „ Quare is, cùm illi pecuniæ ad eam famem ſubleuandam non ſuppeterent, „ Theſaurum Eccleſiæ & ſacra aulæa vendidit. [Quæ ex re, ſicut ſuprà Am- broſius dixit, inuidiam ſibi ab Arrianis conflatam, ita & aduerſus Cyrillum (vt ait Theodoretus) Açacius hæreticus epiſcopus Cæſareæ Paleſtinæ, bi- lem Conſtãtio Imperatori Arriano cõmôuit.] Nam aiebat, ſacrã ſtolam, ex „ aureis filis contextam, quàm excellentiſſimus Imperator Conſtãtinus ad „ Eccleſiam Hieroſolymitanã cohoneſtandã Machario illius vrbis epiſcopo „ donauerat, vt ea amictus ſacroſancti Baptiſmatis miniſteriũ obiret, Cyrillũ „ vendidiſſe: hancque mercatum eſſe quendam eorum qui in pulpito Scenæ „ cantare ſolent, eam induiſſe, inter ſaltandum lapſum eſſe, & caſu obtritum interijſſe. [Quod igitur in Anglia noſtra & in alijs Hæreticorũ locis The- ſauri & ſacra vaſa veſteſq; eccleſiarum non ſunt, fortaſſe eò accidit, quòd in redẽptionem captiuorũ, vel in ſubleuationẽ pauperũ, vrgente neceſſitate quapiam, miſericorditer ſunt impenſa: habentque hæretici, vt ſe excuſent verbis Ambroſij, obijcientis quaſi ex aliena perſona S. Laurentio: Non de- „ buiſti erogare Theſauros eccleſiæ, vaſa Sacramentorum vendere. [Et reſ- pondẽtis pro hæc verba plena pietatis & prudentiæ: Opus eſt, vt quis fide „ ſyncera & perſpicaci prouidentia munus hoc impleat. Sanè ſi in ſua aliquis deriuat

Leo Serm. de S. Lauren.

Soz. lib. 4. cap. 26.

Theod. lib. 2. cap. 27.

deriuat emolumenta, crimen eſt: Sin verò pauperibus erogat, captiuum re- «
dimit, miſericordia eſt. nemo enim poteſt dicere, cur pauper viuit? nemo «
poteſt queri, quia captiui redēpti ſunt. nemo poteſt accuſare, quia Tēplum «
Dei ædificatum eſt. nemo poteſt indignari, quia humādis Fideliū reliquijs «
ſpacia laxata ſunt. nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorū, Re- «
quies defunctorum eſt. In ijs tribus generibus, vaſa eccleſiæ etiam initiata «
confringere, conflare, vendere licèt. Opus eſt vt eccleſia myſtici poculi «
forma nō exeat, ne ad vſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur. «
Ideò intra eccleſiam primùm quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent: «
deinde comminuta, poſtremò conflata, per minutas erogationes diſpen- «
ſata egentibus, captiuorum quoque precijs profecerunt. Quod ſi deſunt «
noua, & quæ nequaquam initiata videātur: in huiuſmodi vſus quos ſuprà «
diximus, arbitror omnia poſſe piè conuerti.

An igitur in hos vſus conuerterunt Proteſtantes vaſa eccleſiarum? imò, an totum tertium vſum nō oderunt hoſtiliter, ſcilicet ædificationem templorum, reliquias fidelium, requiem defunctorum, id eſt Sacrificium pro eorum requie? an ſaltem deſcrimen vllum inter vaſa initiata, id eſt conſecrata, & non initiata habuerunt? an curauerunt, vt de eccleſia, miſtica pocula vel ſacri calices in ſua forma non exirent, vt ad vſus nefarios non transferrentur? Poſtremò an non omnia palàm, in ſua emolumenta deriuarunt, nullam penitus aliam habentes curam eorum, quàm Iulianus Apoſtata de quo loquimur, & quem iam oſtendimus, nulli in hoc genere ſacrilegio pepercisse? Quem etiam aliàs demonſtraui eadem reueren- XIX.
tia vſum eſſe erga ſacras Reliquias S. Ioannis Baptiſtæ, & aliorum marty- Moti. 20.
rum, item erga Imaginem Saluatoris noſtri Chriſti apud Paneadem ab num. 15. Moti. 18.
Hæmorrhoiſſa euangelica conſtitutam.

Ex quibus omnibus vident Heretici parentes ſuos, & ſe impleuiſſe menſuram eorum, addo equidem & multo ſuperauiſſe. In quo, nemo qui rem diligenter cōſiderat, à me diſſentiet. Nam veteres illi Hæretici, Donatiſtæ, Arriani, Eutychiani, licèt res iſtas ſacroſanctas ſacrilegè profanauerint, non tamen id fecerunt ipſarum rerum odio, ſed Catholicorū tantummodò. Nec Iulianus ipſe apoſtata peculiari vllo odio res iſtas ſacras proſecutus eſt, ſed tantum religionem Chriſtianam in genere. At verò Proteſtantes noua quadam ſingulari, & peculiari in ipſas Reliquias, Imagines, vaſa, veſtes, & cætera eccleſiaſtica ornamenta, hoſtilitate feruntur: ita vt proprio iſto modo ſuo non ſolum impleuerint, verumetiam (vt dixi) excesserint menſuram patrum ſuorum: magis in hoc quam vlli vnquam alij, propinquos ſe facientes AntiChriſto ipſi, de cuius temporibus

Hipp. de cõſum. mundi. hæc ſcribit ætate Originis S. Hippolytus martyr in libro de Antichriſto & fine mundi circa verba Danielis, quem & S. Hieronymus citat : „ Populi Sacerdotibus immorigeri erunt : Templa Diuina domorum inſtar erunt : Locis omnibus euerſiones fient Eccleſiarum. [item poſt:] Lugebunt Eccleſiæ luctum magnum : quia nec Oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes Sacræ tugurij inſtar erunt : pretioſumque Corpus & Sanguis Chriſti non extabit in diebus illis : Liturgia [quam Latini eodem tempore, vt ſemper, Miſſam vocabant] extinguetur : Pſalmorum decantatio ceſſabit : Scripturarum recitatio non audietur. *Hier. in Dan. 9. & in Catal.*

Hæc igitur de antiquis vaſtatoribus eccleſiarum dicta ſint : Ex quibus licèt apertiſſimè conſtiterit id quod affirmaui, templa illa primitiua fuiſſe religionis noſtræ, idque tam perſpicuè, vt legentes ruinas ſacrilegas tunc per hoſtes Chriſti in eccleſijs editas, fateremur nos legere quaſi hiſtoriam vaſtationum huius noſtri temporis Hæreticorum: tamen, vt clarius adhuc eluceſcat, relictis vaſtatoribus, iam de templis illis per

XX. ſe aliquid audiamus. Et primùm quidem repetatur memoria ex Motiuo 12. id quod narrauit S. Auguſtinus de Memoria S. Stephani antiquiſſima, vtpote ipſo tempore martyrij eius, inſtituta apud Anconam ciuitatem Italiæ, idque ex reuelatione diuina, in honorem vnius ſacri lapidis, quem ex protomartyris cubito (cubitum autem græcè ancon dicitur) reſultantem, religioſus quidam Chriſtianus nactus ſeruauit, & Hieroſolymis, vbi lapidatus eſt Stephanus, in Italiam ſecum tulit. Eiuſdem generis eſt, quod à ſe factum narrat idem Auguſtinus pater ſanctiſſimus, & vir prudentiſſimus, nihilque hac in re faciens alienum ab omnibus per totum orbem Chriſtianum populis & epiſcopis. Erat autem factum huiuſmodi : Heſperius vir nobilis acceperat ab amico ſuo Terram Sanctam, de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit : eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo (cum ex afflictione animalium & ſeruorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet) ne quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione , per oblatum ibi ſacrificium Corporis Chriſti [a quodam presbytero Auguſtini] purgata eſt : quid de illa terra fieret, cogitabat : quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Forte accidit [inquit Auguſtinus] vt ego, & collega tunc meus epiſcopus Synicenſis eccleſiæ Maximinus, in proximo eſſemus : vt veniremus, rogauit, & venimus. Cumque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi Orationum Locus fieret,

Aug. ſer. 38 Motiu. 12.

Auguſt. de Ciu. Dei, li. 22. cap. 8.

vbi etiam poſſent Chriſtiani, ad celebranda quæ Dei ſunt, congregari. non reſtitimus, factum eſt. [Et vide diuinum miraculum:] Erat ibi iuuenis paralyticus ruſticanus [inquit idem] qui hoc audito, petiuit à parentibus ſuis, vt illum ad eum Locum Sanctum, non cunctanter afferrent. Quò cum fuiſſet allatus, orauit: atque inde continuò pedibus ſuis ſaluus abceſſit. [Hæc Auguſtinus miracula paganis commemorat, vt per ea perſuaderet eis religionem Chriſtianam, quemadmodum & per alia multa miracula in eodem loco, quæ ferè omnia facta ſunt in templis per Reliquias S. Stephani & aliorum martyrum, ſicut lector ex ipſo loco, ſi eum voluerit legere, cognoſcet.

Nec ſolùm tempore Auguſtini fuerunt ſanctæ Reliquiæ & religioſus earum cultus in Templis, verumetiam toto intermedio tempore ab ipſo protomartyre Stephano (vt admonui) ad tempus Auguſtini, & præterea in hodiernum vſque diem. nec Reliquiæ ſolùm, verumetiam quicquid aliud in templis noſtris hodie diſplicet Proteſtantibus. Quæ omnia clariſſimè demonſtraui in ſuperioribus, oſtendens, templa quæ perſequutores ante Conſtantinum magnum diruerunt, & Chriſtiani deinceps inſtaurarunt, & Dei, & populi Dei, & noſtra fuiſſe. Amplius adhuc clareſcet illud ex noſtro Beda, qui referens perſecutionem Diocletiani in Britannia noſtra, ſicut & in toto orbe, hæc deinde ſcribit: At vbi turbo Perſecutionis quieuit, progreſſi in publicum fideles Chriſti, qui ſe tempore diſcriminis, ſyluis ac deſertis abditiſue ſpeluncis occultauerant, renouant eccleſias ad ſolum vſque deſtructas, Baſilicas Sanctorum martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſſim propalant: dies feſtos celebrant, Sacra mundo corde atque ore conficiunt. [Atque idem tunc in reliquo etiam orbe Chriſtiano factum eſſe, Euſebius narrat, dicens: Deinceps celebre ſpectaculum, nobis omnibus optabile & vehementer deſideratum, ante omnium oculos proponebatur: Dedicationum ſcilicet feſtiuitates per vrbes ſingulas, templorum nuper exædificatorum conſecrationes, frequentes epiſcoporum in vnum conuentus, peregrinorum longe ab exteris regionibus accedentium concurſus, &c. accurata Sacrorum miſteriorum adminiſtratio: decori eccleſiæ ritus &c. erant item arcana Paſſionis Seruatoris Symbola, [id eſt, ſacroſanctæ cruces & alia (vt videtur) inſtrumenta paſſionis Dominicæ. ac ſtatim ſubijcit Sermonem a quodam familiari ſuo habitum in dedicatione templi quod Tyri ædificauerat Paulinus epiſcopus. in quo Sermone leges, ſi placet, deſcriptionem illius templi Tyrij, cum elegantiſſima etiam expoſitione myſtica (quod Rationale Diuinorum vocamus) ſingula-

XXI.

Bed. Hiſt. Ang. lib. 1. cap. 8.

Euſ. lib. 10. hiſt. cap. 3.

Apud Euſ. ibid cap. 4. ſingularum templi partium. Egregia autem huius templi [inquit ille] ornamenta monumentáque, quæ ſunt tam auguſta reuera, tam magni-
„ fica, tanta admiratione digna, & velut illuſtres imagines, regnum ſerua-
„ toris ob oculos noſtros ſtatuentes, &c: accuratè conſiderare & quid ſin-
„ gula eorum ſignificent diſquirere, proprio quodam ocio & ſeparato ege-
ret. [Deinde, miſterium ſubiungit Sancti ſanctorum ſeu Sacrarij, quod
Vide Gent. Heruet. praf. ad Nic. Cabaſ. vulgo non licebat aſpicere, & Summi Pontificis. Tum ſequuntur ecclesiæ murus, veſtibulum, ſpacium à veſtibulo ad Sanctuarium, quod vocamus chorum, cancelli eiuſdem Sanctuarij, id eſt clauſtra à Laicorum loco, item fontes, portæ cum oſtiarijs, porticus, feneſtræ. & quod in Sanctuario maior ſplendor, Sellæ in ſublimi, & Subſellia, Altare in medio, Cancelli arcentes plebem, ſolum ſtratum marmore: in exteriori
„ autem Sanctuario, exedræ & ædiculæ eorum cauſâ qui purgatione &
„ aſperſione per aquam & Spiritum Sanctum egerent, qui erant Catechu-
meni. Quorum ſingulorum allegorias reddit pulcherrimas, dicens inter
„ cætera: Auguſtum porrò, ingens, & vnum Altare, quid aliud ſignificat,
„ quàm purum Sanctum Sanctorum animi &c?

XXII. Facta ſunt autem hæc, temporibus Conſtantini, ita vt ex his apertum ſit, qualia fuerint ipſius Conſtantini templa. quod tamen vt magis
Soz. lib. 2. cap. 25. euidens fiat, templa eius per ſe ipſa conſideremus. Scribit igitur Sozomenus, quòd Epiſcopi plurimi à Tyro mandato Conſtantini Hieroſolymam profecti circiter 30. annum imperij eius ad Templum Sepulchri Dominici, quod Magnum vocabatur, in Caluariæ loco dedicandum,
„ non Templum ſolum, verumetiam Theſauros & monumenta ab Impe-
„ ratore illuc miſſa conſecrant: quæ ad hoc tempus, [inquit Sozomenus]
„ in eo templo manent repoſita, multumque admirationis propter ſuam
„ magnificentiam & amplitudinem ſpectatoribus excitant. Ex quo tem-
„ pore eccleſia Hieroſolymitana quotannis diem feſtum ſplendidè admo-
„ dum celebrat: adeò vt in eo initiationes ſacrorum peragantur, & dies
„ octo deinceps conuentus fiant: complureſque ex omnibus totius orbis
„ terræ partibus qui vndique ad Sacra loca viſenda confluerent, tempore
Soc. lib. 1. cap. 13. quo hic dies feſtus celebrabatur, eò conuenirent. [In eodem autem templo, reliquit S. Helena mater Conſtantini, vt ſcribit Socrates, vnam
„ Crucis partem in theca argentea occluſam, pro monumento ijs qui
Euſ. de vita Conſt. lib. 4. c. 40. ad 48. illius ſpectandæ cupiditate ducerentur. De quo ipſo templo, multa ſcripſit Euſebius etiam contemporaneus Conſtantini, dicens, eum mandaſſe epiſcopis illis in Synodo Tyri collectis ex omni Ægypto, Africa, Aſia, Europa, vt Hieroſolymam ſe conferrent, & prædictum templum conſe-

conſecrarent. Horum quoſdam ſcribit Imperatorem orationibus prædi-
caſſe, alios ſacram ædem, alios conciones habuiſſe, alios ſcripturas in-
terpretatos eſſe. alij, inquit, qui horum nihil poterant efficere, incruen-
tis ſacrificijs & myſticis conſecrationibus [id eſt, celebrationibus miſ-
ſarum] Diuinum numen placabant, & ſupplices deo preces pro com
muni pace, pro eccleſia Dei, ipſoque Imperatore, proque eius liberis of-
ferebant. quo etiam in loco noſmet ipſi [inquit Euſebius] publicis,
eiſque ſanè varijs orationibus celebritatem illam exornabamus. [Et,]hoc
modo, [inquit,] Huius Templi dedicationis conſecrationiſque celebri-
tas, ipſo triceſimo Imperatorij regni anno, ſummo omnium gaudio ac
lætitia conſummata fuit. [ſcribit autem [a] ſuprà, Ethnicos poſuiſſe an- a Euſ. ib.
tiquitus in eodem ſanctiſſimo loco fanum idóli veneris & ingentem lib. 3. cap.
aggerem, ad obruendam Chriſti Domini, eiuſque ter venerandi ſe- 24. 25. ad 40. & lib.
pulchri memoriam (qua de re plura nos alias diximus:) Conſtanti- 4. cap. 47. Moti. 1 b.
num autem repurgaſſe locum illa ſuperſtitione, & templum prædi-
ctum extruxiſſe, magnificè ac ſplendidè, mandans,] vt non modò
Sanctuarium Templi reliquis omnibus quæ vbique ſunt, [ſic enim ver-
batim ſcripſit ipſe Conſtantinus ad Macarium Epiſcopum Hieroſoly-
morum] pulchritudine antecellat, ſed etiam cæteræ eius partes tales
ſint, vt omnia templa quæ in ſingulis ciuitatibus primas tenent, huius
ædificij dignitate longè ſuperentur. [Et,] columnis marmoreis atque
omnibus ornamentis illuſtraretur: [neque vllis ſumptibus parceretur,
ita vt] tecta exteriùs obtegerentur plumbo, interiùs verò, cælatis af-
fabrè laquearibus, & fulgente auro paſſim cooperirentur. [Denique
addit Euſebius, & dicit;] [b] Iſtud verò templum quo tanquam teſti- b cap. 39.
monio ſalutaris Domini reſurrectio, illuſtris & nota fiebat, Impera-
tor totum magnifico & regali ornatu decorauit: ac inſignibus quæ ora-
tione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum
pretioſorum materie diſtinctis, & quaſi depictis, quæ erant numero ferè
infinita, adornauit. [Eiuſdem Templi mētionem etiam faciunt [a] Socra- a Soc lib. 1.
tes, & Theodoretus, & conſecrationis eius, atque dedicationis.] Porrò ſa- cap 22.
croſanctū Altare, [inquit Theodoretus] aulæis planè regalibus & monu- Theod. lib. 1. cap. 31.
mentis lapidibus pretioſis auroq; colluſtratis adornabatur. [De multis alijs b Euſeb. in
Conſtantini & Helenæ eccleſijs nominatim & expreſsè ſcribit Euſebius vita lib 3. c. 40. ad 45.
cum alijs: vt de tēplo [b] præſepis in loco natiuitatis Domini, vbi Ethnici c ibid c. 49
priùs conſtituerant Idôlum Adonidis: & de alio templo in loco Aſcēſionis. Soc. lib. 2. cap. 5. 32.
itē de [c] tēplis eius in Nicomedia, Antiochia, & in alijs ciuitatibus de [d] tē- & 33.
plo etiā ad Quercū Mābræ extructo, deletis ibi ſimiliter Idólis Ethnicorū: d Euſ ibid. c. 50. 51.

e *Euſ. ibid. cap. 56.* inſuper de [e] alio templo ad Heliopolim, cum epiſcopo Deo conſecrato,
Presbyteris, & Diaconis. Denique paſſim agens Euſebius de Conſtan-
f Euſeb. de vita Conſt. lib. 1. c. 3. & orat. de laud. conſt. pag. 366. 385. tini templis in genere, ſcribit huiuſmodi:] [f] Eccleſijs copioſa ſuppedita-
uit ſubſidia, templa in ſublimi erecta exædificataque adauxit, plurimis
monumentis auguſta eccleſiæ ſacraria illuſtrauit. [item,] [g] eccleſias Dei
incredibile eſt & ſupra omnem opinionem, quot ornamentis locuple-
Soz. lib. 1. cap. 9. tauerit: Cùm alijs agros, alijs annonam, ad pauperes orphanos miſeraſ-
g Euſeb. de vita lib. 4. cap. 29. que mulieres, tuendas & alendas, donaret. [item,] [h] trophæa victoriæ
contra mortem partæ [id eſt ſigna crucis] in eccleſijs & templis Deo
h Euſeb. de laud. Conſt. pag. 308. 388. conſecratis erecta. [item, [i] donat pecunias & immunitates clericis ec-
cleſiæ catholicæ Carthaginenſis in Africa, cui Cæcilianus præfuit:] vt
nullo modo, [inquit ipſe] à cultu diuinæ maieſtati debito abſtrahantur &c.
i Euſ. hiſt. lib. 10. cap. 67. qui quidem cum ſacrum numen ſummo honore & veneratione proſe-
„ quantur, incredibile eſt quantum reipublicæ adiumenti videantur alla-
turi. [Tantum autem erat huius Chriſtianiſſimi Imperatoris ſtudium
erga Templa, vt cum in bello verſandum ei eſſet, vbi templa non erant,
a Euſeb. in vita lib. 4. cap. 55. & lib. 2 c. 12 comparauerit ſibi [a] Tabernaculum portatile (vt ſcribit idem Euſebius)
inſtar eccleſiæ, in quo extra caſtra oraret, ſicut Moyſes. quod etiam [b] So-
zomenus ſcribit paratum ab eo eſſe ad precandum & percipiendum ſa-
b Soz. lib. 1. cap. 8. cra miſteria. nam Sacerdotes & Diaconi [inquit] qui ſecundum Eccleſiæ
„ inſtitutum iſta munera obirent, Tabernaculum aſſiduè ſequuti ſunt.
„ [Vbi addit Sozomenus hæc:] Ex eo tempore militares Romanorum or-
„ dines, qui iam vocantur Numeri, ſinguli ſibi Tabernaculum ſeparatum
„ conſtruxerunt, habueruntque ſecum Sacerdotes & Diaconos ad Rem
c Euſeb. in vita lib. 2. cap. 12. diuinam faciendam deſignatos. [teſtatur autem [c] Euſebius, Taberna-
culum illud Crucis fuiſſe. cui ſalutari Signo quantum deditus fuerit
XXIII. Conſtantinus, & nos aliàs copioſè demonſtrauimus, & hoc apertè de-
Motiuum 25. clarat, quod idem Euſebius in [d] laudem eius ſcribit dicens: Ieroſoly-
d. Euſ. orat. in laud. Conſt. pag. 367. mis, non modò eccleſiam ampliſſimam, quæ ad memoriam ſalutaris
Chriſti Paſſionis ædificata fuit, verumetiam Templum ſanctum Salutari
Signo Crucis dedicatum, magnificis & ſumptuoſis inſignibus decora-
uit. &c. [& hinc eſt quod omnes teſtantur, in templis ab eo ædificatis,
ſanctas Cruces fuiſſe conſtitutas. vt in templo quodam quod ædificauit
Soz. lib. 2. cap. 2. Conſtantinopoli in loco quem Ethnici ἑςίαν, id eſt veſtæ ſacrum,
chriſtiani autem deinceps Michaëlium nominarunt, quia pro certo
„ creditum eſt, diuum Michaëlem Archangelum ibi apparuiſſe, vbi factum
eſſe inter alia multa miraculum huiuſmodi ſcribit Sozomenus,] Probia-
„ num, vnum ex ſatellitibus, qui Imperatorem in palatio ſtipabant, cum
dolore

dolore pedum grauiter affligaretur, in eo loco etiam cruciatu leuatum, «
& admirabili quadam ac diuina viſione dignatum fuiſſe. Nam iſte cum «
initio gentilis eſſet, poſteà tamen factus Chriſtianus: quanquam omnia «
alia religionis noſtræ inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen crucem «
ſalutis omnium cauſam extitiſſe neutiquam admittere voluit. Cui ſic «
animo affecto, viſio diuinitus oblata, quandam crucis effigiem, quæ in «
altari illius eccleſiæ ſtatui ſolet, ante oculos propoſuit: declarauitque «
manifeſtò, res, quæcunque à tempore quo Chriſtus in crucem actus erat, «
vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, «
ſeu à diuinis Angelis ſeu à pijs & perfectis hominibus geſtæ «
fuerunt, non ſine virtute crucis ſalutaris rectè geſtas eſſe. [nec ſolum «
erga Crucem Domini, verumetiam erga reliquias martyrum deuotum XXIIII.
& religioſum oſtendit affectum: ita vt in Edicto quodam proteſtatus
ſit (teſte Sozomeno) ſe conſtitutum à Deo in Imperio, quò tum Chri- *Soz. lib. 1. cap. 8.*
ſtiana augeretur religio, tum nominatim Confeſſores & martyres (qui
ante ipſum in decem perſequutionibus fuerant innumerabiles) illuſtrioribus
honoris inſignibus ornarentur. Quamobrem in alio Edicto (apud *Euſ. in vita*
Euſebium) mandans loca ſacra reſtitui Chriſtianis, & Eccleſias extrui *lib. 2. c. 40. 44. 45.*
procuratione magiſtratuum, inter cætera ſic loquitur:] Quin etiam
loca illa quæ martyrum corporibus honorata ſunt, & monumenta glo- «
rioſæ illorum è vita diſceſſionis, quis dubitet quin ad eccleſias ſpectent? «
&c. [vbi titulus Capitis eſt, De Sacellis & Cœmeterijs Eccleſijs reſti- «
tuendis. Ædificat ob idem ſtudium ſuum, a Templum duodecim *a Euſeb. in*
Apoſtolorum Conſtantinopoli, auro, argento, ære, & rebus omnibus *vita lib. 4. cap. 58. 71.*
ſumptuoſum, ob eam ipſam cauſam [inquit Socrates] ne Imperatores & *Soc. lib. 1. c.*
Sacerdotes Apoſtolorum Reliquijs aliquando deſtituerentur. [vbi & ipſe *14. 26.*
ſepeliri voluit, ſic enim ſcribit Euſebius] vt defunctus quoque precationum,
quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, parti- «
ceps efficeretur. [vnde inferius in deſcriptione mortis & ſepulturæ eius
iterum ait:] Tumulus eius Apoſtolici nominis appellatione decoratur: «
diuiniſque ceremonijs, & miſtico Sacrificio ſanctarumque precationum «
ſocietate perfruitur. [Inſigne autem teſtimonium huius rei eſt, quod his
verbis Euſebij coram ipſo Conſtantino orationem habentis continetur:] *Euſeb. de*
Atque vt alij virtute & inſtinctu ſacri ſpiritus illuminati, res verè diui- *laud. Conſt. p. 369.*
nas intelligunt agnoſcuntque teque iure propterea & admirantur, & bea- «
tum prædicant, quòd mens tua & appetitio ad has res gerendas diuinitus «
incitata fuit: ſic nonnulli qui ſunt rerum diuinarum penitus ignari, inſti- «
tutum tuum pro inſcitia, ludibrio, & cachinno ducunt, quippe indeco- «

„ rum,& minime omnino conſentaneum putant, vt tam potens Imperator
„ ſuum ſtudium & operam ad monumenta ac ſepulcra corporum mortuo-
„ rum conſtruenda conferat. [Primi iſtorum fuerunt Chriſtiani, alteri autem Pagani, quibus Euſebius ibi pro Conſtantino reſpondet. non enim mirum eſt, ſi Conſtantini Imperatoris Chriſtianiſſimi facta Paganis non placuerint. placuit eis magis Iulianus Apoſtata, qui (vt narrat Sozomenus) quoad religionem Chriſtianam ſimulauit, & ipſe ad vrbem Gazæ extruxit Eccleſiam, & Altare in ea erexit, Reliquiaſque martyrum ibi repoſuit. Contra autem cum apoſtataſſet, Eccleſias martyrum fundamentis diſturbatis ſolo æquari iuſſit, timens ſcilicet Idolis ſuis, ſi martyres Chriſti in eorum vicinia colerentur: que de re plura dixi aliàs. Qui autem accuratius ſcire volet templa Conſtantini, & cætera eiuſdem temporis, Deo ipſi (vt ſuprà oſtendi ex Prophetis) probatiſſima, atque gratiſſima, cuius religionis fuerint, noſtræne an Proteſtantium, licèt poſt hæc quæ diximus, dubitare non poſſit, tamen legat Venerabilem Bedam & alios qui ſcripſerunt de locis illis ſanctis Ieroſolymitanis, & de Templis iſtis ibi per Conſtantinum & Helenam ædificatis. vel in Hiſtoria eccleſiaſtica eiuſdem Bedæ obſeruet pauca illa excerpta per eundem ex libro Adamanni Abbatis dictato ab Arculfo Galliarum Epiſcopo,]

Soz. lib. 5. cap. 8. 19.

Moti. 16.

Bed. Hiſt. Ang. lib. 5. cap. 16. 17. 26.

„ qui locorum gratia ſanctorum iuerat Ieroſolymam, & luſtrata omni
„ terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolin, Ale-
„ xandriam, multaſque maris Inſulas adierat. [Ibi enim inueniet, in loco Dominicæ natiuitatis apud Bethleem, Sanctæ Mariæ grandem
„ fuiſſe Eccleſiam. item, eccleſiam Conſtantinianam, quæ martyrium
„ appellatur, in loco Paſſionis & Reſurrectionis, conſtructam eſſe ma-
„ gnifico & regio cultu à Conſtantino Imperatore, eò quod ibi Crux
„ Domini ab Helena eius matre reperta ſit: ſcilicet à ſeptentrionali par-
„ te vrbis Ieruſalem.] Dehinc ab occaſu [inquit] Golgothana videtur
„ eccleſia, in qua etiam rupis illa apparet, quæ quondam ipſum infixo
„ Domini corpore Crucem Domini tulit, argenteam modò pergran-
„ dem ſuſtinens Crucem, pendente magna deſuper ærea rota cum lam-
„ padibus: infra verò ipſum locum Dominicæ Crucis exciſa in petra
„ Crypta eſt, in qua ſuper altare pro defunctis honoratis Sacrificium
„ ſolet offerri, poſitis interim in platea corporibus. [ac tum ſubijcit de
„ quarto Templo Reſurrectionis Dominicæ, quod tria Altaria conti-
„ nebat, Et ſupra monumentum Domini, auream magnam Crucem:
„ & die noctuque duodecim lampades ardentes, [quatuor intra ſepul-
„ crum, octo ſupra in margine dextro. quibus addit dicens: Lapis

qui ad

qui ad oſtium Monumenti poſitus erat, nunc fiſſus eſt: cuius pars minor quadratum Altare ante oſtium nihilominus eiuſdem monumenti ſtat: maior verò pars in Orientali eiuſdem Eccleſiæ loco, quadrangulum aliud altare ſub lineamentis extat. [de Templo etiam in loco Aſcenſionis dicit, quòd interior domus, propter Dominici corporis meatum, camerari & tegi non potuit: Altare ad Orientem habens anguſto culmine protectum, in cuius medio vltima Domini Veſtigia cælo deſuper patente vbi aſcendit, viſuntur. Quæ cum quotidie à medentibus terra tollatur, nihilominus manet, eandemque adhuc ſpeciem veluti impreſſis ſignatam veſtigijs ſeruat. Hæc circa ærea rota iacet, vſque ad ceruicem alta, ab occaſu habens introitum, pendente deſuper in trochleis magna lampade, totaque die ac nocte lucente. In occidentali eiuſdem eccleſiæ parte ſunt feneſtræ octo, totidemque è regione lampades in funibus pendentes, vſque Hieroſolymam per vitrum fulgent: quarum lux corda intuentium cum quadam alacritate & compunctione paueſcere dicitur. In die Aſcenſionis Dominicæ, per annos ſingulos Miſſa peracta validi flaminis procella deſurſum venire conſueuit, & omnes qui in Eccleſia adfuerint, terræ proſternere. [In quibus omnibus hi authores, Arculfus, Adamannus, Beda, nihil aliud narrant de templis Hieroſolymitanis, quàm quod antiquiores, Euſebius, Hieronymus, Paulinus, & alij multi ſuprà à me citati.

XXV. Multa etiam alia Templa ſunt, quorum ſæpè mentionem talem Scriptores faciunt, vt & ea, ſicut iſta, noſtra fuiſſe manifeſtè indicent. vt, cùm Conſtantinopoli, & Chalcedone, alijſque locis vicinis fuiſſe Templa narrant, in quorum vno, nempe [a] in Templo Pacis (quod Conſtantinus ædificauerat) Epiſcopus Conſtantinopolitanus Alexander, in Sanctuario ad Altare progreſſus, humi coram ſacra menſa ſe in faciem proſtrauit, orans Deum vehementer contra Hæreticum Arrium, & mirabiliter exauditus. quam hiſtoriam ſcribunt Socrates & Theodoretus. [b] In alio corpus S. Euphemiæ martyris conditum fuiſſe narrat idem Socrates, in quo Arcadius Imperator & Gaïnas Tyrannus iuſiurandum fœderis cuiuſdam mutuò dederunt. [c] in quo etiam Concilium quod vocatur Chalcedonenſe, habitum eſt, vt ſcribit Euagrius, dicens in eodem eſſe tabulatum ſublime, in quo liberum eſt cuique preces Sanctæ Martyri Euphemiæ fundere,

a *Soc. lib. 1. cap. 25. & lib. 2. cap. 12. Theod. lib. 1. cap. 14.*

b *Soc. lib. 6. cap. 6.*

c *Euag. lib. 2. cap. 3.*

„ & ſacris intereſſe myſterijs. [in Sacrario autem eiuſdem (quod erat ad
d Soc. lib. 7. Orientem) Reliquias eſſe in capſa argentea. Ad aliud (vt ſcribit [d] Socra-
cap. 33. „ tes) ſerui cuiuſdam confugerunt:] atque gladijs cincti, ad Altare proſi-
„ liunt. rogati igitur vt abirent, nullo modo obſequi volebant, ſed ſacris
„ miniſterijs obeundis erant impedimento, donec vno clerico interfecto,
„ alio vulnerato, ad extremum ſibipſi necem conſciuerunt. [vnde quidam
„ dixit,] Templi profanationem mali aliquid portendere &c. meminit
e Soz. lib. etiam [e] Sozomenus Anaſtaſiæ quod erat Templum à Gregorio Nazian-
7. cap. 5. zeno conſtructum Conſtantinopoli, in honorem diuæ Virginis Mariæ,
f Euag. lib. quæ viſiones varias & miracula ibi oſtendit. Quin etiam [f] Zeno ex vi-
3. cap. 8. ſione reſtitutus Imperio, dedicat ampliſſimum Templum S. Theclæ, re-
galibus monumentis exornatum. id quòd Euagrius ſcribit. qui & alterius
g Euag. lib. Templi [g] meminit, quod Iuſtinianus Imperator ædificauit Sanctæ Dei-
4. cap. 21. paræ, [h] item alterum Sanctæ Sophiæ, & aliud Apoſtolis, &c, vbi fuiſſe
h Cap. 29. 30. „ dicit Tabulata alta, in quibus myſteria peracta videri poſſent, & ſacram
„ Concham, in qua incruentum offertur ſacrificium, [& Sanctuarium cum
teſtudine, longitudinem denique Templi ab Oriente in Occidentem,
i Lib. 5. pedum ducentorum ſexaginta. [i] Mauritio autem nondum Imperatori,
cap. 21. „ intra Sanctuarium Templi ſanctæ & caſtiſſimæ Virgini & Deiparæ Mariæ
„ dedicati (quod quidem ab Antiochenis Templum Iuſtiniani nuncupa-
„ tur) thus incenſum offerenti, viſum eſſe Auleum ſacræ menſæ igne con-
flagrare. [quæ cæleſtis viſio (vt Gregorius Epiſcopus Antiochenus in-
terpretatus eſt) portendebat ei Imperium futurum. frequens eſt mentio
Templi S. Ioannis Baptiſtæ, quod in honorem eius ædificauit prope
Conſtantinopolin Theodoſius Imperator, reponens ibi venerandum
k Soz. lib. Caput eiuſdem, quod ſcribens [k] Sozomenus refert etiam viſionem di-
7. cap. 21. 24. uinam. ad quod Templum Gainas ſupradictus Tyrannus contendit (vt
l Soc. lid. 6. ſcribit [l] Socrates) quaſi preces ibi facturus, quia dæmonio agitabatur, vt
cap. 6. ſimulabat quò ſe eriperet Conſtantinopoli, vbi in magno periculo ver-
Soc. lib. 6. ſabatur. Narrat idem, celebratam in eodem Templo à S. Epiphanio
cap. 11. Synaxin, id eſt Miſſam, & Ordinationem. Erat præterea Chalcedone
m Soz. lib. Templum, quod (vt habet [m] Sozomenus) Ruffinus vir Conſularis ma-
8. cap. 17. „ gnificè extruxit in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, Monachos
„ etiam in vicino collocans, qui Clerum eccleſiæ ſupplerent. Templi
XXVI. quod in Antiochia Syriæ ædificauit Conſtantinus, ſuprà memini, de
n Soc. lib. quo ſcribit [n] Socrates, quòd contrarium ab alijs eccleſijs ſitum habuerit.
5. cap. 21. „ Nam Altare (inquit) non ad Orientem, ſed ad occaſum ſpectat. Si-
meonis illius celeberimi atque ſanctiſſimi, qui a columna 40 cubitorum

in qua

in qua mirabiliter vixit, vocatus eſt Scylites Templum Egregium non longè ab Antiochia [o] Euagrius, vt magnopere deſiderauit, ſe vidiſſe narrat, quod in modum crucis extructum eſt, ſecundum formam Templorum plærorumque, maximè inſigniorum, quæ hodiè paſſim videmus. eſt autem mirabile & diuinum quod ibi ſcribit in hæc verba:] Ad læuam Columnæ, in vno Cancellorum, ipſe equidem, cum tota agricolarum circa Columnam [de religioſo more] incedentium multitudine ibi in vnum coacta, vidi ſtellam inuſitata magnitudine, diſcurrentem per totam rimam, iubarque fundentem: neque id quidem ſemel biſue aut ter, ſed ſæpiùs: eandemque crebrò euaneſcentem, & ex improuiſo apparentem denuò: quæ ſolum in iſtius ſanctiſſimi Viri die feſto cernitur. [Ac porrò dicit:] Sunt qui memorant (& miraculo ſanè tum propter fidem narrantium, tum propter alia quæ ipſi ſumus conſpicati, credendum eſt) veram perſonæ illius effigiem huc illucque volitantem ſe vidiſſe, barba demiſſi, & capite (vt ſolet) tyara operto. [Notiſſima eſt narratio Theodoreti de Marcello Apameæ Epiſcopo, viro mirabili, qui, cùm dæmon quidam ater apparens impediret impetum flammæ iniectæ in ligna, ad deſtruendum delubrum Iouis, ad ſanctum Dei Templum properè contendit, aquam in vaſe afferri iubet, quam ſub ſacroſancto Altari ponit: [Humiliterque precatus Deum,] cùm aquam ſigno crucis ſignaſſet, Equitium vnum ex Diaconis, fide & pietatis ſtudio egregiè munitum, aquam iubet accipere, ociùs ad delubrum currere, & cum fide eam ſpargere, ignisque flammam adhibere. qua re confecta, dæmon aquæ aſperſæ vim non ferens, penitus aufugit. ignis autem aquâ, ſuæ naturæ maximè aduerſariâ, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis prorſus abſumit. [Et paulo pòſt:] Eodem modo ſanctus ille Epiſcopus, alia quoque ſimulacrorum fana demolitus eſt. [& continenter ſubijcit de Idolo [p] Serapidis Alexandriæ ſubuerſo, cum Tēplo eiuſdem à Chriſtianis, pro quo (inquit Ruffinus) ex vno latere martyrium [pro Reliquijs ſancti Ioannis Baptiſtæ] ex altero conſurgit eccleſia. Erat inſuper Templum S. Sergij Martyris in ciuitate quæ eius nomine vocata eſt Sergiopolis. ad quod Templum Euagrius ſcribit miſſam eſſe ex voto à Choſroë Iuniore Perſarum rege, in honorem eiuſdem martyris Crucem vnam cum multo auro & lapidibus pretioſis elaboratam: [Item] aliam crucem auream. [quas cruces acceptas] Epiſcopus cum magna pompa defert ad Templum. [item] diſcum ex auro confectum, id eſt operculum calicis, in quo (ſicut in illa cruce aurea) licet ibi videre multa verba inſcripta, cum humili inuocatione ſancti Martyris, ex quibus tam multis

verbis

o Euag. lib. 1. cap. 14.

Theod. lib. 5. cap. 21.

p Theo. lib. 5. cap. 22. Ruff. lib. 2. cap. 29.

Euag. lib. 4. cap. 27. & lib. 6. cap. 20.

verbis licet æſtimare magnitudinem donariorum. Dicit autem Rex inter
„ cætera: Dediq́ue mandatum, vt diſcus vnus, & vnus Calix fierent, qui
„ diuinis myſterijs celebrandis inſeruirent: quin etiam vt Crux fieret &
„ thuribulum, vtrumque aureum in vſum ſacræ menſæ. [Eſt apud eundem aliud exemplum Thuribili, cum mirabili narratione de Zoſima mo-
Euag. lib. 4. cap. 7. nacho, qui ſpiritu Prophetico ſciens abſentia, Cæſareæ Palæſtinæ, ipſo
„ temporis articulo, quo Antiochia terræmotu cecidit, ſubitò ingemiſcere
„ cæpit, tantamq́ue vim profudit lachrymarum, vt terram madefaceret: de-
„ inde Thuribulum poſtulat, & toto choro thuris incenſione perfuſo, ſe
„ proſternit humi, precibus Deum placaturus. &c.

XXVII. Tam magnos autem, tamq́ue incredibiles ſumptus fecerunt circa hæc ſacra Eccleſiarum monumenta, propterea quòd nihil exiſtimarunt nimis pretioſum pro Chriſto Domino & pro ſanctis Martyribus, ſeu pro ſacroſancto Corpore & Sanguine illius, & pro venerandis Reliquijs iſtorum. Ob quam etiam cauſam loca ipſa Eccleſiarum, in quibus hæc colebantur, adeò colenda & ipſa arbitrati ſunt, vt confugientes ad eadem loca, tanquam ad Aſyla, ſecuriſſimos eſſe boni quilibet paterentur. Imò etiam Rex Arrianus Hunericus nobilem quendam gentis & ſectæ ſuæ
Vict. lib. 2. fol. 14. b. nomine Gamuth, quia ad eccleſiam eorum confugerat, (inquit Victor) occidere non potuit. Præterea Rex Gothorum Alaricus (vt ſcribit So-
Soz. lib. 9. cap. 9. zomenus) & ſi capta Roma, militibus ſuis vniuerſis ac ſingulis permiſit
„ Romanorum opes diripere, vtcumque poſſent, omneſq́ue domos eorum
„ deprædari: tamen Aſylum eſſe voluit, ob reuerentiam Apoſtoli, Diui
„ Petri templum illud ampliſſimum, quod ſupra illius tumbam cōſtructum
„ eſt, & loci plurimum ambit. Quæ res in cauſa fuit, quo minus Roma de-
„ leretur. Nam qui hic ſaluati fuerant, vrbem reſtaurarunt, cum eorum
August. de Ciui. Dei, lib. 1. ca. 1. ad 8. ingens eſſet multitudo. [Ex quo facto Gothorum D. Auguſtinus copioſiſſimè conuincit Ethnicos in illo nobiliſſimo ſuo contra eos opere de Ciuitate Dei, & clariſſimè demonſtrat eis veritatem ſalutarem Chriſti &
„ religionis eius, ita dicens de inimicis ciuitatis Dei: Multi eorum, correcto
„ impietatis errore, ciues in ea fiunt ſatis idonei: Multi verò in eam tantis
„ exardeſcūt ignibus odiorum, tamq́; manifeſtis beneficijs Redēptoris eius
„ ingrati ſunt, vt hodie contra eam linguas non mouerent, niſi ferrum ho-
„ ſtile fugientes, in ſacratis eius locis vitam, de qua ſuperbiunt, inuenirent.
„ An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus propter
„ Chriſtum Barbari pepercerunt? teſtantur hoc Martyrum loca, & Baſi-
„ licæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione vrbis ad ſe confugientes ſuos
„ alienoſque receperunt. Huc vſque cruentus ſæuiebat inimicus: ibi acci-

piebat

piebat limitem trucidatoris furor: illò ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſæuientes, poſtea quàm ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum, quod alibi iure belli licuiſſet, tota feriendi refrænabatur immanitas & captiuandi cupiditas frangebatur. Sic euaſerunt multi qui nunc Chriſtianis temporibus detrahunt: & mala, quæ illa ciuitas pertulit, Chriſto imputant: bona verò quæ in eos, vt viuerent propter Chriſti honorem facta ſunt, non imputant Chriſto noſtro, ſed fato ſuo: cum potius deberent, ſi quid rectè ſaperent, illa quæ ab hoſtibus aſpera & dura perpeſſi ſunt, illi diuinæ prouidentiæ tribuere, quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere: itemque vitam mortaliũ iuſtam atque laudabilem, talibus afflictionibus exercere, probatamque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter vſus alios detinere. Illud verò quòd eis vel vbicumque propter Chriſti nomen, vel in locis Chriſti nomini dicatiſſimis & ampliſſimis, ac pro largiore miſericordia ad capacitatem multitudinis electis, præter bellorũ morem truculenti Barbari pepercerunt, hoc tribuere tẽporibus Chriſtianis: hinc deo gratias agere, hinc ad eius nomen veraciter currere, vt effugiant pœnas ignis æterni. Quod nomen multi eorum mendaciter vſurparunt, vt effugerent pœnas præſentis exitij. Nam quos vides petulanter & procaciter inſultare ſeruis Chriſti, ſunt in eis plurimi qui illorum interitum cladem que non euaſiſſent, niſi ſeruos Chriſti ſe eſſe finxiſſent. Et nunc in ingrata ſuperbia atque impijſſima inſania eius nomini reſiſtunt corde peruerſo vt ſempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore ſubdolo confugerunt, vt tẽporali luce fruerentur. [Memorabilis eſt narratio Socratis, de S. Chryſoſtomo contra Eutropium Eunuchum qui Imperatoris cubiculo præfuit, & primus ex Eunuchis dignitatem Conſularem ab Imperatore obtinuerat, concionante, eoquòd is ſedulò dabat operam, vt lex ab Imperatoribus promulgaretur, ne quiſquam ad eccleſias tanquam ad Aſylum profugeret: ſed vt hi qui eò profugerent, inde abriperentur. Et vide exemplum vindictæ diuinæ. Nam hac lege confeſtim ille ipſe pœnas dedit. Simul atque enim promulgata fuit, Eutropius in offenſionem apud Imperatorem incurrens, confugit ad eccleſiam, & ad baſim altaris procubuit. ſed propria lex ſaluti eius impedimento fuit. *Soc. lib. 6. cap. 5.*

Ex eadem religione erga res ſacras, maximeq; erga prædictum mirabile ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, profectum eſt, vt in illis antiquis eccleſijs locus Cleri à loco Laicorum clauſus & diſtinctus eſſet. XXVIII.

cuius rei iam exempla multa aliud agens ſubnotaui: eſtque illud antiquiſſimum teſtimonium, quod ipſe Dionyſius Areopagita, diſcipulus
Dion. Ar. Epiſt. 8. Pauli Apoſtoli ſcripſit ad Demophilum Monachum, gloriantem, ſe calce abieciſſe peccatorem ſacerdotem procidentem ſacerdoti: cum ille tamen verecundè (quod oportuit) fateretur, ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe. Quem Monachum vehementer obiurgat S. Dionyſius, & dicit: Contra tas omne irrupiſti in adyta, & Sancta ſanctorum profanare auſus es. & ſcribis nobis, te ſancta, cum violanda eſſent, ſumma circa prouidentiaque ſeruaſſe, eaque hactenus illibata cuſtodire. Docet igitur eum Dionyſius, ad Sancta ſanctorum proximè accedere Epiſcopos, tum Sacerdotes, tum Diaconos. Sed ijs qui θεραπευταὶ, id eſt, Cultores ſeu Monachi, ſunt ordinati, adytorum portæ [inquit] ſegregatæ ſunt, iuxta quas [Monachi] & initiantur, & aſtant non ad cuſtodiam ipſarum, ſed propter ordinem & recognitionem ſui ipſorum: [quod ſcilicet] magis
Dion Eccle. Hier. cap. 7. p. 2. laicis quam ſacerdotibus appropinquẽt. [Quò pertinet illud etiam, quod idem alibi in exequijs defunctorum obſeruatum eſſe ſuo tempore teſtatur, vt defunctus ſacerdos ante diuinum altare collocaretur, dum celebrabantur eius exequiæ: Monachus autem vel laicus, ad venerandum ſacrarium, ante ſacerdotalem introitum. quæ eodem modo & hodie vi-
a cap. 3. 4. demus in exequijs obſeruari. Creberrimam autem facit mentionem a Diuini Altaris, & oſculationis eiuſdem, dicens, Altare ſignificare Ieſum, atque in conſecratione eius (ſicut & Fontis) adhiberi ſacrum Chriſma; quod quia paratur à ſolo Pontifice ſeu Epiſcopo, propterea Sacerdotem, munus ſuum circa Fontem vel Altare peragat, pendere à Pontifice, vt
Moti 19. num. 3. minorem à maiore. Aliud huius diſcriminis locorum exemplum illuſtre aliàs commemoraui ex hiſtoria Excommunicationis Imperatoris Theodoſij per Ambroſium. quo iubente, præfatus Imperator diſceſſit ex interioribus Sanctuarij, & extra cancellos expectauit inter alios laicos Diuinorum Myſteriorum celebrationem. ita vt Mediolano (vbi hoc ſic ge-
Theod. lib. 5. cap. 17. ſtum eſt) reuerſus Conſtantinopolim, cum ibi Diuino quodam feſto ad templum denuò veniret, ſtatim vt dona Sacræ Menſæ obtulerat, exiuerit [è cancellis ſponte propria.] Atque cum Nectarius, qui id temporis illius eccleſiæ Antiſtes fuit, rogaret, Cur non maneret intus? gemens inquit: Ægrè tandem didici, quid inter Imperatorem interſit & Epiſcopum: ægrè tandem reperi veritatis magiſtrum. Nam ſolum Ambroſium noui epiſcopum, dignum eo nomine. Tantum commodi reprehenſio, à viro virtute præſtanti adhibita, ſecum apportare ſolet. [Ita quidem Theodoretus. ſed potius exiſtimauerim, illud factum à Theodoſio in ciuitate

quapiam

quapiam Italiæ: propterea quòd S. Ambroſius ſignificet, cum poſt illam *Ambr. de*
de Eugenio tyranno partam victoriam nunquam rediiſſe Conſtantino- *obit Theod.*
polim. Vtcumque fit, notatu dignum eſt, quod inde ſcribit Sozomenus; *in fine.*
inter Ambroſij præclara facinora & officio ſacerdotali digna, hoc nar- *Soz. lib. 7.*
rans: Moris erat, vt Imperatores, dum Sacris intereſſent, in Sacrario *cap. 24.*
ſederent, Maieſtatis ergò à populi conſortio ſeparati. Ambroſius autem
conſiderans eam conſuetudinem vel ex aſſentatione, vel ex ordinis inſci-
tia eſſe natam, Imperatori in eccleſia locum aſſignauit ante ſacrarij can-
cellos, ita vt populum Imperator, Imperatorem ſacerdotes ordine ſedis
antecederent. hanc autem optimam conſtitutionem Theodoſius Impera-
tor approbauit, & ſucceſſores eius corroborauerunt, ac nos eam ex eo
vſque tempore conſeruatam cernimus.

Ex quibus animaduertere licet, eandem fuiſſe formam templorum XXIX.
ſeu Græcæ ſeu Latinæ Eccleſiæ, quemadmodum & per alia omnia inter
ſe conueniebant, nimirum in Altaribus, in Reliquijs, in Crucibus, alijſque
Imaginibus, & ſi quid aliud eſt quod Hæretici reprehendunt. Nam vt
patres vtriuſque eccleſiæ per illa antiqua tempora conſentiebant in fide
ac religione, ſic etiam templa eorum. Ac licèt plæraque exempla de Græ-
canicis Templis poſuerim, non tamen tacui de Latinis. ſed vt modo de
eccleſijs Mediolani, ita ſuperiùs de eccleſijs Britanniæ, & alijs, non nihil
annotaui, & nominatim de eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli in ciui-
tate Roma, in qua, ob honorem Apoſtolorum, Gothos aſylum conſti-
tuiſſe oſtendi. de qua eccleſia eſt illa quoque (preter alias innumeras alio- *Soc. lib. 4.*
rum) Socratis narratio: Ammonius Monachus Ægypti tam parum cu- *cap. 18.*
rioſus fuit, vt cum Romæ vnà cum Athanaſio forte verſaretur, nihil ex
magnificis Vrbis operibus, præter Templum Petro & Paulo dicatum,
videre omnino deſideraret. [Sed excellit facilè omnibus illud in hoc ge- *Hadrian. P.*
nere, quod ſcribit Hadrianus primus Papa ad Carolum Magnum in Scrip- *Tom. 3. Cōc.*
to de Imaginibus, [interrogatus,] Vbi in ſex Synodalibus Concilijs iu- *fol. 232. &*
beatur Imagines facere, vel factas adorare, [& reſpondens primum, ac *M. S. Gem-*
dicens:] Illi nobis dicere debebant, in quali de ipſis ſex Synodalibus Con- *blaci chara-*
cilijs reprehenſæ ſint ſacræ Imagines. [Deinde,] Enimuerò [inquit] in *ctere vetu-*
primo ſancto Concilio ſæpius oſtenſum eſt quia ſanctus Syluester Papa, *ſtiſſimo.*
& Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator venerati ſunt ſacras Imagi-
nes, & cum nomine Chriſtianitatis palàm coram omnibus fideliter atque
mirabiliter eas oſtenderunt: & à tunc vſque hactenus ſanctorum Ponti-
fi ū, videlicet Syluestri, Marci, & Iulij miræ magnitudinis ſanctæ eorum
eccleſiæ apud nos ſunt depictæ, tam in Muſiuo, quamque in cæteris

„ hiſtorijs cum ſacris Imaginibus ornatis. Item in ſancto ſecundo Concilio ſanctus Damaſus elegantiſſimus Papa propriam ſuam fecit eccleſiam, cuius S. Gregorius Papa meminit in Dialogis, quæ ex nomine conditoris, Damaſi vocatur: ſimiliter à tunc vſque hactenus hiſtorijs ſacris & imaginibus pictam habemus. Iterum & de ſancto tertio Concilio ſanctus Cæleſtinus Papa proprium ſuum cœmeterium picturis decorauit. Magis autem ſucceſſor eius Beatus Sixtus Papa fecit Baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, cognomento Maiorem, quæ & ad Præſepe dicitur. Simili modo & ipſe tam in metallis aureis, quamque in diuerſis hiſtorijs, ſacris decorauit imaginibus. Sed & per rogatum eius Valentinianus Auguſtus fecit Imaginem auream cũ duodecim portis & Saluatore, gemmis pretioſis ornatam, quam voto gratiæ ſuper cõfeſſionem Beati Petri Apoſtoli poſuit. & à tunc vſq; hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur. Itemque de 4. Cõcilio, egregius atque mirificus prædicator ſanctus Leo Papa & ipſe fecit eccleſias, quas in Muſiuo & diuerſis hiſtorijs ſeu imaginibus pingẽs decorauit. Magis autem in Baſilica beati Pauli Apoſtoli, arcum ibidem maiorem faciẽs, & in Muſiuo depingens Saluatorem Dñm noſtrum Ieſum Chriſtũ, ſeu viginti quatuor Seniores, nomine ſuo verſibus decorauit: & à tunc vſq; hactenus fideliter à nobis Venerãtur. & de ſancto 5. Concilio ſanctiſſimus Vigilius Papa in Lateranenſi Patriarchio baſilicam faciens, pulcherrimè eam decorauit picturis tam in hiſtorijs, quamq; in ſacris imaginibus. Multo amplius verò eius ſanctiſſimi ſucceſſores Dominus Pelagius atq; Dominus Ioannes miræ magnitudinis eccleſiam Apoſtolorũ à ſolo ædificantes, hiſtorias diuerſas tam in Muſiuo, quàm in varijs coloribus cũ ſacris pingentes imaginibus. & à tunc vſq; hactenus a nobis venerantur. Sed & S. Gregorius Papa in Monaſterio ſuo pulchrũ fecit Oratoriũ, & ipſum diuerſis hiſtorijs pingi fecit, atque ſacras ibidem erexit imagines: vbi & cum beato Eleutherio pro ægritudine ſtomachi ſui ingreſſus, in oratione pariter exauditi ſunt. Et ille vir ſanctus Eleutherius, quem dicunt & mortuũ ſuſcitaſſe, ante ipſas ſacras imagines ſe proſternens, Diuinam exorare clementiam cum S. Gregorio nõ dubitauit: ſed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi ſunt. & vſque hactenus apud nos venerãtur. Sed & eccleſia Arrianorum, cuius ipſe ſanctus Gregorius in Dialogis ſuis meminit, placuit eidẽ S. Gregorio, vt in fide Catholica introductis illic beati Sebaſtiani & ſanctæ Agathæ martyrum reliquijs, dedicari debuiſſet, quod & factũ eſt. Et poſt miraculum, quod in eadem eccleſia factum eſt, diuerſis hiſtorijs ipſe beatus Gregorius pingi fecit eam, tam in Muſiuo quàm in coloribus, & Venerandas imagines ibidem erexit: & à tunc vſq; hactenus venerantur. Si enim

Greg. Dial. lib.

Greg. Dial. 3. cap. 33.

Greg. Dial. 3. cap. 30.

Si enim voluerimus enarrare per ordinem, noſtri prædeceſſores Pontifices quantas eccleſias fecerunt vſque nunc, mirificè in eis ſacras imagines erigentes, atque diuerſas hiſtorias pingentes, necnon & venerantes, Apoſtolicè audemus dicere, deficiet nos tempus enumerandi, atque eorum ædificia cum ſacris imaginibus & hiſtorijs explanandi. In 6. verò ſancto Concilio non ſolum contemnere non ſunt auſi, ſed etiam eaſdem ſacras imagines Venerantes ſtatuerunt, agnum Chriſtum Deum noſtrum ſecundum humanam figuram, & in imaginibus à nunc pro veteri agno reticulari. *Hebr. 11.*

De quibus omnibus nihil dubitabit, qui vel recordatur Imaginum ſacrarum in templo Paneadis, in Templo Antiochiæ, in Templo Edeſſæ, & in alijs, ſuprà memoratarum à me ex Sozomeno & Euagrio: vel conſiderat illa quæ S. Paulinus Nolanus epiſcopus de templis ſuis, & Sulpitij Seueri, & aliorum, ſcribit. Quæ quoniam antiqua ſunt, quoniamque habent conſenſum S. Ambroſij, S. Auguſtini, S. Hieronymi, & aliorum patrum, omniumque Chriſtianorum non ſolum illius ætatis, verum etiam priorum & poſteriorum, eò quòd nimirum cum illis communem habebant religionem præfati Paulinus & Seuerus, quorum etiam mentionem honorificam crebrò faciunt Hieronymus, Auguſtinus, alijque temporum illorum Scriptores doctiſſimi & viri ſanctiſſimi; varijs etiam ſcriptis & nuncijs inter eos tanquam familiares, vltrò citroque commeantibus, ita vt ad ipſum Auguſtinum ſcribens Paulinus dicat: Totam domum, & omnem comitem, & æmulatorem in Domino Sanctitatis tuæ, plurimo fraternitatis vnanimæ ſalutamus affectu: [& ad Alipium illum intimum Auguſtini, apertius dicens de comitibus illis & æmulatoribus:] Per Sanctitatem tuam noſtris inuicem ſalutentur obſequijs, & in Clero Sanctitatis tuæ comites, & in Monaſterijs fidei ac virtutis tuæ æmulatores. [ac iterum:] benedictos Sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres (ſi dignantur) noſtros, tam in Eccleſijs quàm in Monaſterijs, Carthagini, Thagaſtæ, Hipponeregio, & totis Parochijs tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino catholicè ſeruientes, multo affectu & obſequio ſalutari rogamus: [propter has (inquam) cauſas digniſſima eſſe arbitror, quæ hoc loco latiùs commemorem, vt in notitiam omnium (quantum fieri poteſt) adducantur. Sola enim ſufficiunt, quæ ſolidiſſimè doceant, atque demonſtrent, templa omnia antiqua (à quibus iſta nihil in ſuis innouabant aut mutabant) æquè vt moderna, noſtra fuiſſe, & non Proteſtantium. XXX. *Soz. lib. 5. cap. 20. Euagr. lib. 4. cap. 25. 26.* *Paulini Epiſt. 1. ad Aug.*

Paulin. in Epiſt. 11. ad Seuer. Sic igitur ſcribit Paulinus ad Seuerum de vtriuſque Baſilicis, dicens:
Deſideras ad Baſilicam, quam modò apud Primulianum noſtrum Maio-
rem priore condideris, [vbi obiter notet lector, hanc nouam nihil fuiſſe
niſi prioris & antiquioris amplificationem] de ſacris Sanctorum Reli-
» quijs benedictionem, qua adornetur domeſtica tua eccleſia. [Vocat au-
tem domeſticam, quia alia erat in ipſo oppido. Paulo igitur poſt reſpon-
det deſiderio eius prædicto, & ait:] teſtis eſt autem Dominus, quòd ſi
» vel ſcrupulum Sacri Cineris habuiſſemus, ſuprà quàm nobis ad Baſili-
» cam, quæ proximè in nomine Domini conſummabitur, dedicandam ne-
» ceſſarium erat, miſiſſemus Vnanimitati tuæ. [Quod igitur remedium
huius defectus? addit:] Sed quia nos non habuimus huius muneris co-
» piam; & Victor tuus ſe ſpem eiuſdem gratiæ copioſam habere dixit à
» ſancta Siluia, quæ illi de multorum ex Oriente Martyrum Reliquijs ſpo-
» pondiſſet: inuenimus quod dignè & ad Baſilicæ ſanctificationem vobis,
» & ad Sanctorum Cinerum cumulandam benedictionem mitteremus.
» [Quidnam illud?] partem [inquit] particulæ de Ligno Diuinæ Crucis;
» quod nobis bonum benedicta Melania ab Hieruſalem munere ſancti inde
Epiſcopi Ioannis attulit. [Et paulo pòſt de eadem parte eiuſdem parti-
» culæ:] Accipite Magnum in modico munus; & in ſegmento penè atomo
» haſtulæ breuis, ſumite munimentum præſentis & pignus æternæ ſalutis.
» [Et iterum paulo pòſt:] Tu bello aureolo rem tantæ benedictionis inclu-
Noti. 18. ſimus. [Poſt quæ narrat totam hiſtoriam inuentæ Dominicæ Crucis à
Noti. 12. S. Helena, quam hiſtoriam nos alias copioſè expoſuimus. ac deinde hæc
» dicit de Templo mox à S. Helena extructo:] Ita (vt Crucem Chriſti de-
» cuit) experimento reſurrectionis inuenta [de quo miraculo & nos aliàs
» ſatis] & probata Crux Chriſti eſt; dignoque mox ambitu conſecratur
» condita in paſſionis loco Baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & au-
» reis diues altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſeruat, quam Epiſ-
» copus vrbis eius quotannis cum Paſcha Domini agitur adorandum po-
» pulo princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem qua
» Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſaque ſacramentorum cauſa eſt,
» quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne, profertur, niſi interdum re-
» ligioſiſſimi poſtulent, qui ea tantum cauſa illò peregrinati aduenerint,
» vt ſibi eius reuelatio quaſi in præmium longinquæ peregrinationis defera-
» tur, quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt, cuius & tantùm
» munere de eadem Cruce hæc minuta ſacri ligni ad magnam fidei & be-
Paulin. in epiſt 12 ad Seuer. nedictionis gratiam habere datur. &c: Et in proxima ad eundem Epi-
ſtola: Perquàm enim gratulor, quòd eodem tempore Baſilicas Dominicis
adiecen-

adiecerimus ouilibus : tu verò etiam Baptiſterium Baſilicis duabus interpoſitum condidiſti:[Nam illis temporibus,cum Chriſtiani adhuc mixtim viuerent inter ethnicos, habebant ſacras quaſdam ædes ad miniſterium baptiſmi, quæ vocabant baptiſteria (ſicut Exorciſterium vocat Auguſtinus ſacram ædem in qua ſuper dæmoniacos legebant Exorciſmos) quæ baptiſteria nunc, cum ſinguli baptizamur paruuli, nec ſunt adulti catechumeni, quia ſoli viuimus Chriſtiani, non ſunt neceſſaria, ſed fontes per ſe ſufficiunt. Itaque paulo pòſt Paulinus de duabus Imaginibus, ſui nimirum, & S. Martini, in illo Baptiſterio collocatis à Seuero, ſcribit hunc in modum: Sed in eo metuo, ne, affectu in nos tuo, iuſtis laboribus iniquitatem inſeris, vt Locum Sanctum etiam vultibus iniquorum polluas. [An igitur non ſe modò, verum etiam illum hominem Dei S. Martinum vocat iniquum? abſit. Rectè enim [inquit] in Loco Refectionis [id eſt, Regenerationis. nam propterea ad Delphinum, per quem Baptizatus eſt, ſic ſcribit: vellera noſtra in aqua Refectionis manibus tuis lauit: ergo ait:] In Loco Refectionis humanæ [id eſt, in Baptiſterio] rectè Martinus pingitur, qui cæleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portauit, vt deponentibus in lauacro terrenæ imaginis vetuſtatem, imitanda cæleſtis animæ occurrat effigies. Noſter verò quis illic locus eſt, &c.? Quæ ſocietas lumini & tenebris? &c. hoc eſt, nobis & Martino? Nónne tu lactis & fellis poculum miſcuiſti? [Veruntamen poſt pauca dicit:] Parui tibi in verſiculis de huiuſmodi tua pictura ad te mittendis. [qui verſiculi ibi ſequuntur, & hi inter cæteros:

Auguſt. cō. Creſcon. lib. 4. cap. 47.

Paulin. Epiſt. 12. ad Seuer. Vide etiam Epiſt. 8. ad eundem.

Epiſt. 3. ad Delph.

Hunc peccatores, illum ſpectate beati:
Exemplar ſanctis ille ſit, iſte reis.

Item de ijſdem duabus Imaginibus:

Martinum venerande viri teſtatur Imago:
Altera Paulinum forma refert humilem. &c.

Et non poſt multa, verſus de ipſo Baptiſterio:

Hic reparandarum generator Fons animarum,

Et quæ ſequuntur, in quibus eleganter & apertè aſtruit illud Catholicum dogma, quòd Sacramentum Baptiſmi confert gratiam. Mox ponit verſus etiam ad Baſilicas, in quibus manifeſtè exprimit multa noſtræ eccleſiæ, dicens:

Inde (id eſt à Baptiſterio) *parens ſacro ducit de Fonte Sacerdos*
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circundanſq; rudes feſtis altaribus agnos,
Chara ſalutiferis imbuit ora cibis.

Hinc

Hinc ſenior ſocia congaudet turba caterua:
Alleluya nouus balat ouile choris.

XXXI. In eadem epiſtola eſt Epitaphium S. Clari presbyteri, cuius reliquias Seuerus in ſuprà dicta domeſtica ſua Eccleſia (de more) condiderat ſub Altari: hos igitur verſus mittit Paulinus vt adſcribantur:

Sancta ſub æternis altaribus oſſa quieſcunt,
Vt dum caſta pio referuntur munera Chriſto,
Diuinis Sacris Animæ iungantur odores.

Et aliud eiuſdem Epitaphium:

Presbyter hic ſitus eſt meritis & nomine Clarus, &c.
Caſta tuum dignè velant altaria corpus,
Vt templum Chriſti contegat Ara Dei. &c.
Hæc peccatorum bonus accipe vota precantum,
Vt ſis Paulini Theraſiaq; memor. &c.
Non meritis ſed amore pares, tu Sancte valebis
Exorare pares & meritis fieri:
Si cum Martino ſociâ pietate laboras,
Vt vincant veſtra crimina noſtra preces. &c.

Sequuntur deinde verſiculi de ſupradicta particula ſanctæ Crucis Dominicæ ſimul cum Reliquijs Martyrum condenda in Altari. in quibus palam loquitur de Reali præſentia Chriſti in Sacramento Altaris, cauſam reddẽs elegantiſſimè, cur conueniat in eodem Altari coire hæc tria, Reliquias, Crucem, & Corpus & Sanguinem Domini. tum verò ſubinfert: Si verò magis placeat vobis, hanc de Cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atq; medicinam in promptu habere, ne ſemel condita in Altario modò ſemper ad manum, vt vſus exigit, præſtò ſit: & ſi Apoſtolorũ [&] Martyrum venerandus cinis ſine Crucis conſortio ſubijciatur altaribus: ſint (inquit) hi verſus pro titulo ſolarum Reliquiarum:

Vota Sacerdotis, viuentum & commoda, paruo
Puluere Sanctorum mors pretioſa iuuat.

XXXII. Hæc de Baſilicis Seueri. Poſtea loquitur de Baſilicis ſuis, quia voluit Victor internuncius,] vt noſtrarum [inquit] tibi Baſilicarum verſus ſimul picturaſque portaret. [Primum igitur agit de Baſilica Nolana, deinde & de Fundana. Quoad priorem, hæc narrat: Baſilica igitur illa, quæ ad Dominedium noſtrum communem Patronum [ſic ſolet vocare B. Felicem Martyrem ſeu Confeſſorem, quia cùm eſſet Patronus ciuitatis Nolanæ, tum ædium ſeu Monaſterij S. Paulini, vbi erat Eccleſia eius nomini & corpori dicata, priuato ſpecialius modo. vnde miraculum oculi ſanati

Theridio fratri, ex monachis ſuis, narraturus ait alicubi : *Nam quid po-* *Paulin.*
tiuſue canendum Suſcipiam Felicis opus , quàm quod mihi tectis Ipſe *Natal.7.*
meis , quibus eſt idem Dominadius , egit? [Pergit igitur in Epiſtola ad «
Seuerum,& dicit:] Baſilica illa,quæ ad Dominædium noſtrum cõmunem «
Patronum in nomine Domini Chriſti iam dedicata celebratur , quatuor «
eius Baſilicis addita ; Reliquijs Apoſtolorum & Martyrum intra apſidem «
trichora ſub Altaria ſacratis , non ſolo B. Felicis honore venerabilis eſt. «
[Porrò,] Apſidem [inquit] ſolo & parietibus marmoratam camera muſi-
uo *a* illuſa clarificat : cuius picturæ hi verſus ſunt:

a vocat illuſionem, quia muſiuũ eſt opus ſic depictum vt putentur quædã partes eminere, quædã ſubſidere , cum tamẽ totum ſit planum.

Pleno coruſcat Trinitas myſterio.
Stat Chriſtus agno , Vox Patris cælo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli,
Quorum figura eſt in Columbarum choro : &c.
Petram ſuperſtat ipſe petra Eccleſiæ,
De qua honori quatuor fontes meant,
Euangeliſtæ viua Chriſti flumina.

Hæc igitur erat pictura Trinitatis, Crucis, Apoſtolorum,& Euangeliſta-
rum. Tum ſequuntur verſus de ſegmine Crucis in altari cum cineribus
Apoſtolicis. Et hæc quidem intra concham ſeu Chorum.] Totum verò «
extra Concham Baſilicæ ſpatiũ [inquit] alto & lacunato culmine geminis «
vtrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per ſingulos arcus columna- «
rum ordo dirigitur. [Atque ibi de Sacellis ſeu Oratorijs in lateribus Eccle- «
ſiæ, quæ in magnis templis hodieque vſurpãtur:] Cubicula [inquit] intra «
porticus quaterna longis Baſilicæ lateribus inſerta,ſecretis orantium vel in «
lege Domini meditantium, præterea memorijs religioſorũ ac familiarium, «
accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. [Verſus deinde «
ſubijcit prænotatos his cubiculis vel Capellis in fronte liminum. tum, «
ipſius Baſilicæ aditus habent hos verſus : Pax tibi ſit quicumque &c. Vel «
hoc [inquit] de Signo Domini ſuper ingreſſum picto hac ſpecie , qua «
verſus indicat :

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare Crucem , duro ſpondentem celſa labori
Præmia : tolle Crucem , qui vis auferre coronam.

Poſt hæc de altera noua Baſilica, quæ huius Nolani tẽpli pars erat, hæc ſcri-
bit: Proſpectus Baſilicæ , non vt vſitatior mos eſt, Orientem ſpectat, ſed «
ad Domini mei B. Felicis baſilicam pertinet, Memoriam eius aſpiciens. «

» tamen cum duabus dextra læuaque conchulis intra ſpacioſum ſui ambi-
» tum apſis ſinuata laxetur: vna earum immolanti hoſtias iubilationis anti-
» ſtiti patet: altera poſt ſacerdotem capaci ſinu receptat orantes &c. [In
huius Baſilicæ nouæ ingreſſibus Cruces indicat fuiſſe dextra læuaque
» minio ſuppictas cum verſiculis. fuiſſe etiam Cantharum, in quo intran-
» tes lauarent manus amne miniſtro. Duo inſuper Secretaria circa apſidem,
quorum officia indicat per verſus, à dextra apſidis iſtos ponens:

Hic locus eſt, veneranda penus quâ conditur, & quâ
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

in quibus ſignificat, Secretarium illud fuiſſe repoſitorium venerabilis Sa-
cramenti, & ſacrarum veſtium & vaſorũ, quæ propter ſplendorem & ma-
gnificentiam vocat almam pompam ſacri miniſterij. Non enim vt im-
periti hæretici putant, nuper introducta eſt in ſacrum Altaris miniſte-
rium hæc pompa ſanctiſſima & ſplendidiſſima, ſed quemadmodum ex hoc
Paulini teſtimonio animaduertere licet, primitiua fuit, maximè ſi huic
adiungas multa à me inde iam coprosè dicta, quale eſt & illud, quod ſcri-
Soz. lib. 6. bit Sozomenus de Valente Imperatore, qui S. Baſilium laudauit, tum ob
cap. 17. » ſapientiam, tum quod in Natali Domini tanto cum ornatu, tamque de-
Seuer. Dial. 2. cap. 1. center ſacerdotio fungeretur. Meminit etiam Seuerus Secretarij Eccle-
» ſiæ Turonenſis, in quo dicit S. Martinum ſediſſe, vſque in eam horam
» qua Sollemnia populi agi conſuetudo depoſcebat.

XXXIII. Et hæc quidem Paulinus de Nolana ſua Baſilica: à qua deinde in ea-
» dem Epiſtola tranſit ad Fundanam, & dicit: Baſilicam dare in ipſo op-
» pido, quoniam & indigebat, ruinoſam & paruam habens, voti fuit: prop-
» terea & hos verſiculos dedicandæ Baſilicæ parauimus, [qui ibi ſequuntur.]
» & in huius abſide [inquit] deſignatam picturam meus Victor adamauit,
&c. [Vbi de verbo ipſo toties à ſe vſurpato hæc obiter dicit:] Sed de hac
» apſida an abſide magis dicere debuerim, tu videris. ego neſcire me fateor,
» quia hoc verbi genus nec legiſſe reminiſcor. Dicitur autem & abſis, &
apſis, & abſida, & apſida, vocabulum etiam in antiquiſſimo Homero oc-
currens: ſignificat autem hîc locum curuatum vel ſinuatum in modum
» fornicis. Porrò pergit in deſcriptione & dicit: Verum hanc quoque Ba-
» ſiliculam, de benedictis Apoſtolorum & Martyrum Reliquijs ſacri Ci-
» neris in nomine Chriſti Sanctorum Sancti & Martyrum Martyris & Do-
» minorum Domini, conſecrabunt &c. Cuius picturam narrat fuiſſe Cru-
cem cum coronis, ſub qua Agnus, inſufflatus à Columba, coronatus de
nube, circumſtantibus ſolium à dextra agnis, à ſiniſtra hædis, moxque &
hos verſus adiungit:

Ecce ſub

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum.
Regia purpureo marmore cruſta tegit.
Hic & Apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in paruo puluere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius.
Quosq́ſ ſuo Deus Ambroſio poſt longa reuelat.
Secula Protbaſium cum patre Geruaſio.

Ex quibus deſcriptionibus manifeſtiſſimum eſt, templa illa Paulini (ideoq́ue cætera quoque omnia, nam vnius communionis fuerunt) noſtra fuiſſe, quippe quæ habuerint huiuſmodi picturas Crucis & aliarum imaginum, & Altaria, & in altaribus Reliquias & candelas accenſas, & cætera quæ lector potuit obſeruare. Quod perſpicuum eſt etiam ex conſecrationibus & dedicationibus toties commemoratis: adeoque ex hac ipſa intentione ædificantium, quam ibidem Paulinus exprimit his verbis: Nam XXXIIII.
& Euangelicus ille Centurio exemplum nobis eſt ad ſpem certam mer- «
cedis æternæ, huius ſpecialiter operis gratiâ recipiendæ, cui plebs Do- «
mini de Synagogæ ædificatæ teſtimonio ſuffragata eſt. [Intelligit autem *Luc. 7.*
illud, quod apud Lucam Seniores Iudæorum rogant Ieſum ſolicitè pro
Centurione, cuius ſeruus erat moriturus, dicentes ei, quia dignus eſt, vt «
hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram: & Synagogam ipſe ædi- «
ficauit nobis. [A quo exemplo laudat Paulinus noſter Delphinum Epiſ- *Paulin.*
copum, & dicit:] Viſibiliter autem nobis operaris in fabricis Eccleſiarum, *Epiſt. 2. ad Delph.*
vt partem nobis facias cum illo, cuius domus à Chriſto meruit viſitari, «
qui ab ea ædificatione tunc Synagogæ, quod nunc Eccleſia eſt, teſtimo- «
nium religioſæ plebis acceperat. Fatemur venerandæ pietati tuæ, legen- «
tibus nobis illam Epiſtolæ partem, qua Alingonenſi Eccleſiæ nouam «
filiam te auctore progenitam iam in nomine Domini vſque ad Dedica- «
tionis diem creuiſſe ſignabas, ita exultaſſe ſpiritum noſtrum in Deo «
Salutari noſtro, vt tanquam in præſenti Dedicantium cœtibus inter- «
eſſemus, illa de Pſalmis Prophetici gaudij verba caneremus: Exulta- *Pſalm. 80. & 131.*
te Deo adiutori noſtro &c. Surge Domine in requiem tuam &c. [Ac «
tunc iſta addit de patribus quibuſdam Proteſtantium:] Quod verò indicare dignatus es, aliquos de parte illius, cuius inuidiâ mors introiuit in «
orbem terrarum, dentibus ſuis fremere & tabeſcere, non miramur, «
quia & Hieruſalem cum reædificaretur Templum Dei, inuidebant Aſ- «
ſyrij, & fabricam reſurgentem conabantur hoſtilibus ſæpè incurſioni- «
bus impedire. ſed quia potior eſt qui in nobis eſt quam qui in hoc mundo, «

templo illo Nolano, quòd noſtrum fuerit, maximeque commendat ſacras peregrinationes Chriſtianorum vndique confluentium ad idem templum precandi & adorandi martyris cauſa. Ex quibus priuſquàm aliqua decerpam, commemorare placet ex Epiſtola qua commendat Macario Senem Naufragum (cui Chriſtus & S. Felix & alij Cælites mirabiliter apparuerunt in mari, Chriſto ipſo ſedente dum idem ſenex laſſus reclinaret caput in gremium eius, & vellicante ſubinde auriculam eius, vt à ſomno excitaret eum ad orationem) nonnulla quæ Paulinus hac occaſione loquitur de Sanctis Peregrinationibus Hieroſolymitanis. Poſtquam enim narrauit ſenem illum à ſe poſtea maxima cum voluptate viſum, & coràm conuentum, ait : Voluiſſem quoque vel vnius partem auris abſcindere, niſi in illo vulneris quæ mihi pignoris res fuiſſet. Non enim alter affectus homines Hieroſolymam rapit, niſi vt loca in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus videant, atque contingant, poſſintque & de ſuo fructu edicere : Introiuimus in tabernacula eius, & adorauimus vbi ſteterunt pedes eius. Quanquam & altior hîc intellectus habeatur, tamen & ſimplici ſenſu ſecundum literam, cum res poſtulat, non abutendum eſt. Si ergo religioſa cupiditas eſt, loca videre in quibus Chriſtus ingreſſus & paſſus eſt, & reſurrexit, & vnde conſcendit ; & aut de ipſis locis exiguum puluerem, aut de ipſo Crucis ligno aliquid ſaltem feſtucæ ſimile ſumere & habere, benedictio eſt : conſidera, quanto maior & plenior gratia ſit, viuum ſenem vel teſtimonio diuinæ veritatis inſpicere ? Si præſepe nati, ſi fluuius baptizati, ſi hortus orantis Magiſtri, ſi atrium iudicati, ſi columna diſtricti, ſi ſpina coronati, ſi lignum ſuſpenſi, ſi ſaxum ſepulti, ſi locus reſuſcitati, euectique, memoria diuinæ quondam præſentiæ celebratur ; & veterem veritatem præſenti fide comprobant in rebus exanimis viua documenta : quàm religioſè aſpiciendus eſt hic quem alloqui Dei Sermo dignatus eſt ? cui ſe facies diuina non texit ? cui nunc Martyrem ſuum, nunc ſemetipſum Chriſtus oſtendit? &c. [Hinc igitur conſtat, ſancta templa Hieroſolymitana & circumuicina iam tum celeberrima fuiſſe peregrinationibus deuotorum : qua de re aliàs quoque multa dixi. Nunc autem de templo Nolano S. Felicis plura ex Paulini Natalibus audiamus. Primum itaque Natalem ſcripſit adhuc in Hiſpania conſtitutus, in quo propterea ſanctum Martyrem ſic precatur:

Paulin. Epiſt. ad Macarium.

Pſal. 131.

Vide in Indice, Peregrinationes.

Paulin. Natal. 1.

O pater, o Domine indignis licèt annue ſeruis,
Vt tandem, hanc fragilis trahimus dum corpore vitam,
Sedibus optatis & qua requieſcis in aula,
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coràm
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus, &c.
Et foribus ſeruire tuis, &c. & munere in iſto
Claudere promeritam, defeſſo corpore, vitam.

Natal. 2. Anno autem ſequente, Nolæ iam poſitus ſcribit hæc:

O pater o Domine, indignis licèt optime ſeruis,
Tandem exoratum eſt, inter tua limina nobis
Natalem celebrare tuum. &c.
Hoc bene ſubductam religaui littore claſſem,
In te compoſita mihi fixa ſit anchora vitæ.

Natal. 3. Deinde Natali tertio ſollemnem peregrinantium concurſum ad prædictum diem S. Felicis deſcribit his verſibus:

Nec modus eſt populis coëuntibus agmine denſo,
Nec requies, &c.
Stipatam multis vnam iuuat vrbibus vrbem
Cernere, totq́ue vno compulſa examina voto. &c.
Ipſaq́ue cæleſtum ſacris procerum monumentis
Roma Petro Pauloq́ue potens, rareſcere gaudet
Huius honore diei, portaq́ue ex ore Capena
Milia profundens ad amica mœnia Nolæ, & cætera poſt quæ Romam primum alloquitur his verbis:

Nam prius imperio tantum & victricibus armis,
Nunc & Apoſtolicis terrarum es prima Sepulcbris. &c. tum Nolam ſimiliter:
Te priùs alma pio celebrans altaria cultu
Presbyter inſtituit, placido & moderamine rexit:
Nunc quoque perpetuo decorat te nomine Felix.
Namq́ue tuo meritum in gremio ſacratus honorem,
Ducit odorifero pia conditus oſſa Sepulchro.
Aurea nunc niueis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis Altaria lychnis,
Limina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte dieq́ue micant, ſic nox † ſplendorq́ue diei
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis. &c.
Spargite flore ſolum, prætexite limina ſertis. &c.

† *forte,* ſplendore.

Natal. 6. De quo ornatu ſacri templi & diei plura dicit in alio Natali, à ſua paupertate volens non niſi carmina expectari.

aliȷ pretioſa ferant donaria, meq́ue

Officȷ

Officij ſumptu ſuperent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris.
Hi leues titulos lento poliant argento,
Sanctaq; præfixis obducant limina lamnis.
Aſt alij pictu accendant lumina ceris,
Multiforeſq; cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas.
Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo,
Vt medicata pio referant vnguenta Sepulchro, &c.
ego munere lingua
Nudus opum famuler, &c.

Tumulum deinde Martyris deſcribit, qualis olim fuerit, & qualis nunc ſit: XXXVI.

Pauper vbi primum tumulus &c.
Et manet in medijs, quaſi gemma interſita, tectis,
Baſilicas per quinque ſacri ſpatioſa Sepulchri
Atria diffundens, quarum faſtigia longè
Adſpectata inſtar magna dant viſibus vrbis.

De quibus quinque Baſilicis multa dixit in ſupra memorata duodecima Natal. 9.
Epiſtola ad Seuerum: & multa adhuc dicit in alio natali:

Ipſaque qua tumulus ſacrati Martyris extat,
Aula nouos habitus ſenio purgata reſumpſit.
Trina manus varijs operata decoribus illam
Excoluit bijugis, laqueati & marmore fabri,
Pictor Imaginibus diuina ferentibus ora. &c.
tectoq; supernè
Pendentes lychni ſpiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, &c.

De porticibus deinde agit, dicens eas præparatas eſſe bonis,

Quos huc ad ſancti iuſtum Felicis honorem
Duxerit orandi ſtudium, non cura bibendi.
Nam quaſi contignata ſacris cœnacula tectis
Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora ſedem.
Namque & Apoſtolici cineres ſub caliſe menſa
Depoſiti, placitum Chriſto ſpirantis odorem
Pulueris, inter ſacra Deo libamina reddunt.
Hic pater Andreas, &c.
Hic & Præcurſor &c.
Parte ſui cineris fraternum funus honorat. *Hic Thomas.*
Hic medicus Lucas &c *Agricola, Vitalis, Proculus, Euphemia,*

Hic &

Hic & Nazareus Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambroſii ſubſtrata mente recepi.

Tum verò tria limina deſcribit & ciſternas & cætera, porrò dicens quod iuuet audire Proteſtantes:

Nec mirere ſacras ſpacijs accreſcere caulas,
Creſcit vbique potens æterni gloria Chriſti,
Sanctorum cumulatur honor, Deus omnibus vnus
Noſcitur: &c.
Et quia Paſtor oues auget bonus, ampla redemptis
Creſcere cum gregibus fouet altius ouilia Chriſtus. Paſtorem intelligit Chriſtum, oues Chriſtianos, ouilia ſeu caulas Templa, quæ & aulas ac Baſilicas, quia Chriſtus rex eſt, vocat nonnunquam, interdum etiam Matres & Filias, quatenùs quædam alijs quaſi progenitæ ſint. Vnde eſt etiam conſuetudo vocandi Epiſcopum Sponſum Eccleſiæ, & Eccleſiam, defuncto Epiſcopo, viduatam. Non enim noſtræ ætatis ſunt iſta, ſed Paulino, Auguſtino, Chryſoſtomo, & alijs antiquiſſimis plurimum frequentata. quæ ad Rationes Diuinorum reddendas & intelligendas multum iuuerit ob-

XXXVII. ſeruaſſe. Sed redeo ad Porticus Paulini, qui deinceps picturas earundem ampliſſimas deſcribit his verſiculis:

Nunc volo Picturas &c.
Porticibus videas paulumq́; ſupina fatiges
Colla, &c.
Omnia namque tenet ſerie Pictura fideli,
Quæ ſenior ſcripſit per quinque volumina Moſes:
Quæ geſſit Domini ſignatus nomine Ieſus &c.
Iam diſtinguentem modico Ruth tempora libro,
Tempora Iudicibus finita, & Regibus orta
Intentis tranſcurre oculis: &c.

Quoniam verò tanta multitudo ſacrarum Picturarum non erat illis ſeculis admodum frequens, putauit Paulinus qui totos huiuſmodi picturis parietes oppleuit, reddendam ſui facti rationem:

Forte requiratur, quânam ratione gerendi
Sederit hæc nobis ſententia, pingere ſanctas
Raro more domos animantibus adſimulatis.
Accipite &c:
Quos agat huc ſancti Felicis gloria cœtus,
Obſcurum nulli, ſed turba frequentior his eſt
Ruſticitas &c.
Hæc adſueta diu ſacris ſeruire prophanis
Ventre Deo, tandem conuertitur aduena Chriſto,

Dum San-

Dum Sanctorum opera in Chriſto miratur aperta. &c.
Verùm vtinam ſanis agerent hæc gaudia votis,
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis. &c.
ignoſcenda tamen puto talia, paruis
Gaudia quæ ducunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tanta conſcia culpa
Simplicitas pietate cadit, malè credula Sanctos
Perfuſis halante mero gaudere Sepulchris. &c.
Propterea viſum nobis opus vtile, totis
Felicis domibus pictura ludere ſancta,
Si fortè attonitas hæc per ſpectacula mentes
Agreſtum caperet &c. Vbi dum dicit, totis Felicis domibus pictura ludere ſancta, manifeſtè indicat id quod dixi, ſe rationem reddere tantæ numeroſitatis picturarum ſuarum. Cæteroqui enim multis exemplis & teſtimonijs antiquioribus iam manifeſtum feci, ſacras Imagines cum alias, tum maximè Cruces, & extra templa & in templis, in frequentiſſimo & ſolenniſſimo vſu fuiſſe. vt reminiſci lector poterit Imaginis Chriſti apud Paneadem, & Imaginis S. Martini in Baptiſterio Seueri, quam hic ipſe Paulinus etiam venerandam nuncupauit, qui & alibi (vt hoc addam exemplis innumeris antè à me productis) teſtatur Naues iam tum inſignitas ſigno Crucis ad tutelam. Nicetæ enim, qui ex Dacia vſque viſitauerat Sepulchrum Felicis, redeunti iſta dicit:

Et rate armata titulo ſalutis *Paulin. Car. de Reditu Nicetæ.*
Victor antenna Crucis ibis vndis
Tutus & auſtris:

Poſtremò in Natali vltimo noua opera deſcribit in æde Felicis, ſcilicet tres cellas, & in media cella duos martyres pictos: in reliquis, hiſtoriam Iob cum Tobia, & Iudith cum Eſther. *Natal. 10.*

Et tribus in ſpatijs duo Teſtamenta legamus. &c. Poſt quæ ait:
Eſt etiam interiore ſinu maioris in aula
Inſita cella &c:
gemina Antiſtes gerit illic munera Chriſti,
In geminos adytum venerabile dedicat vſus,
Caſtifico ſocians pia Sacramenta Lauacro:
Sic pariter Templum nouat Hoſtia, gratia Fontem. &c.

De quibus luculentiùs egit in prædicta Epiſtola ad Seuerum. Denique de ijſdem inquit:

Quæ fuerant vetera, & noua nunc extare videntur. &c.

Et ſenibus tectis iuuenem pictura nitorem
Reddidit. &c.

XXXVIII Ex his igitur Paulini & aliorum vetuſtiſſimorum deſcriptionibus nemo dubitare poterit, quin iam tum Templa omnia Chriſtianorum fuerint Religionis noſtræ, ſiue quæ primitùs vel ædificata vel amplificata à Chriſtianis, dum Romani Imperatores adhuc Pagani eſſent, narrat Euſebius, cum alijs, dicens quoque ea à Diocletiano & alijs tyrannis furioſè diruta decem annis & deturbata eſſe: ſiue quæ à Conſtantino & alijs deinceps Chriſtianis Imperatoribus, alijſque pijs & locupletibus viris poſtea reſtaurata, ædificata, magnificèque ornata; à Iuliano autem Apoſtata, ab Arrianis, à Donatiſtis, ab Eutychianis hæreticis deſtructa, direpta, prophanata ſunt. ita vt nihil memoretur à quoquam de illis Templis agēte, quod ſit contra nos; nihil quod ſit pro Proteſtantibus; ſed omnia pro nobis, & innumera contra illos. Multiſque inſuper modis perſpicuum eſt (vt copioſè docui) eadem noſtra Templa fuiſſe Deo approbata, & populum per illa tempora Chriſtianum fuiſſe populum Dei, ſecundum illas luci-
Eſai. 60. „ diſſimas Prophetias,] Et venient curui ad te Filij eorum qui humiliaue-
„ runt te. [item,] Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges
„ eorum miniſtrabunt tibi. [item;] Domus mea, domus orationis voca-
Eſai. 56. bitur cunctis populis. [Maximeque, quia nullus hæreticus valet oſtendere tempus vllum, vel homines vllos, quando, & à quibus Templa illa antiqua mutata ſunt in habitum contrarium, ſicut fingunt eſſe habitum hunc Templorum huius noſtri temporis: atque idcirco, qualia nunc ſunt, talia ſemper fuiſſe (eo quòd nunquam ſic mutata ſint) nemo ſapiens ambiget. Vnde ſequitur, vt admoneantur cùm Proteſtantes tum omnes, iniuriarum iniquiſſimarum, quæ Eccleſiæ Catholicæ his cæcis & ſacrilegis temporibus ſunt illatæ. Quam ad rem meliùs intelligendam; ſcire oportet, iuſſiſſe olim Chriſtianiſſimos Imperatores, vt omnia Templa etiam quæ Hæretici ædificauerant, nedum quæ à Catholicis vi abſtulerant, in Catholicorum iure eſſent, nec quicquam vlli Hæretici nomine Eccleſiæ poſſiderent. Hæc ſæpiſſimè teſtatur contra Donatiſtas S. Augu-
Aug. Tract. 9. in Euãg. Ioan. ſtinus. Leguntur [inquit] leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperato-
„ res, eos, qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi
„ nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil
Cont. Epiſt. Parm. lib. 1. cap. 7. nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. [& alibi:] Locus verò ipſe, quo impia ſeparatio congregatur, redigatur in fiſcum. [Ipſique etiam Dona-
2 in pſ. 57. cōt. Petil. li. 2. c. 59. tiſtæ traxerunt ad ſuam vtilitatem leges has contra ſuos Hæreticos Maximinianiſtas, „ vt illos excluderent de Baſilicis, eaſque ipſi tenerent.

quemad-

quemadmodum etiam nunc Lutherani ſuos Caluiniſtas, & Anglopro-teſtantes ſuos Puritanos de Templorum poſſeſſione exturbant. Sed vt quicquid Donatiſtæ contra Maximinianiſtas ſuos habebant, hoc (conuincente Auguſtino luculentiſſimè) verè habuerunt Catholici contra ipſos Donatiſtas, vt eos oſtenderent eſſe hæreticos: ſic quicquid vlli Hæretici huius temporis prætendunt contra ſuos (vt ita dicam) ſubhæreticos, hoc verè habent Catholici huius temporis contra ipſos omnes. Et propterea vt olim, ſic etiam nunc Catholici iure optimo vindicare ſibi Eccleſiaſtica bona quorumcumque Hæreticorum, nedum recuperare ſua debent. Quanto autem magis contra iſtos Proteſtantes, qui hanc propriam & peculiarem (præter veteres illos Hæreticos) habent hæreſim, vt Templa omnia, quia Templa ſunt, hoſtiliter perſequantur, nec illam eorum ferre poſſint formam, ornatum, ſupellectilem, quæ ſemper ab initio ſine mutatione fuit? Non ſic veteres illi Hæretici, non Templa ſecundùm ſe ipſa oderunt, imò Templa habuerunt ſimilia Templis Catholicorum per omnia. Veruntamen hac ſola cauſa, quia Hæretici fuerunt, nec Catholica, nec ſua ipſorum Templa poſſidere permiſſi ſunt. Multò igitur magis Proteſtantes, qui non ſolùm Hæretici ſunt, verùm etiam Templa huiuſmodi, id eſt, omnia Templa Chriſtianorum, odio habent, Templa ipſa poſſidere non debent: ipſaque adeò Templa, quæ nunquam ſua fuerunt, ſed ſemper noſtra, quemadmodum omnia Altaria, omnes Calices, omnes feneſtræ, omnes parietes, & quæcunque alia in Templis viſuntur, clariſſimè teſtantur, quatenus inſignia noſtra & charactéres noſtros gerunt. Quare conſulant Hæretici, hortor & moneo, tandem aliquando ſaluti ſuæ, humiliterque agnoſcant latrocinia ac ſacrilegia ſua, quippe qui in Gallia euerterunt iamdudum [a] decem millia Templorum, & in Anglia (vt nihil de cæteris eorum locis dicam) tum ſolo æquarunt omnia Templa Monaſteriorum, tum reliqua etiam vniuerſa deformauerunt, ac diripuerunt, & annuos quoque prouentus omnes omnium inuaſerunt: cùm ne vnum quidem eorum vnquam deſtinatum ſit ipſis, vel ipſorum mulieribus, atque liberis; ſed omnia partim Monachis, partim ſocijs Monachorum, hoc eſt, communioni Catholicorum. Quòd ſi ergo certum ſit (vt eſt certiſſimum) eum qui furatus eſt equum, vel quid aliud priuati cuiuſcumque, effugere non poſſe damnationem, niſi per iuſtam reſtitutionem, & dignam pœnitentiam: non ſe tam ſtultè fallant, nec ſibi tam miſerè tamque damnabiliter blandiantur, vt putent, Chriſtum Dominum Iudicemque omnium permiſſurum, tam ſacrilegas rapinas, tamque inauditas prædas agi de bonis & dotibus

a *Surius ad An. 1567.*

Sponſæ ſuæ Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, quin demum, niſi reſtitutio & pœnitentia præoccupet faciem eius, condignè & atrociter vlciſcatur. id quod innumeri iſtorum prædatorum, magni & parui, principes & plebeij, reges atque ſubditi, qui hîc ad breuiſſimum temporis momentum in rebus Eccleſiaſticis (ſicut Balthaſar rex Babylonis) luxuriati ſunt, nunc in horrendis ac ſempiternis Gehennæ cruciatibus ſerò experiuntur.

MOTIVVM VIGESIMVM-SECVNDVM.

Quòd Diuina Officia, quæ in Templis prædictis diuinitus commendatis, ſiue ante eorum per Tyrannos demolitionem, ſiue poſt eorum per Chriſtianos reædificationem, ſiue vllo deinceps tempore celebrata ſunt, noſtra fuerint: quæ eadem & Deo fuiſſe gratiſsima demonſtrantur.

I. POST Templa ſuperiori Motiuo perpenſa, opportunum eſt hoc loco conſiderare Diuina, Officia, quæ in ijſdem Templis peragi ſolent, & cognoſcere ab Hæreticis, vtrùm velint conſentire, vt hanc Religionis quæſtionem & diſcutiamus inter nos, & determinemus ſecundùm eas Solennes Preces, propter quas Templa prædicta inſtituta ſunt, & quæ in eiſdem, tum perſecutionum primitiuarum temporibus, tum ſeculis omnibus deinde ſequētibus celebratæ ſunt. Sed quòd non conſentient ſine dubio, perſpiciunt ſagaces vel ex ſolo Motiuo antegreſſo, in quo facilè animaduertunt omnes, fuiſſe illam Religionem noſtram, quæ in illis templis ſiue nōdum deſtructis, ſiue pòſt reſtauratis, per preces iſtas & Officia colebatur. Et multo clariùs id perſpicient omnes ex
II. hoc præſenti Motiuo. Sed priùs vt cuncti intelligant, quàm dignū & iuſtū ſit in cauſa Religionis reſpicere ad iſta Officia Diuina, & quàm iniqui ſint Proteſtātes, ſi tergiuerſentur: recordētur, me iam euidenter demōſtraſſe, quòd Deus per Prophetas ſuos expreſsè teſtatus ſit, Populū Chriſtianum (qui in his Tēplis hæc Officia frequentauit) tum in illis Perſecutionibus, tum poſt illas, populum ſuum ſibíque bene placentem fuiſſe: item, Tēpla illa dictis Officijs deſtinata, Tēpla fuiſſe ſua. ex quibus ſequitur neceſſariò, Officia ſeu Orationes illas eidem etiā fuiſſe gratas & acceptas. quod ipſum expreſsè quoq; teſtatus eſt in eo quod dixit per Iſaiam Prophetā: Domus
Iſa. 56. mea, Domus Orationis vocabitur cunctis populis. vnde periuſtam ſeque-
Matth. 21. lam intulit Saluator reprehenſionem Iudæorū, qui Tēplum legale populi Iudaicū

Iudaici(& ſi non cunctorum populorum, vt Templa Chriſtiana) fecerant
Speluncam Latronum. Similiter in eo quod Dauid dixit: Omnes Gentes *Pſalm. 85.*
quaſcunq; feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabũt “
nomen tuũ. [idemq́; ex perſona Chriſti precantis in Paſſione ſua à Iudæis
illata:] Reſtitue animã meã à malignitate eorum, à leonibus vnicã meam; *Pſalm. 34.*
[ac inde promittentis Patri:] Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo *vide Ioan. 14.*
graui laudabo te. [& in alio Pſalmo propter Reſurrectionem ſuam eodem
modo:] Confitebor tibi in populis Domine: pſalmum dicam tibi in Gen- *Pſalm. 56.*
tibus. [vbi ipſe Dauid hoc ei in Spiritu ſuccinit:] Exaltare ſuper cælos
Deus: & ſuper omnem terrã [erit] gloria tua. [b] [Aliaq́; plurima in Pſalmis *b Iſa. 42. b. 10. & 51. b. 3.*
& Prophetis ſimilia, quæ per Eccleſiaſticas in Tẽplis preces ſolenniter &
irrefragabiliter adimplẽtur. Illuſtriſſimè autem in eo quod per Zachariam
Prophetam dixit:] Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes quæ *Zach. 12.*
veniunt contra Ieruſalem. Et effundam ſuper Domum Dauid & ſuper “
habitatores Ieruſalem [id eſt, ſuper populum Chriſti & Eccleſiæ] Spiri-
tum gratiæ & Precum: [a] & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plan- *a Ioan. 19.*
gent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt do- “
leri ſolet in morte primogeniti. &c.

III. Porrò ab hac inconcuſſa auctoritate Eccleſiaſtici Officij profectũ eſt,
quòd SS. Patres inde cõtra varios Hæreticos maxima cũ fiducia argumen-
tentur: vt S. Auguſtinus cõtra Pelagianos frequentiſſimè: probans nimirũ,
Paruulos naſci obnoxios peccato Originali, eos etiã qui fideles habent pa- *Aug. Epiſt. 105.*
rẽtes,] quia fidelis Dominus in verbis ſuis, & propterea eius Eccleſia nullo “
modo fallaciter paruulos in remiſſionem peccatorum baptizat, ſed vt fide “
agatur quod agitur, vtiq; fit quod dicitur. [Et de hoc Eccleſiæ ritu in Bap- “
tiſmo audet vir doctiſſimus aſſeuerare, Pelagianos veritatis põdere premi,
item, eos apertiſſima mole veritatis vrgeri. Alium quoq; ibi vrget contra “
eos ritum Baptiſmi, quo exorcizãtur & exufflantur infantes: dicens inde “
audacter,] Secundũ ſuã calliditatẽ non inueniunt, quid ad hoc reſpõdeant. “
[rurſus,] Non audent dicere, hæc in Eccleſia mendaciter geri. [Alibi etiam “
contra eoſdem Hæreticos eodem argumento probat, neminẽ ſuis viribus, *Auguſt. de Bo. perſ. ca. 22. 23.*
ſine gratia Dei, poſſe vel ad Chriſtum Dominũ accedere per fidem, vel in
eo perſeuerare vſq; ad finem. Vtinã [inquit] tardi corde & infirmi, qui nõ “
poſſunt vel nondũ poſſunt Scripturas vel earum expoſitiones intelligere, “
ſic audirent, vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, vt “
magis intuerentur Orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia “
ab exordijs ſuis, donec finiatur hoc ſeculum. [& mox:] Quando enim non “
oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis eius, vt crederent? “

„ Quando fidelis quiſquam amicum, proximum, coniugem habuit in fide-
„ lem, & ei non petiuit à Domino mentem obedientem in Chriſtianam
„ fidem? Quis autem ſibi vnquam non orauit, vt in Domino permaneret?
„ Aut quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum inuocantem, ſi quando
„ dixit, da illis Domine, in te perſeuerare vſque in finem, non ſolùm voce
„ auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs ſuper ta-
„ lem eius benedictionem & corde credente, & ore confitente reſpondit,
Amen. Qui ritus vtriuſque Sacramenti, Baptiſmi ſcilicet & Miſſæ, vrgentur ſimiliter contra eoſdem Hæreticos in libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus, cum hac inſigni ſententia: legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi. Eodem argumento à precibus Eccleſiæ ducto Donatiſtas ſæpè confundit S. Optatus, cuius verba inferiùs ponam. Eſt etiam vbi ipſos quoque Gentiles premunt ritibus Eccleſiæ, inde conuincentes, Chriſtum ſolum Deum eſſe, vt cum dicit Euſebius inter alia Deitatis Chriſti argumenta:] Aut quis cunctis totius Orbis terrarum incolis, ſeu terra
„ ſeu mari illi ſint, præſcripſerit, vt ſingulis ſeptimanis in vnum conue-
„ nientes, diem Dominicum feſtum celebrarent? Sæpiſſimè autem hoc eodem argumento Canonem etiam Sacrarum Scripturarum contra Hæreticos & Gentiles ſuffulciunt. vt cùm S. Auguſtinus quibuſdam Pelagianizantibus dicit: Non debuit repudiari ſententia Libri Sapientiæ (tanquam non de libro Canonico adhibita, ſic enim illi calumniati ſunt) qui
„ meruit in Eccleſia Chriſti, de gradu Lectorum Eccleſiæ Chriſti, tam
„ longa annoſitate recitari: & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis vſque
„ ad extremos laicos, fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione Diuinæ auctoritatis audiri. vt etiam cùm S. Chryſoſtomus contra Gentiles de vmbra Petri & Veſtibus Pauli, in Actis Apoſtolorum, dicit:] Quæ omnia ſi quis figmentum eſſe dicat: certè quæ nunc conſpiciun-
„ tur, ad blaſphemium os obturandum ſatis ſuperque fuerint. Nulla eſt enim
„ noſtri huius Orbis ſeu regio, ſeu gens, ſeu vrbs, vbi noua atque inopinata
„ miracula hæc non decantentur.

De Eccleſ. Dog. ca. 30. 31. ex Decreto 11. Celeſt. P.

a Opt. lib. 2. fol. 20. 24. & lib. 3. fol. 41.

Euſeb. de laud. Conſt. pag. 387.

Auguſt. de præd. Sanct. cap. 14.

Chryſ. de S. Babyl. col. 812.

IIII. Cùm igitur tam ſolidæ auctoritatis ſint Diuina vniuerſalis Eccleſiæ officia, certè apud homines mites & ſalutis ſuæ ſollicitos, ſatis eſſe deberet, ad Proteſtantes auerſandos, hoc vnicum, ſuperque ſatis, quòd non ſolùm probantur, verum etiam profitentur contrarij eſſe Officijs Eccleſiaſticis, idque in rebus tam innumeris, vt Miſſale, Breuiarium, ceteroſque libros omnes iſtorum Officiorum in totum abijciant, atque dilacerent. Non enim auctoritas iſta tribuitur Eccleſiaſticis vnius vel alterius ſeculi precibus, ſed (vt dixit S. Auguſtinus) intuendæ ſunt Orationes, quas ſem-

quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordijs ſuis, donec finiatur « hoc ſeculum. ita vt D. Paulus de talibus (loquitur enim de ritu orandi 1. Cor. 11. cum velamine) dixerit ſuo tempore inter exordia:] Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque « Eccleſia Dei. [item quadringentis pôſt annis S. Auguſtinus ſuo tempore de ſimilibus:] Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin Aug. Epiſt. 18. cap. 5. ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Nec afferre quicquam poſſunt Hæretici, cur minus idem dicamus de Eccleſia ceteris quoque temporibus, quæ poſt Auguſtinum fuerunt, vel etiam poſt nos erunt: quippe quam in alijs Motiuis, maximeque in primo demonſtrauimus ex Scripturis eandem ſemper eſſe, & eandem auctoritatē ab exordio ſui ad finem ſeculi obtinere. Qui igitur non ſunt contentioſi, nihil aliud requirent poſtquam vident, Proteſtantes aduerſari Diuinis ritibus & officijs, quæ vel hodie per totum orbem frequentat Eccleſia.

Veruntamen vt contentioſiſſimis etiam (ſi quo modo voluerint) pleniſſi nè ſatisfiat, non præſentia ſolùm, ſed antiqua etiam Officia videamus, & quorum illa fuerint, noſtráne an Proteſtantium, expendamus. Quam ad rem inueſtigandam quid poteſt eſſe aptius, quàm vt interrogemus Proteſtantes, illique nobis reſpondeant, ſiquidem antiqua officia V. erant illorum, & præſentia tantùm officia ſunt noſtra, quando & à quo facta ſit hæc tanta Officiorum Diuinorum mutatio, vt iam non eadem ſint cum antiquis, verum etiam illis omnino contraria. Certum autem eſt, illos tempus huiuſmodi, vel perſonas huiuſmodi aſſignare non poſſe. Quod enim multum ſe feciſſe putant, quando nominant primos Auctores quarundam partium Officij Miſſæ, nihil hoc eſt (vt prudentes facilè animaduertunt) niſi oſtendant inſuper, illas partes non ſolùm nouas eſſe, verùm etiam contrarias antiquæ fidei. Multa enim noua ſunt in Officijs Diuinis, quæ ipſi tamen Proteſtantes etiam retinenda putauerunt, vt [a] Gloria Patri, Te Deum, Quicunque vult, cum alijs non a Niceph. lib. 13. cap. 51. paucis. imò vt videant omnes abſurditatem hominum, eas ipſas partes Miſſæ quas inſimulant nouitatis, ipſi tamen criminatores in celebratione Communionis ſuæ Caluiniſticæ retinuerunt, cuiuſmodi ſint, Kyrie eleyſon, Gloria in Excelſis, Epiſtola, Euangelium, Symbolum, cum alijs quibuſdam. eas verò partes, quarum originem nullam, niſi Apoſtolicam, poſſunt oſtendere, exploſerunt, quo in numero ſunt partes omnes ſubſtantiales ſacroſancti Canonis, vt Commemoratio Sanctorum, Commendatio defunctorum, Sacrificatio pro fidelibus omnibus, aliaque nonnulla. Hoc eſt igitur Hæreticorum abſurdum facinus. Catholici autem

contrà

contrà ſicut vetera, ſic etiam recentiora, non ſolùm quæ Proteſtantes, ſed & reliqua, amplectimur, hæc duo ſcientes, primum quòd pleraque non ſint noua, quæ illi imperitè putant; deinde, & hoc maximè, quòd (vt prædixi) nihil eſt antiquæ & Apoſtolicæ fidei contrarium. imò quod plus eſt, omnia ferè poſteriora additamenta facta ſunt propter fidem Apoſtolicam magis inculcandam,& ſolenniùs prædicandam,contra Hæreticos quoſlibet qui eam inceperant conuellere. Hinc ſunt in Diuinis Officijs tam infinita (vt multa antea quoque fuerunt) contra Pelagianos pro neceſſitate Diuinæ per Chriſtum gratiæ; tam infinita etiam de duobus primarijs Myſterijs, Diuinæ ſcilicet Trinitatis, & Dominicæ Incarnationis, contra Arrianos, Neſtorianos, & alios plurimos vetuſtiores Hæreticos. Quæ eſt certè diuina, & indubiè à Spiritu Sancto magiſtro hauſta ſapientia Eccleſiæ Dei, vtpote quæ hac potiſſimum ratione perfecit, vt hæreſes illæ, licèt olim longè, latè, diuque regnaſſent, tamen multis poſtea ſeculis penitus deſertæ ab omnibus, & ſepultæ obliuione fuerint, vtque vniuerſi fidem Apoſtolorum, Concilijs plurimis ſtabilitam, vnanimes colerent, donec hoc infelici ſeculo prodierunt ex Schola Lutheri, qui Hæreſes omnes antiquas è ſepulchris, imò ex inferis reuocant, vt venienti Antichriſto viam præparent expeditam. ita vt iam (verbi gratia) exiſtant in Polonia Hæretici innumerabiles Trinitarij (ſic enim nuncupantur) qui Symbolum S. Athanaſij audeant incredibiliter blaſphemare: Symbolum illud mirabile atque diuinum, cuius ſingula ferè verba ſingulas antiquas hæreſes perſtringunt, cuius ſolennis tam longa annoſitate in Eccleſia Chriſti decantatio eaſdem hæreſes iugulauit, obruit, & deleuit. Cùm igitur talia ſint omnia noſtra officia diuina, fruſtrà garriunt Proteſtantes de quorundam nouitate, quaſi Deum & fidem Apoſtolorum minùs liceat nouis in Eccleſia precibus, quàm nouis concionibus, nouis libris, nouis concilijs celebrare.

Quæ ſola tametſi iuſtiſſima ſit defenſio, tamen ne antiquitas rerum noſtrarum ignoretur: hoc primùm intelligant omnes, extare plurima varijs ſeculis Scriptorum Commentaria in Diuina Officia,quorum multos vno volumine edidit Melchior Hittorpius Coloniæ anno 1568. Quemadmodum enim ſiquis dubitaret de libris Sacræ Scripturæ, vtrum eſſent antiqui, & ijdem ipſi qui nunc circumferuntur, doceri optimè poſſet, ſi oſtenderentur ei Commentaria, quæ diuerſi diuerſis ætatibus in illos conſcripta reliquerunt: eodem modo monumenta eorum, qui longis ſeculis Diuina Officia, vel ſimpliciter, vel myſticè tractauerunt, facillimè nobis demonſtrant & antiquitatem, & ſpeciem eorundem.

Commentaria de Diuinis Officiis.

Tales

Tales igitur expoſitores (vt quoſdam indicem, incipiens à poſtremis) fuerunt [a] Radulphus Decanus Tungrenſis circa annum Domini 1400: Durandus epiſcopus Mimatenſis, anno [b] 1276, cuius vulgatiſſimum eſt quod dicitur Rationale Diuinorum: S. Thomas Aquinas in doctiſſima & admirabili [c] Summâ ſuâ Theologicâ, anno 1260: Ioannes Belethus Theologus Pariſienſis, anno 1200, cuius Rationale iungi ſolet Durando: Rupertus abbas Tuitienſis de Diuinis officijs, & [a] Hildebertus epiſcopus Cenomanenſis, anno 1120: [a] Ioannes epiſcopus, cuius eſt qui vocatur Micrologus, & [a] Iuo Carnotenſis epiſcopus, anno 1080: [a] Berno abbas, anno 1040: [a] Walafridus Strabo abbas, anno 840: [a] Amalarius epiſcopus, auditor Alcuini, anno 820: [a] Rabanus Maurus, archiepiſcopus Moguntinus, auditor eiuſdem Alcuini, anno 810: Ipſe etiam [a] Alcuinus, ſeu Albinus, Anglus, & Abbas, diſcipulus Venerabilis Bedæ, anno 780: & ante hos omnes, anno 630. [a] Iſidodorus iunior, Hiſpalenſis epiſcopus, diſcipulus S. Gregorij primi. Qui igitur horum lucubrationes leget, videbit oculis ſuis, quòd noſtra ſint Diuina Officia, in qua illi ſcripſerunt, alij quidem totum corpus eorum, alij verò partes quaſdam, & maximè Miſſam, exponentes. Videbit præterea, quòd eadem Diuina Officia hi omnes non tanquam recentia, ſed tanquam multò ſe antiquiora adgrediantur exponere, ita vt paſſim etiam profiteantur, ſe quorundam rationes & cauſas non tam certò adſequi, propter antiquitatem. quod etiam Tractatoribus Sacrarum Scripturarum ſæpè contingit, vt longum inter earum conſcriptionem, & ætates ſuas interuallum excuſent, quòd de quorundam locorum ſenſu minus audeant confirmare.

a in libro Hittorpii.
b Dur. Rat. lib. 8. cap. 12.
c Thom. 1. 2. q. 102. & 3. q. 83.

Et in hoc citò mihi conſentiet, qui tria adhuc iſta conſiderat. Primum, quòd ſi S. Gregorius (idemque dico de quouis alio) non antiqua Officia tranſmiſiſſet ad poſteros, ſed ea mutaſſet (vt Proteſtantes dicere debent) in contraria, vtique non inde ſiluiſſent Scriptores, quippe qui hac in parte tam diligentes fuerunt, vt minima quæque additamenta ſignauerint, ita vt hinc arripuerint Proteſtantes occaſionem faciendi vaniſſimas ſuas (quas vocarunt) Anatomias Miſſæ. quale eſt quod notauit Venerabilis Beda, dicens de prædicto Beato Papa Gregorio: Sed & in ipſa Miſſarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena ſuperadiecit:] [1] Dieſque noſtros in tua pace diſponas: [2] atque ab æterna damnatione nos eripi, [3] & in electorum tuorum iubeas grege numerari. [quale eſt etiam quod ſcribitur in

Bed. Hiſt. Ang. lib. 1. cap. 1.

vita S. Leonis primi, qui S. Gregorium primum centum quinquaginta
» annis anteceſſit: Statuit, vt in Actione Myſterij diceretur, Sanctum Sa-
» crificium immaculatam hoſtiam. [quæ adiectiones vbi nunc habeantur,
norunt Sacerdotes.

Secundò quòd ſi quis aliquid ita contrarium introducere voluiſſet,
ceteri viri Eccleſiaſtici atque Chriſtiani nunquam paſſi eſſent, vtpote
qui non modo contrarijs, ſed minimis etiam mutationibus maximè con-
tradixerunt. conſulatur inde quintum Motiuum noſtrum. exempla
Euagr. lib. 3. cap. 44. huius generis ſunt, quod de Anaſtaſio Imperatore ſcribit Euagrius: Per
» idem tempus Conſtantinopoli grauiſſima ſeditio propterea à populo cie-
» batur, quòd Imperator ad Hymnum Triſagium [in quo dicimus, Sancte
a Niceph. lib. 18. cap. 51. Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, Miſerere nobis: quod ª putatur
ſumptum eſſe ex illo Pſalmi, Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum]
Pſalm. 41. illud, Qui crucifixus es pro nobis, addere voluit, [ſecundum hæreſim
Theopaſchitarum, qui non Chriſtum iuxta humanitatem, ſed ipſam
Trinitatem dixerunt crucifixam eſſe, qui paulò ante Anaſtaſium Impe-
Niceph. lib. 15. cap. 28. ratorem orti ſunt à Petro Cnapheo Epiſcopo Antiocheno, de quo Nice-
VII. phorus. Exemplum murmurationis ob leuem eamque iuſtam mutatio-
nem eſt in Epiſtola S. Gregorij ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum,
Greg. lib. 7. Epiſt. 63. quæ huc tranſcribenda eſt tota:] Veniens quidam de Sicilia, mihi dixit,
» quòd aliqui amici eius vel Græci vel Latini, neſcio quid quaſi ſub zelo
» ſanctæ Romanæ Eccleſiæ de meis diſpoſitionibus murmurarent, dicen-
» tes: Quomodo Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſpoſuit compri-
» mere, qui eius conſuetudines per omnia ſequitur? Cùm enim dicerem,
» Quas conſuetudines ſequimur? reſpondit: ¹ Quia Halleluia dici ad
» Miſſas extra Pentecoſtes tempora feciſtis: ² quia Subdiaconos ſpoliatos
» procedere: ³ quia Kyrie eleyſon dici: ⁴ quia Orationem Dominicam
» mox poſt Canonem dici ſtatuiſtis. Cui ego reſpondi, Quia in nullo
» eorum ſecuti aliam Eccleſiam ſumus. [id imprimis oſtendit in primo:]
» Nam vt Halleluia hìc diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex B. Hie-
» ronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ, traditur tra-
» ctum: & ideo magis in hac Sede illam conſuetudinem amputauimus, quæ
» hìc à Græcis fuerat tradita. [Deinde in ſecundo:] Subdiaconos autem vt
» ſpoliatos procedere facerem; [id eſt, in Proceſſionibus vti lineis tantùm
vel albis, non etiam ſericis vel tunicellis] antiqua conſuetudo Eccleſiæ
» fuit. Sed placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos
» procedere præcepit. Nam veſtræ [in Sicilia] Eccleſiæ, nunquid tradi-
» tionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie, vt Subdiaconi
lineis

lineis tuuicis procedant, niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia per- «
ceperunt? [tum in tertio:] Kyrie eleyſon autem nos neque diximus, «
neque dicimus, ſicut à Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes di- «
cunt: Apud nos autem à Clericis dicitur, à populo reſpondetur: & «
totidem vicibus etiam Chriſte eleyſon dicitur, quod apud Græcos nullo «
modo dicitur. In quotidianis autem Miſſis alia quæ dici ſolent tacemus: «
tantũmodò Kyrie eleyſon & Chriſte eleyſon dicimus, vt in his depreca- «
tionis vocibus paulò diutiùs occupemur. [Denique in quarto oſtendit:] «
Orationem autem Dominicam idcirco mox poſt Precem dicimus, quia «
mos Apoſtolorum fuit, vt ad ipſam ſolummodò Orationem [nulla ſci- «
licet inter verba Conſecrationis & ipſam, Prece interpoſita] Oblationis
hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconueniens viſum eſt, vt Pre- «
cem, quam Scolaſticus compoſuerat, ſuper Oblationem diceremus, & «
ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius Cor- «
pus & Sanguinem non diceremus. Sed & Dominica Oratio apud Græ- «
cos ab omni populo dicitur: apud nos autem à ſolo Sacerdote. [Conclu- «
dit igitur hanc primam reſponſionem, dicens: In quo ergo Græcorum «
conſuetudines ſecuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparauimus, aut «
nouas & vtiles conſtituimus, in quibus tamen alios comprobamur imi- «
tari? Ergo veſtra charitas, dum occaſio dederit, vt ad Catanenſem «
ciuitatem pergat, vel in Syracuſana Eccleſia eos, quos credit, aut intel- «
ligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & «
quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. [Aliam deinde reſpon-
ſionem parat, & dicit: Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia, quod di- «
cunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? Quod & Do- «
minus pijſſimus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis «
Epiſcopus aſſiduè profitentur. Tamen ſiquid boni vel ipſa vel altera Ec- «
cleſia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono «
imitari paratus ſum. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, vt «
bona quæ viderit, diſcere contemnat. [Digna pectore ſapientiſſimo, & *Gregor. lib.*
pijſſimo ſententia. ex quo profecta eſt & illa ad S. Auguſtinum Anglo- *12 epiſt & apud Bed.*
rum Apoſtolum reſponſio. Nam interrogauit eum Auguſtinus:] Cur *Hiſt.lib.1.*
cùm vna ſit fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diuerſæ? Et *cap.28.*
altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque altera in Gal- *Eſt Interrogatio tertia.*
liarum Eccleſijs tenetur? [Reſpondet Gregorius:] Nouit fraternitas tua «
Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit enutritam. Sed «
mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicana, ſeu in qualibet Eccleſia «
aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè «

„ eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc ad fidem noua eſt (nam
b Auguſt. epiſt. 118. cap. 1. in [b] Antiquis Eccleſijs mutatio omnis eſt difficilis & ſcandaloſa) inſti-
„ tutione præcipua quæ de multis Eccleſijs colligere potuiſti, infundas.
„ Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſin-
„ gulis ergo quibuſque Eccleſijs quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt,
„ elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in
„ conſuetudinem depone. [Partim igitur ex ſilentio Scriptorum, partim ex murmuratione Zelatorum, perſpicuum eſt, nullam talem in Officijs Diuinis mutationem factam eſſe, qualem Proteſtantes, vt ſuam mutationem defendant, debent adſtruere: nam contra etiam ſi quam fecit Gregorius mutationem, oſtendit feciſſe ſe ſecundum exempla antiquiorum.

Vnde & tertiò conſiderabit Lector, ea quæ his de rebus etiam ante S. Gregorium ſcriptis prodita ſunt à ſanctis Patribus antiquioribus (quæ certè plurima ſunt) in nullo vnquam aduerſari noſtris, at verò Proteſtantibus tam ex diametro repugnare, quàm repugnant illis Diuina Officia quæ hodie vſurpantur: Et hoc, quia nimirum & illa & iſta (quemadmodum etiam Gregorianum Romanæ Eccleſiæ & Ambroſianum Mediolanenſis Eccleſiæ, & quæcumque alia in Eccleſijs Catholicis varia ſunt) non contraria, ſed planè (quantum ad ſubſtantiam pertinet) eadem ſunt. Scrutentur alioqui Proteſtantes Scripta Veterum, quibus in locis mentionem faciunt Diuinorum Officiorum quæ ſuis temporibus frequentata ſunt, & conferant ea cum noſtris, atque oſtendant contrarietatem. Quod illos nunquam facturos, probè intelligunt ſapientes ex his que iam dixi, magiſque intelligent ex his quæ adhuc dicturus ſum.

VIII. Ego enim certè, licet inter doctos Catholicos nullus ſum, tamen ex pauca lectione mea facilè animaduerto, illa eſſe relicta nobis ab antiquiſſimis Patribus de Diuinis Officijs teſtimonia, quæ ſi quis catholicus diligens & intelligens colligere velit in vnum, eaque ſuis locis adaptare, facere poſſit exquiſitum in Eccleſiaſticos noſtros Diuinorum Officiorum libros commentarium. Vnde etiam Paſtores toto anno poſſent concionari ad populum (iuxta exempla Veterum Patrum, qui in Sermonibus ſuis talia frequenter admiſcent) maxima cum eorum & voluptate & vtilitate, ſiue ad docendum fidem, ſiue ad formandum mores: ſic abunde
Trid. Conc. Seſſ. 22. ca. 8. ſatisfacientes mandato Concilij Tridentini, ſapienter & prouidè iuben-
„ tis,] vt Paſtores, & ſinguli curam animarum gerentes, frequenter inter
„ Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex ijs, quæ in Miſſa
„ leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera Sanctiſſimi huius Sacrifi-
„ cij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & Feſtis,

id quod

ad quod magna cum facilitate & pia delectatione cùm ſui tum Auditorum facerent, non ſolùm in Miſſa, ſed & in cæteris Diuinis Officijs, ſi eorum rationes & ſimplices & myſticas reddere ex Antiquitate cognoſcerent. Nam vt in ipſa Scriptura ſacra contingit, vt multa quibuſdam vileſcant, maximè in ceremonijs Sacrorum, Sacrificiorum, Sacramentorum & Obſeruantiarum variarum Veteris Teſtamenti, cum à Tractatoribus indoctè & frigidè differuntur; contraque ſint in admiratione omnium, etiam pili, fibulæ, claui Tabernaculi, & ſiquid aliud minoris momenti eſſe videatur, quando vel ex Epiſtola ad Hæbræos, & alijs Scriptis Apoſtolicis, vel ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus, rationes eorum ad vnum explicantur: ad eundem modum Rationale ſeu farrago Durandi nemini in pleriſque ſatisfacit, multos etiam indoctiores in multis offendit. ſed ſtultè & abſurdè faciunt Hæretici, cùm Durandi (vt putant) ineptias conuertunt in irriſionem ipſius Officij Diuini: quemadmodum & ſiquis incidens in ineptos Diuinæ Scripturæ interpretes, inciperet ipſam Diuinam irridere Scripturam. Erit autem ſolida contra Hæreticos, grauis, & vtilis tractatio, ſi (vt dixi) ab Antiquitate petatur auctoritas. quo etiam fieret, vt multi certè quibus nudus diſplicet nunc Durandus, ſibi ipſi potiùs diſplicerent. viderent enim hoc modo rationes Durandi ſæpè eſſe ſolidiores & elegantiores quàm opinantur. Sed de tali Commentario ſeu Rationali hæc admonuiſſe ſufficiat. requirit enim multum & iudicij & induſtriæ & temporis & ſudoris. Noſtro autem hic inſtituto ſatis erit, ſi guſtum modo huiuſce rei lectori dedero. *Durandi Rationale.*

IX. Intelligant igitur rudiores, Eccleſiaſtica Officia noſtra omnia ferè quatuor libris contineri, Breuiario, Miſſali, Manuali ſeu Sacerdotali, & Pontificali. Breuiarium complectitur officium quotidianum, nocturnum & diurnum, totius anni, ſiue de Tempore, ſiue de Sanctis. Miſſale continet Miſſas quotidianas eidem quotidiano officio reſpondentes. Sacerdotale habet formam baptizandi, copulandi matrimonio, vngendi infirmos, ſepeliendi mortuos, & ſiquid aliud ad Sacerdotis miniſterium pertinet ſpecialiter. Pontificale denique continet formam confirmandi baptizatos, ordinandi clericos, conſerandi Virgines, Monachos, Eccleſias, ſacra vaſa & veſtes, & ſiquid aliud Pontificis ſeu Epiſcopi miniſterio proprium eſt & peculiare. Quæ omnia ſi in ipſis libris legas duntaxat, & multo magis ſi interſis cùm in Eccleſijs noſtris religioſè & ſollemniter celebrantur, miror (modò non ſis filius peſtilentiæ) niſi venerationi & amori habeas.

Sed vt clariùs videas, quàm meritò id facias, Antiquitatem (inquam) conſulamus, & officia Diuina, ſicut poſt Gregorium primum, ita etiam ante eum, vtrùm hæc noſtra fuerint, diſpiciamus. Id verò tum ex ſupradictis, tum ex iam dicendis, multipliciter cognoſcemus.

X. Primum enim conſideremus ea loca ſanctorum Patrum, in quibus premunt quoſlibet Hæreticos antiquos auctoritate Diuinorum Officiorum, & obſeruemus ea Diuina Officia quorum nunc ſint, vtrum noſtra an Proteſtantium. vt cùm paulò antè S. Auguſtinus Pelagianos perurgebat, non ſolùm generaliter dicendo:] Orationes quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordijs ſuis, donec finiatur hoc ſeculum [nam tales orationes non ſunt, & talis Eccleſia non eſt vlla niſi noſtra, vt Hæretici quoque ipſi concedunt, verùm etiam exprimendo] Exorcizationem & exufflationem [paruulorum qui ducuntur ad baptiſmum; & de libro Sapientiæ, quòd] de gradu lectorũ Eccleſiæ Chriſti tanta annorum numeroſitate recitatur, & ab omnibus Chriſtianis cum veneratione Diuinæ auctoritatis auditur.

XI. Secundò obſeruemus vbi ſancti patres narrant diuina officia impedita vel ſublata à perſequutoribus, vel hæreticis, vel paganis, vel ipſo etiam Antichriſto, & ad quos, vtrum ad nos ſcilicet an ad Proteſtantes, ea officia ſpectauerint, ſimiliter perpendamus. Talia loca commemoraui in quibuſdam motiuis antegreſſis, ex ſancto Victore Vticenſi, qui referens eccleſias Catholicorum per Aphricam à Genſerico cum ſuis Vandalis Arrianis deuaſtatas:] Quis verò [inquit] ſuſtineat ſine lachrimis recordari, dum perciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine ſolennitate Hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci? [Rurſus:] Neque vſquam orandi aut immolandi concedebatur gementibus locus. [Vnde & ſucceſſorem eius Regem Hunericum minatum eſſe vniuerſis Epiſcopis Catholicis, & dixiſſe,] Plurimi ſacerdotum veſtrorum reperti ſunt contra Interdictum Miſſas egiſſe. Et quod hìc dicitur Miſſas agere, idem fuit (vt alibi oſtendi) Conuentus celebrare, quos Pagani tam ſæpè narrantur in Hiſtoria Eccleſiaſtica interdixiſſe. Quin etiam ex Hippolyto Martyre produxi teſtimonium, quod ipſe quoque Antichriſtus idem Interdictum promulgabit. Nam] Pretioſum Corpus & Sanguis Chriſti non extabit [inquit S. Hippolytus] in diebus illis: Liturgia [quam Latini Miſſam vocabant ſemper, ipſeque Eraſmus eodem modo interpretatur Liturgiam id eſt Miſſam Chryſoſtomi] extinguetur: Pſalmorum decantatio ceſſabit.

Moti. 20. num. 7. 8. 9. 10. Moti. 21. Victor. de perſ. vand. fol. 3. b.

Moti. 20. num. 7. 8. 12. 13. 14. 15. Moti. 20.

XII. Tertiò, quod ſingulis diebus facit Eccleſia noſtra in Officio ſuo, an idem

an idem fecerit vetus Eccleſia, inquiramus. Nunc enim Eccleſia vt ſecundum Apoſtolum & ipſum Chriſtum ſine intermiſſione oret, neque noctе neque die vacat ab hoc ſancto opere. Nocturnum igitur vocatur Officium, quod nocte peragit, conſtatque illud interdum vno, interdum tribus Nocturnis, vnà cum Laudibus, iuxta quatuor vigilias Militares, ad quas alludit Chriſtus, cum nos hortatur ad vigilandum in oratione. Diurnum autem Officium eſt, quod die agitur, conſtatque id ſecundum Parabolam de conductis in vineam, Hora Prima, Tertia, Sexta, Nona, veſperis ſeu Hora vndecima, & Completorio. quæ ſex diurnæ Horæ, cum prædicto Nocturno, efficiunt nobis Septem (quas vocamus) Horas Canonicas, ex quibus dicere poteſt eccleſia cum Dauide, Septies in die laudem dixi tibi. Et recolit quidem Eccleſia Horis iſtis alia quoque beneficia, pro quibus laudat Deum, ſed maximè articulos varios Salutaris Paſſionis Dominicæ, quæ caput eſt omnium beneficiorum Dei humano generi præſtitorum. qui articuli comprehenſi ſunt quibuſdam Verſibus non tam elegantibus quàm deuotis, qui in Gloſſa quadam habentur in hæc verba:

1. Theſ. 5. Coloſ. 4. Luc. 18. Luc. 12. 21. Matth. 20. Pſal. 118. Gloſſ. in cap. 1. de Cel. Miſſ.

Hæc ſunt, ſeptenis propter quæ pſallimus Horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat:
Prima replet ſputis: cauſam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit: latus eius Nona bipartit:
Veſpera deponit: Tumulo Completa reponit.

Quid eſt igitur obſecro in hoc inſtituto, quod Chriſtiano diſpliceat, quod non admodum placeat, quemadmodum & iugis Meditatio Paſſionis Domini longè dulciſſima? Sed cæcis Proteſtantibus formam oſtendamus hac in parte Eccleſiæ etiam Primitiuæ. Antiquiſſimus igitur Cyprianus in libro de Oratione Dominica (quem librum S. Auguſtinus & alij veteres frequentiſſimè citant) de his ipſis Septem Horis Orationis eccleſiæ ita ſcribit, earum etiam ſignificationes Myſticas non tacens, & ſi imperiti Hæretici talia in Rationali Diuinorum deridenda putent:] In orationibus verò celebrandis [inquit Cyprianus] inuenimus obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in Captiuitate victores, Horam Tertiam, Sextam, Nonam: ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in Nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat. [quod Sacramētum ſeu Myſticam ſignificationem Trinitatis ex his Horis pulcherrimè ibi deducit vir ſanctiſſimus atque doctiſſimus, addens deinde, quod &] ſuper Diſcipulos Hora Tertia deſcendit Spiritus Sanctus, qui gratiam Dominicæ repromiſſionis impleuit. Item Petrus Hora Sexta in tectum ſuperiùs aſcendens, ſigno-

Cyp. de Or. Dom. Num. 15. Dan. 6. Act. 2. Act. 10.

» ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, vt omnes ad gratiam
» ſalutis admitteret, cum de emundandis gentilibus antè dubitaret. & Do-
Luc. 23. » minus Hora Sexta Crucifixus, ad Nonam peccata noſtra ſanguine ſuo
» abluit, Et vt redimere & viuificare nos poſſet, tunc victoriam ſuam Paſ-
ſione perfecit. [Sic igitur harum trium Horarum exemplo petito ex
veteri Teſtamento, de reliquis hæc adiungit:] Sed nobis fratres dilectiſ-
» ſimi, præter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc & ſpatia & ſacra-
» menta creuerunt. [Itaque de Prima:] Nam & Mane [inquit] orandum
» eſt, vt Reſurrectio Domini Matutinâ oratione celebretur. [& poſt pauca
de Veſperis etiam vnà cum Completorio ait:] Recedente item ſole, ac
» die ceſſante, neceſſariò rurſus orandum eſt. Nam quia Chriſtus ſol
» verus, & dies eſt verus; ſole ac die ſeculi recedente, quando oramus &
» petimus vt ſuper nos lux denuò veniat, Chriſti precamur aduentum,
» lucis æternæ gratiam præbiturum. [Denique de Nocturno rurſus poſt
Luc. 2. » pauca:] Qui autem in Chriſto, hoc eſt, in lumine ſemper ſumus, nec
» noctibus ab oratione ceſſemus. ſic Anna Vidua &c orationibus ſeruie-
» bat nocte ac die. Viderint vel Gentiles, qui necdum illuminati ſunt: vel
» Iudæi, qui deſerti lumine in tenebris remanſerunt: [vel proteſtantes (hos
enim eadem ratione licet addere) qui ſemel illuminati ad tenebras redie-
» runt.] Nos, fratres dilectiſſimi, [inquit Cyprianus Chriſtianis Catho-
» licis] qui in Domini luce ſemper ſumus, qui meminimus & tenemus,
» quid eſſe accepta gratia cœperimus; computemus noctem pro die: ambu-
» lare nos credamus ſemper in lumine, non impediamur à tenebris quas
» euaſimus: nulla ſint horis nocturnis precum damna, nulla orationum
» pigra & ignaua diſpendia. Per Dei indulgentiam recreati ſpiritaliter &
» renati, imitemur quod futuri ſumus: habituri in Regno ſine interuentu
» noctis ſolùm Diem, ſic nocte, quaſi in lumine vigilemus. [Ita Cyprianus
ſeptem Horis Canonicis & teſtimonium ſuum perhibet, & myſticam
Hieron. in Dan. 6. quarundam earum rationem reddit. Poſt eum S. Hieronymus ex eodem
Daniele Propheta, tribus temporibus in die flectente genua ſua, & ado-
rante, pro conſuetudine ſua; ſimiliter notat, & dicit:] Tria autem
» tempora, quibus Deo flectenda ſunt genua, Tertiam Horam, Sextam &
» Nonam, Eccleſiaſtica traditio intelligit. Denique Tertiâ Horâ deſcen-
Act. 3. » dit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos. Sextâ volens Petrus comedere, ad
Act. 10. » orationem aſcendit in cœnaculum. Nonâ Petrus & Ioannes pergebant
Act. 3. » ad templum, [quam & ipſe Lucas vocat] Horam orationis Nonam:
Hier. ad Letam. [Idem Hieronymus in varijs Epiſtolis earundem trium Horarum &
cæterarum quatuor meminit:] Aſſueſcat [inquit Iætâ de filia virgine
ſacra] ad

ſacra) ad orationes & Pſalmos Nocte conſurgere, Mane Hymnos cane-
re, Tertiâ, Sextâ, Nonâ Hora, ſtare in acie quaſi bellatrix Chriſti, accen-
ſaque lucerna reddere ſacrificium Veſpertinum. Sic dies tranſeat, ſic nox
inueniat laborantem. [Eodem modo ad Demetriadem virginem ſacram *Hiero. ad*
ſcribit:] Præter Pſalmorum & orationis ordinem, quod tibi Hora Tertiâ, *Dem.*
Sextâ, Nonâ, ad Veſperum, media nocte, & mane ſemper eſt exercendum:
ſtatue &c. [Et ad Euſtochiũ virginem ſacrã identidem:] Horam Tertiam, *Hiero. ad*
Sextam, Nonam diluculum quoque, & Veſperam, nemo eſt qui neſciat. *Euſto.*
Noctibus bis terq; ſurgendũ. [De quibus nocturnis etiã alibi ex Propheta:] *Idem in*
Vnde & nos crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia. [Poſt *Dan. 4.*
Hieronymũ & Baſiliũ, etiam eaſdem ſeptem orationis horas copioſè tractat *Baſil. Serm. 1. de Inſtit.*
Caſſianus diſcipulus S. Chryſoſtomi, lib. 2. & 3. de Inſtitutis cœnobiorum, *Monach. Et Quæſt. fu-*
docens eas in vſu fuiſſe apud monachos Egypti, Palæſtinæ, & Meſopota- *ſius diſput.*
miæ, iam indeà tẽpore Apoſtolorũ, niſi quòd ſignificat, horam primam in *cap. 37. Caſsia.*
quibuſdam monaſterijs non ante ſua tẽpora fuiſſe receptam. Ruſus poſt
hunc eaſdem horas tradit S. Benedictus monachis ſuis, in Regula. Iſidorus *S. Bened.*
item de Eccleſiaſticis Officijs ſcribẽs, vocat eas Tertiam, Sextam, Nonam, *Iſid. lib. 1.*
Veſpertinas, Cõpletas, Vigilias, & Matutinas: docens fuiſſe quoddã genus *cap. 19. ad 24.*
Hæreticorum ſuperfluas exiſtimantium ſacras Vigilias, & ſpiritali opere
infructuoſas, dicentes: Iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem,
ſicut diem ad laborem. Qui Hæretici Græco ſermone νυκτάζοντες, hoc eſt
ſomniculoſi vocantur. quemadmodũ & Hieronymus ob eandem cauſam
vocat Hæreticum Vigilantium commutato nomine Dormitantium.

Quartò has Horas ſingulis diebus frequentat Eccleſia decantatione XIII.
Pſalmorum, ita vt cùm Pſalmos quoſdam quotidie, tum ſingulis Septi-
manis omnes qui toto Pſalterio Dauidico continentur, indeſinenter per-
currat. Qui ritus, vt per ſe laudabiliſſimus eſt, ita eſt & in Antiquitate ce-
leberrimus. vnde ſupradicti Auctores cum de Horis loquũtur, ſimul Pſal-
morum meminerunt; quemadmodum & nunc videmus partem ipſam
Breuiarij quæ Horas cõtinet, vocari Pſalterium. Denique apud vetuſtos
Scriptores, ſeu Græcos, ſeu Latinos, nihil occurrit frequentius, quam Pſal-
morum cantus ſeu Pſalmodia, quam & Hippolytus Martyr paulo antè
dixit vnà cum Liturgia ſeu Miſſa ſub Antichriſto ceſſaturam. Pariter
autem cum huiuſmodi pſalmodia recolimus per hebdomadam (præter
alia) Opera Sex dierum, quibus Deus in Principio creauit hunc mun-
dum, & deinde die ſeptimo requieuit.

Quintò non ſolùm de die, & de Hebdomada, ſed etiam de anno XIIII.
conſulatur Antiquitas, & an in ea quoque parte Officia eorum cum

Officijs noſtris conuenerint, obſeruetur. Per annum autem (vt ſummatim dicam) recolimus omnia quæcunque Chriſtus Dominus, Rex ac Saluator noſter pro nobis geſſit omnibus annis quibus verſabatur hic in terris: duabus ei feſtiuitatibus dedicatis: vna de ingreſſu eius in hunc mundum, ab Aduentu vſque ad Septuageſimam: altera inde iterum ad Aduentum, de tranſitu eius ex hoc mundo: habet enim vtraque in ſe regali more quandam & præitionem, & præſentiam, & ſequelam. ſed præcipuè tamen tranſitum veluti præſentem, id eſt, Paſſionem & Reſurrectionem eius celebramus. Nam Conceptionem quidem, & Aduentum, & Natiuitatem, & Circunciſionem, & Epiphaniam ſeu Apparitionem Magis, ac in Baptiſmo, atque in primo eius miraculo, & Præſentationem, & Ieiunium cum Tentatione, & Transfigurationem, & Aſcenſionem, & Spiritus ſancti Miſſionem, & alia quædam eius myſteria ſemel tantum in anno celebramus. Reſurrectionem verò eius ita celebramus ſemel in Paſchate, vt deinceps octauo quoque die eandem ſolenniter renouemus: quem octauum diem ſpecialiter vocamus diem Dominicum, & non ſic vocamus eiuſdem Domini noſtri Natalem, vel Aſcenſionem, vel cætera quæ prædixi: ſed ſolum (inquam) Reſurrectionis diem nuncupamus Dominicum: ſcientes, Reſurrectionem ſolam eſſe quæ propriè concernit Nouum Teſtamentum: ita vt Apoſtoli hanc vnicè prædicauerint, & cùm Apoſtolum electuri eſſent in locum Iudæ proditoris, Teſtem Reſurrectionis appellent. Cùm enim Caput & Corpus vnam efficiant perſonam, Eccleſia quæ eſt Corpus Chriſti, intelligit, Reſurrectionem Capitis ſui Chriſti ad ſe intimè pertinere, eaque ratione magis quo non ſolùm id quod re eſt Capitis, ſic etiam Corporis propter communionem quæ eſt inter ipſa, & ea potior quam quæ eſt inter membrum & membrum, verumetiam qua Reſurrectio huiuſmodi vt nunc eſt capitis ſui in re, ita & nunc ſit ipſius Corporis in ſpe, & fore creditur etiam in re. Proptereaque non erat Septima dies in maiori ſolemnitate ſub veteri Teſtamento, quàm eſt nunc in Nouo Teſtamento Dies octaua. quanquam vt ſignificaui, initium, fons, & radix huius totius ſolemnitatis annuæ eſt Dominica Paſchæ, ad quam nos præparamus quadrageſimali dierum obſeruatione, in humilitate pœnitentiæ atque ieiunij, ſecundum quod ſtatus vitæ huius præſentis, & memoria Paſſionis Chriſti requirit: poſt eam verò Dominicam imitamur per dies quinquaginta ſtatum vitæ futuræ, quam nobis initiauit Reſurrectio Chriſti, intermittentes tunc ieiunia & genuflexiones, nihilque magis quàm vocem illam cæleſtem Alleluia decantantes. Paſſionem autem Chriſti nunquam ſeparamus

Act. 1.

paramus ab eius Reſurrectione, ſed hebdomadatim in memoriam eius Feriam Sextam celebramus ante Dominicam, & maximè ſemel in anno, illam Sextam Feriam quæ eſt ante ipſam Dominicam Paſchæ, ſicut & Quartam Feriam eiuſdem Hebdomadæ præ reliquis per annum ferijs Quartis. Et illam propterea vocamus Hebdomadam Magnam, quià hunc ad modum origo eſt & principium Hebdomadarum, vipote quam omnibus per annum Hebdomadis replicamus. Nec ſolùm Paſſionem ante Reſurrectionem aſſiduè obſeruamus, ſed eam quoque cum ipſa Reſurrectione miſcemus, quemadmodum & Chriſtus eas in Corpore ſuo mirabiliter miſcuit, reſurgens cum ipſis inſignibus Paſſionis ſuæ, quæ accepit in Cruce, ita vt Thomas adhuc mittere potuerit digitum in loca clauorum qui manibus & pedibus fixi ſunt, & manum etiam integram in foramen lateris quod lancea miles aperuit. Sic enim placuit Chriſto hæc ſeruare trophæa ſua in æternum, quæ & inimicis oſtentaret ad eorum confuſionem, & Deo repræſentaret pro nobis ad propitiationem. Qui & conuenientem his cultum reliquit Eccleſiæ ſuæ, illo inſtituto iugi Sacrificio, in quo per Sacramentalem ſeparationem Corporis & Sanguinis ſui, quaſi poſt reſurrectionem adhuc in Paſſione exiſtens appareat ſimiliter vultui Dei pro nobis, quemadmodum in cælo, ſic etiam in Eccleſia. Itaque reliquis etiam omnibus feſtiuitatibus noſtris Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti admiſcemus, dum eas & hoc Sacrificio & Octauis celebramus. Sic enim agimus in omnibus feſtum ſpei noſtræ, id eſt, Reſurrectionis, vt nunquam ceſſemus à feſto rei noſtræ in qua nunc ſumus, id eſt in hac vita mortali, in qua & Chriſtus paſſus eſt vt intraret in gloriam ſuam, & nos compati debemus vt & conglorificemur. Ob quam etiam cauſam vſitatiſſima Imago Chriſti in Eccleſia non eſt Reſurgentis, ſed Crucifixi; vt nimirum & triumphum Chriſti ſemper habeamus ob oculos, & compaſſionem iugiter meditemur. Eſt porro illa ſapientia Eccleſiæ planè diuina, qua ad viuum nobis demonſtrat fontem vnde fluxerunt Sacramenta quibus imbuimur, dum eorum celebrationem tempori Paſchali admiſcet, ita vt vna opera Baptiſmum (necnon & alia Sacramenta) atque Paſſionem Reſurrectionemque Chriſti concelebret: eo modo demonſtrans quotannis oculis noſtris id quod S. Paulus his verbis allegorizat: An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. &c. ſcientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. &c.

Ioan. 20. *Hebr. 9.* *Luc. 24.* *Rom. 8.* *Rom. 6.* *Col. 2. & 3.*

1. Cor. 10. Eadem etiam ſapientia, ſicut Paulus verbis, ita eccleſia ritibus ſacris repræſentat, figuras quoque Veteris Teſtamenti, vt exitum de Ægypto, & tranſitum maris rubri, & eſum agni Paſchalis cum azymis, & columnam nubis, & cætera tunc Paſchalia, noſtris nunc nouis Paſchalibus adimpleri.

1. Cor. 5. Id ſignificauit diuus Paulus, cum dixit: Paſcha noſtrum immolatus eſt „ Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis.

XV. Hæc igitur myſteria Chriſti, & hoc modo celebrat Eccleſia nunc Catholica. An verò olim etiam (nam de antiquitate quærimus) eadem obſeruauerit, qui dubitat, declarat parum ſe verſatum eſſe in Scriptoribus Antiquis. Tam multa enim in ijs extant de his feſtis & ritibus teſtimonia, vt (quemadmodum prædixi) ſatis ſint iuſto in diuina hæc eccleſiæ officia commentario faciendo, ſiue quis nudas, ſiue myſticas ſingulorum deſideret rationes. Ex quibus omnibus non licet mihi hic niſi pauca duntaxat

Sup num. 3. delibare. Et iamantè quidem repetiui ex Euſebio antiquiſſimo argumen- „ tum Diuinitatis Chriſti,] quòd is cunctis totius orbis terrarum incolis „ præſcripſerit, vt ſingulis ſeptimanis in vnum conuenientes, diem Dominicum feſtum celebrarent. [Radicem autem omnium per annum dierum

Hier. adu. Vigil. Dominicarũ eſſe Dominicam Paſchæ, docet S. Hieronymus reſpondens „ Vigilãtio] pro vigilijs & pernoctationibus in Baſilicis Martyrum ſæpè ce- „ lebrandis, [ac dicens:] Quòd ſi ideò eas exiſtimat reſpuendas, ne ſæpè vi- „ deamur Paſcha celebrare, & non ſolennes poſt annum exercere vigilias: „ ergo & die Dominico non ſunt Chriſto offerenda Sacrificia, ne Reſurre- „ ctionis Domini crebrò Paſcha celebremus, & incipiamus non vnum „ Paſcha habere, ſed plurima. [Sed copioſiſſimè omnium S. Auguſtinus hæc & huiuſmodi tractat, cum alibi, tum maximè in duobus libris ſeu Epiſtolis ad Ianuarium. Ibi enim de his feſtis Chriſti hæc imprimis habet,]

Aug. Epiſt. 118. cap. 1. quòd Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & Aduentus „ de cælo Spiritus Sancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. [& quòd] „ toto terrarum orbe obſeruantur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Ec- „ cleſia. [ideoque] dãtur [inquit] intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à ple- „ narijs Concilijs (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) com-

Ca. 5. „ mendata atque ſtatuta retineri. [vnde etiam infrà dicit de talibus:] Si quid „ horum tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſ-

Aug. Epiſt. 119. cap. 1. putare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. [Rurſus ibi proponit ſibi quæſtionem „ hanc Ianuarij:] Quæris quæ cauſa ſit, cur anniuerſarius dies celebrandæ „ Dominicæ Paſſionis, nõ ad eundem redeat anni diem, ſicut dies qua tra- „ ditur natus. Et deinde ſubiungis. Si hoc ſit propter Sabbathum & lunam, „ quid ſibi velit in hac re obſeruatio Sabbathi & lunæ. [Reſpondet Auguſtinus per-

ſtinus per rationes myſticas prolixè & pulchrè:] Hic primùm [inquit] "
oportet vt noueris, diem Natalis Domini, non in ſacramento celebrari, "
ſed tantum in memoriam reuocari quòd natus ſit: ac per hoc nihil opus "
erit, niſi reuolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta deuotione ſigni- "
ficari. Sacramentum eſt autem in † alia celebratione, cum rei geſtæ ita † *for. aliqua.*
rememoratio fit, vt aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè acci- "
piendum eſt. Eo itaque modo agimus Paſcha, vt nō ſolum in memoriam "
quod geſtū eſt reuocemus, id eſt, quòd mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, "
ſed etiam cætera quæ circa ea atteſtantur ad ſacramenti ſignificationem, "
non omittamus. [quod ſacramentum ſeu myſterium videat ibi lector, & "
quomodo inde deducat vir acutiſſimus rationē cur primo menſe, cur tertia
hebdomada lunæ, & cur in illa hebdomada non niſi poſt ſabbathum, id eſt
die Dominico, Paſcha celebretur. Circa quam obſeruationem Paſchatis,
quanta ante Nicenum Concilium fuerit in eccleſijs quæſtio, tāquam circa
rem maximi ponderis, quis ignorat? Idem Auguſtinus etiam de Quadra- XVI.
geſima ieiunij ante Paſcha, & de Quinquageſima lætitiæ poſt Paſcha, paſ-
ſim meminit, earumque rationes myſticas elegantiſſimè reddidit.] Cum
labore [inquit] celebramus Quadrageſimam anta Paſcha, cum lætitia verò, *Aug. tract. 17. in Ioan.*
tanquam acceptam mercedem, Quinquageſimam poſt Paſcha. [& alibi:] "
Significantur nobis tēpora, vnum ante Reſurrectionem Domini, alterum *Aug. Serm. 151. de temp.*
poſt Reſurrectionem Domini: vnum in quo ſumus, alterum in quo nos
futuros eſſe ſperamus. Tempus mœroris, quod ſignificant dies Quadrage- *Et in pſal. 106. 110.*
ſimæ, & ſignificamus & habemus. Tempus autem lætitiæ & quietis & re- *Et de Tēp. Serm. 69. 157.*
gni, quod ſignificant dies Quinquageſimæ, ſignificamus per Alleluia, ſed
nondum habemus. [& paulo pòſt:] In Eccleſia frequentantur laudes Dei "
poſt Reſurrectionem, quia nobis erit perpetua laus poſt Reſurrectionem "
noſtram. At Domini paſſio tēpus noſtrum ſignificat, in quo nunc flemus. "
flagella, vincula, contumeliæ, ſputa, ſpinea corona, vinum fellitū, in ſpōgia "
acetum, inſultationes, opprobria, poſtremò ipſa Crux; in ligno mēbra ſacra "
pendētia, quid nobis ſignificant niſi tempus quod agimus, tēpus mœroris; "
tempus mortalitatis, tēpus tentationis? [Rurſum alibi:] In qua ergo parte *Aug. Epiſt. 119 c. 15. 16. 17.*
anni congruentius obſeruatio Quadrageſimæ conſtitueretur, niſi cōfini "
atque contigua Dominicæ Paſſioni? quia in ea ſignificatur hæc vita labo- "
rioſa, cui opus eſt continentia, &c? Quinquaginta autem dies celebrantur "
poſt Domini Reſurrectionem, iam in figura non laboris, ſed quietis & læ- "
titiæ: propter quod & ieiunia relaxātur, & a ſtātes oramus quod eſt ſignū *a Conc. Nic. cap. 20.*
Reſurrectionis. (vnde etiam omnibus diebus Dñicis id ad Altare obſerua-
tur) & Alleluia canitur, quòd ſignificat actionem noſtrā futuram nō eſſe, "

Pſalm. 83. niſi laudare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Beati qui habitant in domo tua
» Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. [& infrà iterùm:] Vt autem
» Alleluia per illos ſolos dies Quinquaginta in eccleſia cantetur, non vſ-
» quequaque obſeruatur. Nam & in alijs diebus variè cantatur alibi, ipſis
Bed. Hiſt. lib. 1. cap. 20. autem diebus vbique. [Cuius conſuetudinis memorabile & miraculoſum exemplum eſt, quod refert Beda noſter, Britonum ſcilicet fidelium exer-
» citum poſt Quadrageſimæ venerabiles dies recens baptizatum in eccleſia
» Caſtrenſi ad diem Reſurrectionis Dominicæ frondibus contexta, inſperatam reportaſſe victoriam de Paganis Saxonibus Pictiſque, emenſa ſolennitate Paſchali, hac ſola voce Alleluia primum à S. Germano Epiſcopo Galliæ & à conſacerdotibus ſuis tertiò repetita, & deinde à toto exer-
Sup. Moti. 11. citu vno clamore maximo ſuccantata. quam hiſtoriam in alio motiuo latius commemoraui.

XVII. Ex quibus omnibus apertum eſt, Eccleſiam Dei, ſicut poſt Gregorium Papam, ita etiam ante eum; eaſdem ſolennitates Chriſti Domini toto anno obſeruaſſe, & eaſdem in ijs rationes myſticas conſideraſſe, addo etiam, ijſdem ritibus ſacris eas celebraſſe. ita vt non ſolum ieiunia ante Paſcha, baptiſmum in Paſcha, Alleluia poſt Paſcha, & reliqua ſuprà dicta frequentauerit, verumetiam in baptiſmo Exorcizationem, Exufflatio-
Num. 30. nem, Conſecrationem fontis, Chriſma, & alia de quibus plura dicam inferiùs, etiam tum habuerit: immò Sanctam quoque Crucem in die Paraſceues ſeu Paſſionis Dominicæ omni cum humilitate adorauerit, id
Paulin. epiſt. 11. ad Seu. Sup. Moti. 18. quod aliàs audiuimus ex S. Paulino narrante, quomodo inuenta Cruce à S. Helena,] condita eſt in Paſſionis loco Baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues Altaribus, arcano poſitam Sacrario Crucem
» ſeruat, quam Epiſcopus vrbis eius quotannis, cùm Paſcha Domini agi-
» tur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit. [& mox hanc
» vocat diem qua Crucis ipſius myſterium celebratur: ipſaque [inquit,
» Crux] ſacramentorũ, [id eſt Officiorum diuinorum diei illius,] cauſa eſt,
» quaſi quoddam Sacræ Solennitatis inſigne.

XVIII. Sextò, quod de ipſius Chriſti Feſtiuitatibus admonui, idem obſeruetur in Antiquitate circa Feſta Sanctorum eius, vt Matris, Præcurſo-
a Soz. lib. 3 cap. 13. ris, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, [a] Monachorum, Virginum, an & de his per annum fuerint officia Diuina ante Gregorium inde vſque ab exordijs Eccleſiæ, quemadmodum poſt eum in Breuiario noſtro cernimus. Quod quidem non ſolùm ita fuiſſe docti omnes mihi concedent, verumetiam pulcherrimis redditis rationibus (quaſi in Rationali Diuinorum) iam tum eſſe commendatum. S. Paulinus (vt & aliàs dixi)

decem

decem annis recurrentem diem feſtum B. Felicis celebrauit carminibus, *Moti. 21. num. 37.* in quibus cùm teſtatur [a] diem illum fuiſſe viceſimum poſt Natalem Domini, quemadmodum etiam hodie apud nos eſt, tum de feſtis Chriſti & *a Paulin. Natal. 3.* Sanctorum in genere ſic eleganter diſſerit:

[b] Ergo velut cælum ſtellis, vt floribus arua, *b Natal. 9.*
Temporibuſque annos Dominus, ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit Feſtis: vt pigra diurnis
Ingenia obſequijs, ſaltem diſcrimine facto
Poſt interuallum reduci ſolemnia voto
Sancta libenter agant, reſideſq́ per annua mentes
Feſta parent Domino: quia iugiter intemeratos
Iuſtitiæ ſeruire piget; delinquere ſuetis,
Parcere peccato labor eſt; decurritur omni
Valle, per aſcenſum non eſt euadere curſu:
Hinc via labendi procliuior, & via vitæ
Durior, illa capax multis, hæc ardua paucis. *Matth. 7.*
Inde bonus Dominus, cunctis pietatis vt alis
Contegat, inualidis niti virtutis ad arcem
Congrua ſanctorum dedit interualla Dierum,
Vt ſaltem officijs mediocribus vltima Chriſti
Veſtimenta legant; & eos ſacra fimbria ſanet,
Qui non extorres penitus regione ſalutis
Intra perpetuæ ſtabulant præſepia vitæ,
Longinqui primis, non longo fine ſecundis.
Primus enim gradus eſt cælo, pertexere cunctos
Continua bonitate dies, & tempora toto
Paſcha ſacrum Chriſti cultu celebrare pudico:
Quod ſi miſta ſeges tribulis mihi germinat, & cor
Incultum ſtimulat terreni ſpina laboris,
Vel Feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus,
Vt vel parte mei tangam confinia vitæ,
Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.

Hanc de feſtis in genere rationem accommodat ad feſtum diem S. Felicis, *Cuius honor* [inquit] *celebrandi cauſa diei eſt*, & ad feſta præcipua Chriſti, vt Natiuitatem, Epiphaniam, Paſcha, & Pentecoſten, dicens:

Quod ſi Natalem reliquis præſtare diebus
Turba facit, ſolito quæ denſius ad Sacra currit

Limina,

Limina, conferta propè ſemper plebe videmus
Natalem Felicis agi: nam qua rogo votis
Caſſa dies oritur, vel magnis rara cateruis?
Sed tamen hanc ſpeciale decus retinere fatebor
Iure diem, expleto quondam qua contigit æuo,
Ponere terrenos habitus, & in alta vocari
Sidera, Felicem retinendum ſede beata. Sequiturque:
Firmat enim ratio iſta Fidem, qua tempora certis
Diſtinguit titulis, Sacroſq́ per annua ſignat
Feſta Dies: quibus, vt Domini miracula quondam
Antiqui tremuere Patres, horrenda ſiniſtris,
Et ſemper celebranda pijs; quia commoda ſanctis,
Dura fuere malis, teſtis Memphiticarellus:
Et Mare tunc factum ſanctis humus, æquor iniquis;
Cateraq́ his paria Aegypto multaſq́ per oras
Geſta Deo, memori nobis recoluntur amore:
Sic æquè diuina feruntur munere Chriſti:
Vt veneranda Dies cunctis, qua Virgine Natus,
Pro cunctis hominem ſumpſit Deus: vtq́ deinde
Qua Puerum, Stella duce, myſtica dona ferentes
Suppliciter videre Magi; ſeu qua magis illum
Iordanis trepidans lauit tingente Ioanne,
Sacrantem cunctas recreandis Gentibus vndas;
Siue dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, cùm flumine verſo
Permutauit aquas, praedulcis nectare vini.
Quid Paſchale epulum? nam certè iugiter omni
Paſcha die cunctis Eccleſia prædicat oris,
Conteſtans Domini mortem cruce, de cruce vitam:
Cunctorum tamen hoc magnæ pietatis in omnes
Grande Sacramentum, preſcripto menſe quotannis,
Totus vbique pari famulatu mundus adorat,
Aeternum celebrans redinino corpore Regem.
Hoc ſolenne Dies ſequitur, ſeptem numeramus
Hebdomadas, & lux populis feſtiua recurrit,
Qua Sanctus quondam cælo demiſſus ab alto
Spiritus, ignito diuiſit fulmine linguas. &c.

Redit deinde paulo pòſt ad Feſtum diem S. Felicis Patroni Ciuitatis ſuæ, lætiſſimis verbis celebrans eundem, & alloquens Apoſtolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, ac dicens eis:

Credo equidem vos officio pietatis ad iſtam

Vndique

Vndique conueniſſe diem Felicis amore,
Vt Confeſſoris ſocij celebretis honorem.

Prinſquam autem veniſſet Nolam declarauit ſe magno diem hunc amore coluiſſe, cum in Hiſpania inuocaret Felicem, ardenter petens, vt liceret ſibi aliquando diem hunc celebrare Nolæ, vbi corpus Martyris requieuit. [a] Quo die teſtatur etiam fideles omnes Nolanos & alios plurimos multum gaudere ſolitos, & diuerſos diuerſa donaria voluiſſe ac reddidiſſe, vt cæram, luminaria, vela, & alia pretioſa: Ruſticos etiam iumenta ægra portaſſe ad Martyrem ſananda: *Paulin. Natal. 1.* *a Natal. 6.*

Videas etiam de rure colonos
Non ſolum gremio ſua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu ſæpè introducere ſecum,
Et ſancto quaſi conſpicuo mandare licenter:
Moxq́ datam ſua confiſos ad vota medelam
Experto gaudere Deo, & iam credere ſana:
Et verè plerumque breui ſanata ſub ipſo
Limine læta ſuis iumenta reducere tectis.

Videat ibi lector mirabile exemplum Ruſtici cuiuſdam magnæ fidei, qui amiſſos furto duos boues, quorum opera victitabat & alebat pauperem familiam, noluit circumcurſando incertus quærere, ſed ad Martyrem venit, & profitetur ſe ſcire, quod ipſe videat fures & boues vbi ſint, ideóque non confugere niſi ad ipſum, cuius patrocinio & cuſtodiæ eoſdem etiam ſecurus commendauerat. qualia cum oraſſet, eâdem nocte boues mirabiliter redierunt. Aliàs quoque de celebratione huius diei, & diuinis officijs tum ſolennibus, iſta ſcribit: *Natal. 7.*

Noctis eum morem, vt ieiunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere Sacris,
Quiſque ſuas remeare domos: Tunc ergo ſolutis
Cœtibus à templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies ſumpta dape, cœpimus Hymnos
Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.

Hæc Paulinus de Die S. Felicis. plurima idem quoque de Die Sanctorum XIX.
Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ cum eâdem ſolennitate celebrato. vnde & ſe narrat conſuetudinem habuiſſe, Romam quotannis ad eum Diem proficiſci, vt moris eſt his qui religionis cauſa peregrinantur. Hinc ad Seuerum ſcribit: [a] Romam ad Venerabilem Solennitatis Apoſtolicæ Diem profecti ſumus. [Similiter ad Delphinum:] [b] Solenni conſuetudine ad Beatorum Apoſtolorum Natalem Venimus, *a Paul epi. 13. ad Sen. b Epiſt. 2. ad Delph. & 2. ad Victric.*

[ſub ſancto Anaſtaſio Papa. item ad Deſiderium.] Apoſtolicam ſolenni-
» tatem voti noſtri & itineris annui ſocius celebrauit &c.

XX. Multis etiam ante Paulinum ſæculis Cyprianus teſtatur, Dies Mar-
tyrum Natalitios ſolitos quotannis à fidelibus celebrari, idque officijs Sa-
crificiorum, quemadmodum & nunc. Nam de Celerina, Laurentino, &
Cyp. Epiſt. Ignatio Martyribus loquitur, ac dicit: Sacrificia pro eis, ſicut meminiſtis,
34. » offerimus, quoties Martyrum Paſſiones & Dies anniuerſariâ commemo-
» ratione celebramus. [Idem ad clerum ſuum de morientibus in carcere
Epiſt. 37. pro fide, ait, Denique & Dies eorum quibus excedunt annotate, vt
» commemorationes eorum inter memorias Martyrũ celebrare poſſimus.
» quamuis, Tertullus ſcripſerit & ſcribat ac ſignificet mihi Dies &c. & ce-
» lebrentur hic à nobis Oblationes & Sacrificia ob Commemorationes eo-
» rum, quæ cito vobiſcum Domino protegente celebrabimus. [Ipſius quo-
que Cypriani huius (nam & ipſe glorioſiſſimo occubuit Martyrio) Dies
Marti. 20. Natalis celeberrimus erat non ſolum Afris ſuis (ſicut aliàs ex Procopio &
num. 14. Euagrio oſtendi, vtque D. Auguſtinus paſſim teſtatur, qui & quatuor
tractatus habuit de Natali Cypriani, quorum meminit Poſſidius in Indi-
culo, & in Epiſtola 120 dicit ſe Pſalmum 72 expoſuiſſe, nocte qua illu-
» ceſcebat Beatiſſimi Cypriani ſollemnitas) verum etiam Chriſtianis in
Oriente, vt patet ex D. Gregorio Nazianzeno, & D. Simeone Meta-
phraſte, qui Encomia in illum ſcripſerunt; itemque in Occidente, vt
Sanctus Prudentius Hymno γ περὶ στεφάνων, & S. Maximus ac Petrus
Chryſologus in Sermonibus de illo æditis demonſtrant. Quin etiam
vetuſtior adhuc Tertullianus refert morem Eccleſiæ temporibus ſuis, di-
Tertul. de cens: Oblationes pro Defunctis, pro Natalitijs, annua die facimus. [in
Coro. Mil. quo libro etiam Faſtos Eccleſiæ opponit municipalibus Solennitatibus
Orig. in Gentilium. Vnde Origines quoque eadem ætate de Feſto Innocentum
Mat. 2. » Martyrum dicit ſuper illud Matthæi, Vox in Rama:] bene & ſecundum
» voluntatem Dei Innocentium memoriam Sancti Patres celebrari manda-
» runt ſempiternam in eccleſijs, velut pro Domino morientium, velut pro
» Iudæis & Gentibus credituris, velut etiam pro ipſis parentibus. [Clerus
Euſeb. hiſt. etiam Smyrnenſis apud Euſebium in ipſis temporibus Apoſtolicis colli-
lib. 4. cap. 14. » git ex cineribus oſſa Polycarpi Epiſcopi ſui & Martyris, diſcipulique S.
» Ioannis Euangeliſtæ, vocans ea potiora lapillis precioſis, auroque pu-
» riora, & reponens in loco decoro,] vbi [inquiunt] nobis in vnum ali-
» quando coactis, Dominus præſtabit, vt celebrem eius Martyrij Diem,
» inſtar Natalis Feſti, cum exultatione & gaudio maximo recolamus.

XXI. Innumera ſunt huiuſmodi in omni antiquitate teſtimonia de diebus
Feſtis.

Feſtis tum Chriſti, tum Sanctorum eius, & de Diuinis Officijs quibus celebrati ſunt, eodem planè modò, quo & hodie in Eccleſia Catholica. Cum quibus quam bellè conueniant hæretici noſtri, multis modis intelligi poteſt. Primùm ex ipſis Officijs quæ in verbis horum Patrum expreſſa ſunt, quæ lector diligens obſeruauit Proteſtantibus eſſe contraria, tanquam planè noſtra. Secundò ex eo quòd Scoti Caluiniſtæ (quantum audio) & Puritani in Anglia, (qui exacti imitatores Geneuæ volunt videri) non ſolum Dies Sanctorum, ſed neque Diem Dominicam, ne ipſam quidem Dominicam Paſchæ, nec Domini Natalem, Aſcenſionem, nec Feſtum aliud obſeruant. Anglo-proteſtantes etiam, qui paulò moderatiores coguntur eſſe, ſicut Chriſti ſolennitates multas de Tempore (vt vocamus) maximeque Quadrageſimam ante Paſcha, & Quinquageſimam poſt Paſcha, quas iam oſtendi præcipuas eſſe in Sacris Temporibus anni, celebrare ceſsârunt, ita nullum penitus obſeruant Diem Sancti vllius, niſi quem populus omnis Feſtum agit: quum tamen clerus ſemper alios quoque dies priuatim in eccleſijs ſolenniter obſeruauerit, iuxta ſupradictam S. Paulini diſtinctionem de imperfectis, qui præcipuos tantum dies in cultu habuerunt, & perfectis, qui ferè diebus omnibus Deo vacant. Vnde eſt & illud Decretum Silueſtri Papæ qui Conſtantinum baptizauit, iubentis,] Sabbathi, & Dominici diei nominibus retentis, *In Brem. Decemb. 31.* reliquos Hebdomadæ dies Feriarum nomine diſtinctos appellari; quo ſignificaretur, quotidie clericos, abiecta cæterarum rerum cura, vni Deo " prorſus vacare debere. [Hinc etiam extiterunt Martyrologia Eccleſia- " rum, ex quibus quotidie ad Primam recitamus Martyres qui ſingulis diebus paſſi ſunt, iuxta id quod Cyprianus paulo antè mandauit clericis ſuis, de quibus & Gregorius primus dixit:] nos penè omnium Martyrum, di- *Greg. lib. 7. Epiſt. 29.* ſtinctis per dies ſingulos Paſſionibus, Collecta in vno Codice nomina " habemus, atque quotidianis diebus in eorum Veneratione Miſſarum " ſolennia agimus. [Iidem quoque Proteſtantes nec ſuos Martyres (quos *Moti 20.* aliàs demonſtraui eſſe pſeudomartyres) anniuerſaria dierum commemoratione celebrant: cùm nos interim & antiquos de quibus illi controuerſiam nobis mouent, tametſi fruſtrà vt aliàs oſtendi clariùs, & recen- *Moti. 20. per totum.* tiores, vt S. Thomam Cantuarienſem, & alios quos nobis ſponte concedunt, diebus feſtis veneremur. Vnde quis non videt, noſtram eſſe eccleſiam quæ primitiuæ Eccleſiæ in huiuſmodi ritibus Sacris, ſicut in alijs omnibus, legitimè ſucceſſit; & a qua, vt à noſtra, Proteſtantes ſe ſacrilegè ſepararunt? Quod rurſus patet adhuc magis, quod ijdem Proteſtantes non ſolum dies ſolis clericis celebres, ſed multos etiam toti populo

meritò celeberrimos in profanum vſum conuerterunt, vt Diem Glorioſiſſimi Martyris & Diaconi Laurentij, in quem, quaſi in Stephanum occidentalis Eccleſiæ, multi Sanctorum Patrum Sermones Natales habuerunt, vt Auguſtinus, Leo, Chryſologus, Metaphraſtes, & alij, vt nihil dicam de frequentiſſima eiuſdem mentione, quam [a] idem Auguſtinus alibi, & Ambroſius, & Prudentius, & Gregorius Papa, & Gregorius Epiſcopus Turonenſis cum ſummo honore faciunt. Hunc nihilominus diem tam antiquum, tam decantatum, tam feſtiuum iſti reliquerunt, hac ſola de cauſa, quia fuit Diaconus Eccleſiæ Romanæ. Nam eam cauſam non puduit eos in Anglia reddere, etiam in Edicto publico, ſub Henrico octauo, palam per id profitentes, ſe non ſolum Eccleſiæ Romanæ, quæ nunc eſt, verum etiam quæ vnquam fuit (vtpote quam ſemper eandem fuiſſe videbant) hoſtiliter aduerſari. Quid dicam de Glorioſiſſima Dei Genitrice Maria? cuius omnibus feſtis diebus, maiore cæcitate an malitia neſcio, omnibus (inquam) diebus intemeratæ Virginis, nec vna excepta, renunciarunt. nam Annunciatio eiuſdem Dominæ noſtræ, quid eſt niſi Conceptio Domini? & Purificatio Dominæ, quid eſt niſi Preſentatio Domini, ſeu (vt Græci vocant) ὑπαπάντη? neque enim earum altervtra magis propriè dies eſt Dominæ, quam Domini Natalis, qui Dominæ Partus fuit, dies eſt eiuſdem Dominæ. Sed proprij dies Glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ atque Deiparæ ſunt Conceptio eius, Natiuitas eius, Viſitatio eius, & maximè Aſſumptio eius: quibus omnibus Proteſtantes valedixerunt, quaſi Chriſto honor eſſet colere Præcurſoris ſeu Baptiſtæ eius Natiuitatem, ignominia autem colere Natiuitatem Matris eius: honor Chriſto, ſi colimus Sanctorum eius Aſſumptiones ex hac vita ad vitam in cælo immortalem, ignominia autem, ſi colimus Aſſumptionem Matris eius: res certè vna, in qua abſurdiſſimè peccauerunt. quod, cum in ſanctis omnibus maximè colamus eorum Natalitia ſeu Aſſumptiones ad Chriſtum; diem illum quo Beatiſſima & Chariſſima Mater eius per mortem Aſſumpta eſt (vtrum in ſola anima, vt cæteri Sancti, an etiam in corpore, quanquam certum ſit, hìc non diſputo) quòd hunc diem Matris Dei, Dominæ Sanctorum & Angelorum, illi non celebrent, eſt, inquam, res vna in qua declararunt intolerabilem ſuam vel cæcitatem vel malitiam, eoque magis, quod interim Reginam ſuam terrænam die feſto quotannis celebrent cum incredibili pompa, ac ſplendore, & campanarum ſtrepitu, quas alioqui in Feſtis Dei ſilere iuſſerunt. quo etiam die Archipuritanus ille Laurentius Humphredus non erubuit in Sermone ad Vniuerſitatem & Ciuitatem Oxonienſem, aliquando per rhetoricam

a Auguſt. tract. 27. in Ioan. Ambr. off. lib. 2. cap. 28. Prud. 2. περὶ στεφ. Greg. Tur. de Mart. cap. 42. & 46. Greg. P.

ricam contentionem dicere inter alia : Papiſtæ colunt Sanctos mor-
tuos ; noſtra autem hæc eſt Sancta vita. &c. Denique his omni-
bus quos alios declararunt ſe eſſe, niſi illos, quos olim Propheta in-
troduxit dicentes in corde ſuo ſimul,] Quieſcere faciamus omnes dies *Pſalm. 73.*
feſtos Dei à terra. [Quanto autem melius conſuluiſſent ſaluti ſuæ An-
gli noſtri Hæretici, ſi perſeueraſſent nobiſcum in iſta annua Diuino-
rum officiorum obſeruatione, quam nos à maioribus noſtris accepi-
mus, & illi circa primam Gentes noſtræ conuerſionem acceperunt
à Romanis, Romani autem cum tota Eccleſia à primitiuis tempori-
bus religioſè & ſolenniter obſeruarunt? Qua de re omnibus Anglis XXII.
valde memorabilis eſt hæc Venerabilis Bedæ noſtri narratio de Bene- *Bed. Hiſt.*
dicto Abbate Monaſterij conſtructi à ſe in honorem Beatiſſimi Apo- *Ang. lib. 4.*
ſtolorum Principis, iuxta oſtium fluminis Vuiri, qui [venit Romam " *cap. 18.*
(quod & antè ſæpius facere conſueuerat) atque à Papa Agathone, præ- "
ter alia,] petijt & accepit Virum Venerabilem Ioannem Archicanto- "
rem Eccleſiæ S. Petri, & Abbatem Monaſterij Beati Martini, in Bri- "
tanniam perducendum, quatenus in præfato Monaſterio ſuo, cur- "
ſum canendi annuum, ſicut ad S. Petrum Romæ agebatur, edoce- "
ret. Egitque Abbas Ioannes [inquit Beda] vt iuſſionem accepe- "
rat Pontificis, & ordinem videlicet, ritumque canendi ac legendi viua "
voce præfati Monaſterij cantores edocendo, & ea quæ Totius Anni "
Circulus in celebratione Dierum Feſtorum poſcebat, etiam [a] lite- *a Directo-*
ris mandando: quæ hactenus in eodem Monaſterio ſeruata, & à *rium Offi-*
multis iam ſunt circumquaque tranſcripta. Non ſolum autem idem *ciorum di-*
Ioannes ipſius Monaſterij fratres docebat, verùm de omnibus penè eiuſ- " *uinorum.*
dem Prouinciæ Monaſterijs ad audiendum eum, qui cantandi erant pe- "
riti confluebant. Sed & ipſum per loca in quibus doceret, inuitare "
curabant.

Septimo, quoad hunc eundem totius anni circulum in celebratio- XXIII.
ne Dierum Feſtorum, ſeu, Curſum Canendi & legendi annuum, ob-
ſeruentur etiam Lectiones noſtræ, quæ partim ex Canonicis Scripturis,
partim ex Paſſionibus Martyrum & Vitis Sanctorum, partim ex Homi-
lijs Doctorum in Euangelia, compilantur. Quid enim & de his reſ-
pondet Antiquitas? ſimul autem & de Reſponſorijs lectionum, Anti-
phonisque Pſalmorum? vt quàm breuiſſimè dicam, S. Benedictus in *Reg. S. Be-*
Regula præſcribit ſuis, vt cantent Pſalmos cum Antiphonis, & Reſ- " *ned. cap. 9.*
ponſoria poſt lectiones, addentes Gloria Patri tertio Reſponſorio, "
& ſimul ſurgentes ob honorem & reuerentiam ſanctæ Trinitatis. "

» ac vt codices legantur in Vigilijs, [id eſt, in Nocturnis,] tam veteris teſta-
» menti quàm noui diuinæ authoritatis, ſed & expoſitiones earum, quæ à
» nominatiſſimis Doctoribus orthodoxis & Catholicis patribus factæ ſunt.
Soc. lib. 6. [Originem autem Antiphonarum & alternationis Pſalmorum in choro,
cap. 8. Theod lib. refert Socrates ad S. Ignatium diſcipulum S. Ioannis Euangeliſtæ & An-
2. cap. 24. tiochenum Epiſcopum, qui ea in re ſecutus eſt] viſionem Angelorum S.
Athan. Trinitatem ſic collaudantium. [cuius ritus & origines eiuſdem memi-
Conc. Cart. nit etiam Athanaſius apud Theodoretum. De Lectionibus autem Scrip-
3. Can. 47. turarum & Sanctorum, Concilium Carthaginenſe tertium hoc ſancit:]
Conc. Afri. Can. 13. » Item placuit, vt præter ſcripturas Canonicas, nihil in eccleſia legatur, ſub
» nomine Diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ,
Hadrian 1. Geneſis, Exodus, [& cæteræ quas hodie eccleſia noſtra tanquam cano-
de Imag. ad nicas ac Diuinas legit. Deinde ſequitur:] Liceat etiam legi Paſſiones
Carol. Mag. » Martyrum, cùm Anniuerſarij dies eorum celebrantur. [Cuius Canonis
præter alios Epiſcopos, conditor erat S. Auguſtinus: qui etiam in Scrip-
a August in tis ſuis ſæpè meminit Lectionum Sacræ Scripturæ,] [a] quæ ita eſſent an-
Præ. ſuper Epiſt. Ioan. nuæ, & certæ, vt aliæ tum in eccleſia recitari non poſſent: [quas & vo-
& tract. 9. cat,] quædam pro Diebus Feſtis ſolennia Lectionum. [Nec obſcurè ſi-
gnificat, libros ipſos Canonicos eo ordine lectos eſſe per annum, quo
b August. nunc leguntur à nobis, quando ita ſcribit:] [b] Actus Apoſtolorum teſtes
Tract. 6. in ſunt, ille liber canonicus omni anno in Eccleſia recitandus. Anniuer-
Euãg. Ioan. » ſaria ſolennitate poſt Paſſionem Domini noſtri illum librum recitari.
c de Temp. [Et quando alibi teſtatur, [c] per ſingulos annos ſecundum omnes Euan-
Ser. 144. geliſtas Paſſionem Domini legi ſolere: vbi & de Octauis Paſchæ dicit:]
» Dies iſti ſeptem vel octo durant ſpacium, vt ſecundum omnes Euange-
» liſtas Reſurrectio recitetur. [Non debeo autem hìc ſilentio præterire
Ioannem Iuelium Archihæreticum Anglum, qui & pro concione, & in
Scriptis non erubuit iactare ſupradictum canonem Concilij Carthagi-
nenſis, tanquam Damnantem Lectiones omnes in Eccleſia, præter
Scripturas Canonicas. ſic enim citauit:] Placuit vt præter Scripturas
Canonicas, nihil in Eccleſia legatur, [reliqua autem ſubticuit. Vnde cùm
admoneretur tam inſignis corruptionis, à quibuſdam noſtris Catholicis
Scriptoribus, qui docuerunt, ſequi protinus in Concilio verba hæc,] ſub
nomine Diuinarum Scripturarum. [& paulo poſt hæc præterea in eodem
& Concilio & Canone,] Liceat etiam legi Paſſiones Martyrum: [tamen
Humfre. de & ipſe in vita ſua, & poſt mortem eius præfatus Laurentius Humphre-
vita Iuelli, dus perrexerunt vaniſſimas intolerabilis mendacij defenſiones adferre:
pag. 197. tantâ ſuâ impudentiâ perſpicuum facientes id, quod aliquando in Do-

natiſtas

natiſtas dixit S. Auguſtinus,] Hæreticorum frontem non eſſe frontem. *August.* [Eccleſia interim Catholica declarat ſe verè eſſe ſponſam Chriſti, dum *XXIII.* & ipſius myſteria omnia, & Sanctos eius, huiuſmodi ſolennitate concelebrat: accommodans etiam ſingulis Lectiones Scripturarum tam appoſitè, vt facile oſtendat ſe hæredem eſſe illorum de quibus ſcriptum eſt:] Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas. [Nam] incipiens *Luc. 24.* à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis ea quæ de ipſo erant, [Scilicet Paſſionem ſuam, Reſurrectionem ſuam, & [a] Eccleſiam ſuam incipientem ab Ieruſalem, & inde creſcentem *a Vide Aug.* in omnes Gentes per prædicationem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine eius. A qua re Proteſtantes tam longè abſunt, vt etiam *de vn ec. cap. 9. 16. vel ſupra Moti. 1.* in Commentarijs ſuis ſuper vetus teſtamentum depromant ſenſum ſuum ex cæcis commentarijs cæcorum ducum, perfidorum Iudæorum, coniuratorum hoſtium Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: ac idcirco faciunt paucos Prophetas, paucas Scripturas, & in pauciſſimis locis, de Chriſto, id eſt de ipſo Capite, & de corpore eius eccleſia, verba facere, ſanè tantillum ferè, quantulum placuit Iudæis Rabbinis ſeu Magiſtris eorum: ac non omnes Prophetas, omnes Scripturas, in omnibus ferè locis, ad eum pertinere, ſic, vt ipſe interpretatus eſt, & tùm Apoſtoli eius, tum Eccleſia eius, quibus aperuit ſenſum vt intelligerent Scripturas, ſemper docuêrunt, hodieque docent: dicente Petro, [a] Deus prænunciauit per os *a Act 3 c. 18 d. 24.* omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum. [item] [b] Huic omnes *b Act. 10. v 43.* Prophetæ teſtimonium perhibent. [Dicente etiam Zacharia ſimiliter:] [c] Erexit cornu Salutis nobis in domo Dauid, ſicut locutus eſt per *c Luc. 1.* os ſanctorum qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius. [Angelo quoque in Apocalypſi,] [d] Teſtimonium enim Ieſu, eſt ſpiritus Prophetiæ. [vt multa *d Apoc. 19.* huiuſmodi clariſſima taceam teſtimonia.] Atque hinc tradiderunt Apoſtoli varijs in locis literarum ſuarum (quod & de S. Marco apud Alexandriam ſic inſtituante Monachos ſuos ſcribunt Philo & [f] Euſebius) *f Hiſt. Euſ.* exemplum & formam exponendi vetus teſtamentum allegoricè, quam *lib. 2. cap. 16. & lib.* formam Sancti Patres Eccleſiæ ſemper deinceps ſecuti ſunt. Noſtra igi- *6. cap. 13.* tur eſt Eccleſia, quæ cùm annum in varia ſacra tempora diſtribuerit, tum hiſtorias recolit varias aptiſſimas vnicuique tempori, & tam exactè accommodauit veteris teſtamenti vmbras, figuras, promiſſa, prophetias, multiplicibus ac diuerſis veritatibus & myſterijs Ieſu Chriſti Dei ac Domini noſtri, vt nihil potentius neque glorioſius ſit ad Iudæos confundendos, ad Chriſtianos confirmandos, ad omnes Hæreticos pudefaciendos, qui Eccleſiam, licèt ita prædicantem annum Domini acceptabilem, & facientem

facientem per hæc Sponſum ac Redemptorem ſuum cum omnibus eius myſterijs, videri, contrectari, & palpari ab omni populo, nolunt tamen agnoſcere. Catholici interim, qui mentem habent reuelatam, (nam
2. Cor. 3. velamen eſt ſuper cor Iudeorum & Hæreticorum, vt Chriſtum & Eccleſiam eius non videant in Scripturis) tamen Catholici, inquam, vident ibi vtrunque paſſim, eoque nomine Diuina Officia Eccleſiæ nunquam ſatis admirantur, in quibus palàm cernunt impleri illud Prophetæ,] Et
Pſalm. 71. adorabunt de ipſo [Chriſto] ſemper. [Quod enim per annum agimus vel de Tempore vel de Sanctis, quid eſt aliud, obſecro, quàm de Chriſto? qui
Act. 9. propterea è contrario dixit perſecutori Sanctorum ſuorum, Saule, Saule, quid me perſequeris?

XXV. Octaua adhuc differentia inter veterem Eccleſiam & nouos Hæreticos, ſimulque conuenientia inter eandem & Eccleſiam, quæ hodie eſt, animaduerti poteſt ab ijs, qui obſeruant cantum etiam Hymnorum, qui in noſtris Eccleſijs iam ab illis primæuis temporibus frequentatur. Hymni autem iſti compoſiti ſunt partim à Gregorio, Sedulio, Prudentio, & alijs, plerique autem ab Ambroſio, & ij nominatim quos ad Septem Horas Canonicas tum ille compoſuit, tum nos decantamus: vt inter cæteros, Hymnus ille ad laudes Die Dominica, Æterne rerum conditor,
Aug. Retract. lib. 1. cap. 21. cuius partem citat D. Auguſtinus, dicens:] Cantatur ore multorum, in Verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc, ipſa Petra
V. de & Cōfeſſ. lib. 9. cap. 12. Eccleſiæ, Canente, culpam diluit. [Idem alibi loquens de Iuſtina Imperatrice Arriana perſequente hunc hominem Dei Ambroſium, laudat
Aug. Confeſſ. lib. 9. cap. 6. 7. genus hoc conſolationis & exhortationis, ac dicit Deo: Tunc [in Eccleſia Mediolanenſi] Hymni atque Pſalmi, vt canerentur ſecundum
» morem Orientalium partium, ne Populus [excubans in Eccleſia, &
» mori paratus cum Epiſcopo,] mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum
» eſt, & ex illo in hodiernum diem retentum; multis iam, ac penè omni-
» bus gregibus tuis, & per cætera Orbis imitantibus. Tunc (inquit) inſtitutum fuit Mediolani: ſed Orientalium partium mos iam antiquus fuit.
a Theod. lib. 4. cap. 27. Soz. lib. 3. cap. 15. Vnde meminit Hiſtoria Eccleſiaſtica [a] Theodoreti & Sozomeni, Hymnorum S. Ephrem in Feſtis Martyrum: Et Hiſtoria Euſebij multo
b Euſ. lib. 7 cap. 19. priùs, [b] Hymnorum Nepotis. [c] apud quem etiam ſcribit. Quidam ad-
c lib. 5. cap. 27. huc antiquior Catholicus contra Hæreſim Artemonis (dicentis, Chriſtum non eſſe agnitum pro Deo, ſed pro puro homine, vſque ad tempora Victoris Papæ, qui decimus tertius à Petro fuit, ſed à Zephyrino illius ſucceſſore veram fidem hac in parte corruptam fuiſſe) & ait, fratrum
» quorundam Scripta ſupereſſe, Victoris temporibus multo antiquiora, vt

Iuſtini,

Iuſtini, Miltiadis, Clementis, Tatiani, Irenæi, Melitonis, & aliorum, qui Chriſtum Deum & hominem conſtanter aſſeuerant. [ſubijcitq́; deinde:] " Quot item Pſalmi, quot Hymni à fratribus fidelibus antiquitus perſcripti, qui Chriſtum, Verbum Dei, verum Deum eſſe, concentu quodam concelebrant? [De quibus Hymnis iterum loquitur Euſebius in Paulo Samoſateno qui ætate ipſius Hæreſim Artemonis renouauit:] [d] Pſalmos & cantus [inquit] qui ad Domini noſtri Ieſu Chriſti honorem decantari ſolent, tanquam recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos, exploſit. [Proteſtantes autem noſtri & tales de Chriſto, & ceteros Hymnos omnes exploſerunt.

d Euſ. lib. 7. cap. 24.

XXVI. Nonò videamus aliquid etiam de Miſſali. Nam pleraque Breuiarij, in Horis, & earum Pſalmis cum Antiphonis, Lectionibus cum Reſponſorijs, atque Hymnis, iam perſtrinximus. Miſſæ igitur breuis & ſufficiens Apologia eſt, quòd nullus Hæreticus hactenus potuerit deſignare tempus vllum, citra Apoſtolos ipſos, quando ea primùm introducta eſt; & hoc, quia ipſi Apoſtoli fuerunt, qui eam cum reliquo Euangelio Eccleſijs tradiderunt. Alia talis apologia eſt, quòd eam tota ſemper Antiquitas pro honore Sanctorum, & pro requie aliorum defunctorum fidelium celebrare ſit ſolita; quod ex multis exemplis ſuprà à me relatis patet: vt [a] pro Monica apud Auguſtinum, [b] pro Conſtantino Magno apud Euſebium, & [c] pro Victore apud Cyprianum. Si enim iuuat defunctos, Sacrificium eſt, & Sacrificium propitiatorium. Et ſi Sacrificium tale ſit, vaniſſima ſunt omnia quæ contra eam garriunt Proteſtantes. Subſtantia quidem Sacrificij huius conſiſtit in Conſecratione panis & vini per ſolennia verba Chriſti, quæ ſeorſum Corporis, & ſeorſum Sanguinis (in modum victimæ) confectionem habent. Vnde ſi qui fortè Sacerdotes Hæretici apud Proteſtantes cætera omnia quæ de more Eccleſiæ dicuntur in Miſſa, prætermittant, ſolaque Chriſti verba illa pronuncient ſuper panem & vinum, cum intentione faciendi quod ille fecit, Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti eſt quod conficiunt: quanquam auſu tam ſacrilego cumulant ſibi maiorem damnationem. quemadmodum etiam Baptiſmus eſt, cui adſint cum aqua & intentione verba formalia, tametſi cætera omnia ſiue ex hæreſi, ſiue ex alia quauis cauſa deſint. Idemque eſſet, ſiquis Sacerdos Catholicus eadem formula Miſſam celebraret: quod quidem poſſet de licentia Summi Pontificis, & æquè valeret tunc Sacrificium, atque nunc, ſiue pro defunctis, ſiue pro Sanctis, ſiue pro quacunque alia cauſa offerretur. Non tamen credo, Pontificem id vnquam permiſſurum, ne illis quidem in locis, vbi vel eſt in Hæreticis, vel erit

a Moti. 12.
b Moti. 19. num. 9.
c Moti. 12.

vel erit in ipſo Antichriſto, Sedes Satanæ: in quibus tamen locis Catholici per huiuſmodi conceſſionem minùs periclitarentur, vel quia citiùs abſoluerent Sacrificij ſeu Miſſæ actionem, vel quia ipſis fortaſſe perſecutoribus non videretur hæc eſſe Miſſa, quam vel in Anglia, vel alibi, impoſitâ vel capitis vel pecuniæ mulctâ, Antichriſtianicè interdixerunt. Idem etiam fuit, quando Apoſtoli inter prima ſtatim initia, cætera Actione ſacrâ nondum conſtitutâ, conſecrabant oblationis hoſtiam (vt ſuprà dixit Gregorius) ad ipſam ſolummodò orationem Dominicam, poſt verba ſcilicet Conſecrationis nullam precem adhibentes niſi ipſam. In his (inquam) omnibus fit conſecratio & immolatio Corporis & Sanguinis Chriſti per ſola formalia, vel (vt vocat Auguſtinus) Euangelica verba, quia cætera, quæcunque illa ſint, de rei ſubſtantia non ſunt. Veruntamen cætera iſta quæ Eccleſia noſtra in illius Myſterij celebratione frequentat, ſunt omnino conuenientiſſima, nec ſolùm his proximis mille annis, verum ſuprà etiam ab ipſis Apoſtolis vſque vſitata. & ea maximè, quæ Hæretici reprehendunt maximè: quæ ſcilicet in Sacro Canone frequentantur, quæ nihil aliud ſunt, quàm partim productiores continuationes pijſſimi deſiderij Offerentium, partim prolixiores interpretationes vnius breuiſſimæ & efficaciſſimæ actionis in Conſecratione, declarantes potiſſimùm, quid, cui, pro quibus, & à quibus offertur. Si quæ autem in tota Miſſa recentiora ſunt, ea ſunt quæ præter Canonem, in illa parte quæ dicta eſt Miſſa Catechumenorum, quæ & antiquiſſima eſt, vſurpantur: quæ tamen adeò digna ſunt hoc diuino Myſterio, vt etiam Anglo proteſtantes noſtri (quod & ſupra monui) ea in vſu ſuo retinenda cenſuerint. Quanto igitur magis retinere debuiſſent reliqua quæ leguntur in Canone, ſeu in Miſſa Fidelium, neque ipſa vlli articulo fidei primææ contraria, & indubiè tum antiquiſſima, tum planè Apoſtolica. Legantur Liturgica Dionyſij Areopagitæ (quæ ipſius Pauli Magiſtri ſui aliorumque Apoſtolorum ſunt) & cæterorum Græcorum Patrum, collecta & edita per Claudium de Sainctes, item Liturgica Latinorum Patrum collecta & edita per Iacobum Pamelium: nihilque erit in Miſſa noſtra, tam magnum, neque tam paruum, quod non teſtimonia probatiſſimæ antiquitatis intelligetur habere. quod latius in præconſulto Diuinorum Officiorum Commentario poſſet oſtēdi. Breuitati noſtræ ſatis erit, quandoquidem oblatio pro defunctis eſt, quàm maximè vituperant Hæretici, & ex qua vna ſufficientiſſimè contra & defenditur Miſſa, commemoraſſe quædam de hac Eccleſiæ praxi teſtimonia S. Auguſtini, partim ſimplicia, partim cum reddita ratione.

Marginal notes: Num. 7. — Aug. con. Don. lib. 6. cap. 25. — Num. 51. — Dion. Are. de Eccleſ. Hierar. cap. 3. & Epiſt. 8. — XXVII.

Suppli-

Supplicationes [inquit] faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcunque ſub Generali Commemoratione ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quæcunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia Matre communi. [item in eodem libro:] [b] Pro mortuis, Altaris, Orationum, & Eleemoſynarum ſacrificijs ſolenniter ſupplicamus quamuis non, pro quibus fiunt, omnibus proſint, ſed ijs tantùm quibus dum viuunt comparatur vt proſint. Sed quia non diſcernimus qui ſint, oportet ea pro Regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint & debeant peruenire. [Et alibi:] Cùm ergo ſacrificia ſiue Altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro Baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis, Gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis, Propitiationes ſunt: pro valde malis, & ſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. [additque de ſecundis, id eſt, non valde malis:] Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio [de Purgatorio,] aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio, [id eſt, pœna in Purgatorio. Et de differentia inter Commemorationem Sanctorum, & Commemorationem cæterorum Defunctorum, ſic ait:]. [d] Fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad Altaris Sacramenta recitentur. [Item alio in libro: [e] Non ſic beatos Martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt: vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt orent ipſi pro nobis. [Rurſus in alio:] [f] Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. [Iam & de generalitate huius conſuetudinis in Canone Miſſæ per vniuerſam Eccleſiam, hæc teſtatur:] [g] Hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in Corporis & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. [Et [h] alibi eodem modo:] In [i] Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius Altare funduntur, locum ſuum habet etiam Commendatio mortuorum. [Addatur nunc his (quò videamus Auctorem Rituum Miſſæ) quod idem [k] alio in loco ita ſcribit:]

Auguſt. de cura Mort. cap. 4.
b cap. 18.
Enchir. cap. 110.
d De ſan. Virg. cap. 45.
e Tract. 84. in Ioan.
f De verb. Apoſt. Ser. 17.
g De verb. Apoſt. Ser. 34.
h De ser. pro Mort. cap. 1.
i 2. Mac. 12
k Epiſt. 118. ca. 6.

l 1. Cor. 11. Cùm verò ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens: [l] Propter quod, fratres, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis: ſtatim ſubtexuit: Cætera autem cùm venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, (quia multum erat, vt in Epiſtola totum illum Agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſum per Orbem ſeruat Eccleſia,) ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. [A Paulo igitur ordinatum eſt, quòd offerimus Sacrificium hoc pro Defunctis. id enim modò dixit Auguſtinus, Eccleſiam ſeruare per vniuerſum Orbem: cùm ſit etiam eiuſmodi, quod (vt prædixi) vnum contineat apertam totius

XXVIII. Miſſæ defenſionem, implicitè quidem. Sed vt habeatur explicita etiam & expreſſa defenſio totius, audiamus ab Auguſtino totam Miſſam ſui temporis, ſeu totum illum Agendi ordinem, quem tunc vniuerſum per orbem ſeruauit Eccleſia, & Apoſtolus ordinauit. Denique eundem planè fuiſſe illum Ordinem ſeu Canonem, qui hodie noſter eſt, teſtatur idem

Epiſt. 59. quæſt. 5. apertè in Epiſtola ad Paulinum, hoc ibi referens (vt dici) quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia. [Quid igitur hoc erat? Quatuor fuiſſe partes in celebratione Sacramentorum, ſeu in Miſſa Fidelium, quas

m 1. Tim. 2. idem quoque Apoſtolus deſignauerit [m] ad Timotheū in quatuor vocabulis, quæ ſunt, Precationes, Orationes, Poſtulationes, Gratiarum actiones. Nam Precationes [inquit] accipimus dictas, quas facimus in cele-

n Cypr. de Orat. Dom. bratione Sacramentorum [vtique poſt Præfationē, quam ſic [n] etiam Cyprianus nominat] antequam illud, quod eſt in Domini Menſa, incipiat benedici. Orationes, cum benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur: quam totam petitionem ferè [nam diuerſitatem in

Num. 7. hoc aliquam ſuprà audiuimus ex Gregorio] Omnis Eccleſia, Dominica Oratione concludit. Poſtulationes ſeu interpellationes, fiunt, cùm populus [communicaturus] benedicitur. Tunc enim Antiſtites, velut Aduocati [& interpellatores,] ſuſceptos ſuos per Manûs impoſitionem, miſericordiſſimæ offerunt Poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, Gratiarum actio cuncta concludit, quam etiam in his verbis vltimam commendauit Apoſtolus. [Cui non debet putari contrarium id, quod ſuprà dixit S. Gregorius, Scholaſticum compoſuiſſe Precem quam ſuper Oblationem, ſiue ſuper Corpus & Sanguinem Chriſti dicimus. [Non video enim præſertim ſcribente in hæc verba Vigilio Papa:]

Vigil. Epiſt. 1. cap. 5. 10. 2. Concil. Ipſius Precis textum, Deo propitio, ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus, cur per Scholaſticum illum Gregorij non intelligamus D. Paulum, vel alium quemuis Apoſtolum, quia facit ibi Gregorius comparationem inter

Precem.

Precem Scholaſtici & Traditionem Redemptoris:quanquam ſcio pleroſ-
que intelligere S. Gelaſium nondum Papam. Quod etiam ſi ita ſit, nihil-
ominus verum eſt quod dixit Auguſtinus, S.Paulum, (indubiè ex omniũ
Apoſtolorũ diſpoſitione)iſta ordinâſſe Corinthi,& alijs in Eccleſijs. Nam
ſi cui minùs probetur,Paulũ vel alios Apoſtolos,ſecundùm hæc ipſa verba
cõpoſuiſſe ſacrũ Canonem: Saltem tradiderunt illi ſenſum,& quaſi thema
atque argumentum, iuxta quod videre eſt in S.Clementis libris de Cõſti-
tutionibus Apoſtolicis. Et ſenſum illũ reliquerunt Epiſcopis ſingularum
Eccleſiarũ exprimendum quibus verbis quiſque vellet aut optimè poſſet.
Indeque eſt quòd tam multæ Miſſæ ferantur, Miſſa Iacobi Apoſtoli, Miſſæ
Romana, Miſſa Baſilij,Miſſa Chryſoſtomi, Miſſa Ambroſij,& aliæ multæ:
eæ ſque omnes non differẽtes inter ſe niſi varia cõpoſitione verborũ;rebus
autem ipſis, vt oblatione Sacrificij, Cõmemoratione Sanctorũ,Cõmen-
datione mortuorũ,& cæteris quæ ad ſenſum pertinent, ſibi inuicem con-
ſentaneæ.Cuius generis exemplũ eſt in quatuor Euãgelijs,omninoque in
Scriptis omnibus, quibus varij Scriptores rem eandem diuerſis verbis, &
diuerſo modo ediderunt. Nec aliud intellexit Auguſtinus, cùm diceret,
totum illum Agendi ordinẽ, quem vniuerſum per orbem ſeruat Eccleſia,
[ſeu] quod nulla morũ diuerſitate variatur,ab Apoſtolo ordinatum eſſe:
[exempli cauſa,] quòd pro defunctis offertur ipſum Sacrificiũ & oratur.
[hoc enim dixit ipſe] vniuerſam Eccleſiã obſeruare, nõ ignorans interim,
alijs verbis id fieri à Græca Eccleſia, alijs à Latina, nec id ſolùm quo modo
alia ſunt verba cùm aliquid ex vna lingua transfertur in aliam,verũ etiam
ad inſtar quatuor Euangeliſtarum ſiue diuerſis ſiue eâdem linguâ ſcriben-
tium. Et hanc licentiã variandi verba,ſeruato ſenſu in ſubſtantialibus,reli-
querunt indubiè ipſi Apoſtoli Epiſcopis Eccleſiarum,ſicut ex loco illo D.
Pauli,quem de Canone Miſſæ audiuimus interpretantem S. Auguſtinum,
colligi poteſt, vbi ita in Timotheo rogat quemlibet Epiſcopum:] Obſecro
igitur primũ omniũ fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarũ 1. Tim. 2.
actiones pro omnibus hominibus,pro Regibus & omnibus qui in ſublimi-
tate ſunt:&c.[Ex qua tamen libertate quia irrepſerũt abuſus,idem Auguſt.
& alij Epiſcopi in Cõcilio Mileuitano, decreuerĩt talem poteſtatẽ reſtrin-
gẽdam à ſingulis,& reſeruandã toti Cõcilio: Placuit & illud [inquiunt] vt
preces,vel orationes,ſeu Miſſæ [ſunt enim plurimæ,ſeu de Tẽpore,ſeu de Con. Mileui.
Sanctis,ſeu votiuæ]quæ probatæ fuerint in Concilio,ſiue Præfationes,ſiue cap. 12.
Cõmendationes, ſeu Manus-impoſitiones,ab omnibus celebrentur. Nec
aliæ omnino dicãtur in Eccleſia,niſi quæ à prudentioribus tractatæ,vel cõ-
probatæ in Synodo fuerint: ne fortè aliquid cõtra fidẽ,vel per ignorantiã,
vel per minus ſtudium ſit cõpoſitum.

Vide Conc. Trid. Seſ. 25. ſub finẽ & Bullas Pii V. ante Breuiar. & Miſſale.

Qua in parte diebus noſtris plurimùm gratulantur omnes piè docti propagationem Romani Breuiarij & Miſſalis, exactè reſtitutorum ad priſtinas formulas auctoritate Concilij Tridentini, ſummorumque Pontificum Pauli quarti, Pij quarti, & Pij quinti, ac Doctorum piorumque virorum magno labore & exquiſita diligentia.

a Moti. 21. num. 3. *b Supra num. 11.* *Aug. Cõfeſ. lib. 9. cap. 12.* *Dion. Areo. cap. 7. de Eccleſ. Hierar.*

XXIX. Decimo, quoad Manuale etiam: de Exorciſmis dæmonum ſatis dixi in Motiuo decimoſeptimo. De ritu Aquæ Benedictæ, præter ea quæ ſparſim dixi, notiſſima eſt Epiſtola Alexandri primi, qui fuit quintus à D. Petro, nec ipſe auctor huiuſce inſtituti, ſed teſtis, auctores autem Apoſtoli. De ritu Sepeliendi citaui ſupra [a] Bedam pro ipſis Vigilijs ſeu Nocturna Pſalmodia Defunctorum, cum Miſſa quæ de more conſequitur. [b] Victorem etiam pro eodem, lugentem grauiter & gementem, quòd rex Arrianus præcepiſſet, Catholicorum corpora defunctorum, ſine ſolennitate Hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci. Narrat etiam Auguſtinus, in morte Matris ſuæ cantatos eſſe pſalmos, & deinde oblatum pro ea Sacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere priuſquam deponeretur. Legatur Dionyſius Areopagita qui tractatum longum habet de exequijs mortuorum, non ſolum ritus ſimpliciter referens, verum etiam myſticè eos exponens, licèt hoc in Rationali Diuinorum videatur hæreticis eſſe ridiculum. Ibi igitur refert hic Author antiquiſſimus, corpora Clericorum Defunctorum inclinata eſſe ante ſanctum Altare: corpora verò Monachorum, & laicorum, ante ingreſſum venerandi Sacrarij ſeu Chori. Deinde Antiſtitem pro eo Miſſam celebrare, quam ille vocat τὴν πρὸς θεὸν εὐχαριστήριον εὐχήν, id eſt Eucharíſticam ad Deum precem. talem autem teſtatur fieri precem ſacram ſuper mortuum, qua Antiſtes roget Diuinam clementiam, vt cuncta

» dimittat defuncto peccata per infirmitatem humanam admiſſa, eumque

a Cypr de vnct. Chriſ. Chryſ. li. 3. de Sacer. Innoc. epiſt. 1. cap. 8. Aug. de rect. Catho. conuerſ. li 2 de viſit. infir. cap. 4. Proſper. de predict. part. 2 c. Conc. VVor. Beda. in Iac. 5.

in luce ſtatuat & regione viuorum, in finibus Abrahæ, & Iſaac, & Iacob; in loco vnde aufugit dolor, & triſtitia, & gemitus. quam etiam precem in ſequentibus copioſè defendit. Ad hunc locum pertinet ritus quoque inungendi morientes, de quo quid attinet in defenſionem Manualis noſtri producere Antiquos patres, cum ipſe etiam Apoſtolus Iacobus apertiſſimè ſcripſerit, dicens: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & ſi in peccátis ſit, remittentur ei. quem morem habuit deinceps Eccleſia Dei ſemper in vſu, vt patet ex [a] Cypriano, Chryſoſtomo, Innocentio primo, Auguſtino, Proſpero, Concilio Wormatienſi, Beda, & innumeris qui

hos ſe-

-hos ſecuti ſunt. Alius in Manuali Sacerdotum eſt ritus de celebratione XXX.
baptiſmi, quo nihil eſt in tota Antiquitate magis teſtatum. obſeruetur
igitur in hac quoque parte vtrum nobis an Proteſtantibus cõueniat cum
Antiquis. certe quicquid in hoc ſacramento adminiſtrando obſeruat Ec-
cleſia noſtra, idem eccleſia obſeruauit antiqua, quemadmodum ex ſolo
Dionyſio Areopagita abunde conſtat. Nam apud eum ſunt hæc omnia *Dionyſ. cap. 2. de eccleſ.*
in capite de Baptiſmo, Suſceptor, Hymni, Abrenunciatio, Signatio per *hierarch.*
Crucem, Exufflatio, Occidens & Oriens, Benedictio & manus impoſi-
tio, Inunctio, Fons quem ille vocat matrem adoptionis, Sanctificatio
aquæ, trina Immerſio cum Inuocatione Trinitatis, & Veſtis munda. Sic-
que baptizatum & veſtitum reducunt (inquit) ad pontificem. Ille verò "
Deifico vnguento virum ſignans, participem declarat impoſterum ſan- "
ctiſſimæ Euchariſtiæ. Ac tum ſingulorum iſtorum theoriam etiam ſubij-
cit, quod Rationale vocamus. Idem [b] alibi meminit etiam baptiſmi infan- *b Sub. finem eccleſ.*
tum, abrenuntiantium & confitentium per alios. Suo quoque tempore *Hierarch.*
D. Auguſtinus paſſim meminit eorundem rituum. vt [c] fontem conſe- *c Aug. con. Iul. lib. 6.*
crari Signo crucis; & baptizandos [d] exorcizari & exufflari: item [e] in- *cap. 8.*
ungi eos oleo, & abrenunciare Satanæ, & pompis, atque Angelis eius. quo- *d ibid. c. 8.* *e De tem-*
rum omnium extant quoque teſtimonia Tertulliani, Hieronymi, Chry- *pore ſerm.*
ſoſtomi, Origenis, Cypriani, Ambroſij, Euſebij Emiſſeni: nec ſolùm ſin- *206. & de Symb. lib. 4.*
gulorum, verumetiam Conciliorum, eorumque multorum. quæ tanta *cap. 1.*
copia magis conuenit ſuprà memorato commentario in diuina officia,
quàm huic breuitati. Atque hæc ferè ſunt, quæ in Manuali conti-
nentur.

Vndecimo iam de Pontificali etiam libro videamus pauciſſima: XXXI.
vtrum ſcilicet ea quæ Epiſcopi noſtri ſecundum formulam libri iſtius ad-
miniſtrant, conueniant cum Antiquitate, an magis quæ Proteſtantes.
ſed quæ hic ſuſpicio quæſtionis, cùm Proteſtantes nolint eſſe Epiſcopos,
ſed ſecundum Aërium hæreticum Dogmatizent, nihil eos differre à pres- *Aug. Her. 53.*
biteris? Ac vbi in hoc ſibi ipſi repugnant, vt in Anglia noſtra, vmbram
quandam imitantes Epiſcoporum, quid obſecro faciunt, in diuinis offi-
cijs pſeudoepiſcopi, quod idem miniſtri infimi ſecundum eos facere non
queant? ſola ergo eccleſia noſtra eſt cuius & antiquitus, & nunc, & ſem-
per Epiſcopi ſolent templa & Altaria & Calices conſecrare, vnde in præ-
cedenti Motiuo plurima exempla citaui, maximeque de templis Prophe-
ticis Conſtantini Magni: oſtendens etiam ordinata eſſe Officia quædam
Diuina iam tum, non modò ad celebrandam primam templorum dedi-
cationem, verum etiam ad eandem quotannis ſolenniter recolendam,
idque:

ſeu aquæ baptiſmatis, & in confirmatione baptizati. Propter quod vult
magnam eſſe differẽtiam inter Epiſcopum & Presbyterum, quia per hoc
manifeſtè declaratur presbyter pendére ab Epiſcopo, dum ſcilicet ab illo
accipere debet hoc ſacrum vnguentum vt aquam paret ad baptiſmum,
nec ſine eodem Altare etiam habeat in quo Euchariſtiam celebret. Vnde
paulo antè citaui Auguſtinum & alios patres Concilij Carthaginenſis *Idem Conc. Carthag. 2. cap. 3.*
tertij, iubentes, vt Presbyter nunquam conficiat Chriſma, nec de licen-
tia quidem Epiſcopi. Hinc eſt & illud Cypriani, vbi loquitur de die
quam vocamus In Cœna Domini, ſic dicentis:] Hodie in Eccleſia *Cypr. de vnct. Chryſ. & aliis Sacram.*
cum cæteris vnctionibus Sacrum Chriſma conficitur &c. [Quomodo
autem iſto vnguento per Epiſcopum confirmentur baptizati, & de illo
ſignentur in fronte ſigno Crucis ad accipiendum ſpiritum ſanctum,
quo modo olim venit in die Pentecoſtes ſuper primos fideles, aliàs *Moti. 9.*
multa dixi: proferens inter alia exemplum S. Auguſtini Epiſcopi ad-
miniſtrantis hoc ſacramentum baptizatis infantibus, & dicentis: Nun- *Aug. tract. 6. in Epiſt. Ioannis.*
quid modò quibus Imponitur manus vt accipiant Spiritum Sanctum,
hoc expectatur, vt linguis loquantur? Aut quando Impoſuimus ma- "
num iſtis Infantibus, attendit vnuſquiſque veſtrum vtrum linguis lo- "
querentur? & cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde "
aliquis veſtrum fuit, vt diceret, Non acceperunt iſti Spiritum San- "
ctum &c. Neque enim [vt alibi dicit] temporalibus & ſenſibilibus *De Bap. cõt. Don. lib. 3. cap. 16.*
miraculis atteſtantibus per manus Impoſitionem modò datur Spiri-
tus Sanctus, ſicut c antea dabatur ad commendationem rudis fidei, *c Act. 2. 10.*
& eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt hij, "
quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repente "
incipiant linguis loqui? ſed inuiſibiliter & latenter eorum cordibus "
inſpiratur &c. [Itaque in hac etiam traditione rectè conuenit Pon-
tificali noſtro & Antiquitati, dicente adhuc eodem Auguſtino:] Non *Aug quæſt. 42. Noui teſtam.*
pertinet ad omnes credentes, ſed ad Epiſcopos tantum, vt baptiza-
tis per manus impoſitionem Dent Spiritum Sanctum. [& idem multi
alij Antiqui patres conteſtantur: quos breuitatis cauſa prætermittens,
tamen illud præterire non poſſum, quod hic duodecimo loco ſe no-
bis offert: Nimirum vt Sacrum Chriſma adhibitum eſt in pleriſque
miniſterijs obeundis, ita multo magis & frequentius Signum ſanctæ
Crucis ad omnia ferè Diuina celebranda præſto fuiſſe: id quod ex XXXIIII.
D. Dionyſio ſupra facilè animaduerti potuit, concinente etiam *Chryſ hom. 55. in Mat. 10.*
Chryſoſtomo, & dicente:] Omnia enim quæ ad Salutem noſtram
conducunt, per ipſam conſummantur.

„ Nam cum regeneramur Crux Domini adeſt : cum ſacratiſſimo alim
„ cibo, cum in Ordine Conſecrandi Statuimur, vbiqueac ſemper id vict
Aug. tract. 118. in Euang. Ioannis. rix inſignis &c. [Auguſtino ſimiliter:] Quod ſignum niſi adhibeatur ſi
frontibus Credentium, ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo qu
„ Chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum rite pe
b de tempore ser. 18. cap. 3. Et de Sanctis ser. 19. ficitur. [Qui [b] alibi teſtatur, non ſolùm in his vſum fuiſſe huius Saluta
ris Signi, verum etiam in traditione Ordinum, in dedicatione Baſilica
rum, in Conſecratione Altarium.] Et vniuerſaliter [inquit] omnia eccle
XXXV. ſiaſtica ſacramenta in huius virtute perficiuntur. [Meritò igitur cum he
ſacro Signo, in morem publicæ proceſſionis (vt decimotertiò & vltima
aliquid pro libro etiam Proceſſionali dicam) introierunt Apoſtoli noſtr
Beda Hist. lib. 1. cap. 25. ad Angliam noſtram conuertendam. Crucem enim [inquit Beda noſter
pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Domini Saluatoris in ta
„ bula depictam; Litaniaſque canentes, pro ſua ſimul & eorum propte
Socrat. lib. 6. cap. 8. quos & ad quos venerant ſalute æterna Domino ſupplicabant. [Mult
etiam priùs (vt ſcribit Socrates) S. Chryſoſtomus fecit Cruces argen
„ teas, ſumptu Eudoxiæ Imperatricis, quibus lucernæ cereæ imponeban
Pallad. in vita Chrysostomi. tur, in nocturnis Hymnis per mediam vrbem decantandis. Sub quo
ſancto Epiſcopo (vt ſcribit Palladius) perſequutores cum exercitu, Ca
„ tholicorum eccleſiam prædabantur; Crucis ſignum venerabile, quod
„ illi ferentes in humeris, Litanias in campo agebant, pedibus ſuis concul
In Auth. C. de epiſ. & cler. cantes. [ſuntque variæ leges Iuſtiniani Imperatoris huc pertinẽtes : vna,
„ Laicis facere Litanias interdicimus ſine Clericis, quæ ſine orationibus, &
In Auth de san. episc. Cruce fieri non debent. [Alia:] Sed & ipſas Honorandas Cruces, cum
„ quibus in Litanijs ingrediuntur, non alibi niſi in venerabilibus locis re-
„ poni : & ſi quando opus vocauerit ad Litanias celebrandas, tunc ſolùm
„ ipſas ſanctas Cruces accipere eos, qui conſultè eas portare ſolent, & cum
„ epiſcopo & Clericis Litanias celebrare. [Item ante Iuſtinianum, ſub
Sozo. lib. 8. cap. 6. Ambroſio Mediolanenſi & eodem Chryſoſtomo Conſtantinopolitano
„ Epiſcopis, vt refert Sozomenus] Nicomedienſes, haud ſecus atque ter-
„ ræ motum, aut ſiccitatem, aut aliud aliquod diuinitus exhibitum oſten-
„ tum deprecaturi, per plateas circumeuntes cantillabant, ac Deo ſuppli-
„ cabant, vt Gerontium retinerent Epiſcopum. [Quibus verbis ſatis
apertè inſinuat Sozomenus, non fuiſſe hoc recens inuentum illius tem-
poris, ſed ſolennem in Siccitatibus, & Terræ motibus, & alijs malis
Sozo. lib 7. cap. 23. publicis conſuetudinem. Vnde & ante iſtos, vt idem ſcribit, plebs An-
tiochenſium quia grauiter offenderat Theodoſium Seniorem, audiens
minas eius contra Ciuitatem ſuam, pœnitentiam egit, & Deo ſuppli-
cabat, vt

eabat, vt Imperatoris iram mitigaret, Cantilenis quibuſdam lugubribus *a Niceph.*
ad eam Supplicationem vſurpatis. [Multa ſunt & apud Nicephorum *lib. 14. cap. 7.*
huiuſmodi Supplicationum per plateas exempla, videlicet ſub [a] Hono- *b lib. 14.*
rio Imperatore, & ſub filio eius [b] Theodoſio Iuniore, huiuſque Sorore *cap. 46. lib. 18. cap. 51.*
[c] Pulcheria, quam laudat ille, & meritò, quod Supplicationem ſingulis *c lib. 15.*
quartis ferijs pedes frequentare ſolita erat. Narratque Maximum & in- *cap. 14.*
ſolitum fuiſſe terræ motum, propter quem Imperator Theodoſius, &
Proclus Patriarcha, cum omni populo, Litanijs & Supplicationibus de-
uotiſſimè incumbebant. contigiſſe autem in ipſa Supplicatione, vt puer
quidam è conſpectu omnium in cælum mirabiliter raperetur, vbi audi-
uit ab angelis cani Hymnum Triſagion, Sanctus Deus, Sanctus Fortis,
Sanctus Immortalis, miſerere nobis. quod cum delapſus renunciaſſet,
Statim vita defunctus eſt: Deo per tale miraculum (vt interpretatur
Nicephorus) reprobante Hæreſim Theopaſchitarum illo tempore ger-
minantem, quæ Hymno iſti adiectionem illam factam voluit, Qui cru- XXXVI.
cifixus es pro nobis, quaſi Diuinitas ipſa paſſa eſſet. Sacras quoque Re-
liquias ſæpè in huiuſmodi ſolennitatibus maxima cum reuerentia, ſtu-
pendis etiam concurrentibus miraculis, deportatas eſſe, plurima ſunt
antiquiſſima exempla. vt quod narrat S. Hieronymus,] oſſa beati Samuelis "
[ſuo tempore ſub Arcadio Imperatore] tranſlata eſſe de Iudæa in Thra- *Hier. cont. Vigil.*
ciam, & omnes eccleſiarum populos occurriſſe ſanctis Reliquijs: & tantâ "
lætitiâ, quaſi præſentem viuentemque Prophetam cernerent, ſuſcepiſſe, "
vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, "
& in Chriſti laudes vna voce reſonarent. [Vbi etiam ait,] Epiſcopos "
Sanctas Reliquias in ſerico & vaſe aureo portauiſſe. Similem pompam *Hier. in vita Hilar. ſub fin.*
Sacram deſcribit, qua corpus S. Hilarionis poſt decem ferè menſes mor-
tis eius De Cypro in Maioniam, & inde in Palæſtinam, totis Monacho-
rum & oppidorum turbis proſequentibus, delatum eſt, & in antiquo "
Monaſterio conditum, illæſa tunica, cuculla & palliolo, & toto corpore "
(quaſi adhuc viueret) integro, tantiſque fragrante odoribus, delibutum "
vnguentis putaretur. [Antiochenos etiam ſub Iuliano Apoſtata eadem
cum celebritate tranſtuliſſe Reliquias S. Babylæ de ſuburbio in ciuita- *Moti. 16.*
tem, maximis miraculis concurrentibus, aliàs commemoraui. Talia ſunt
exempla, quæ etiam S. Auguſtinus narrat] de Reliquijs Martyris glo- *Auguſt. de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 8.*
rioſiſſimi Stephani, quas afferente Epiſcopo, cum magnæ multitudinis "
concurſu, & occurſu, cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora "
ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admo- "
uit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam "

» carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. [Et ibidem:] memo
» memoriam Martyris, quæ poſita eſt in caſtello Synicenſi, quod Hip
» nenſi coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo p
» cedente atque ſequente, portabat: fiſtula, (cuius moleſtia iam diu la
» rauerat, & familiariſſimi ſui medici, qui eam ſecaret, operiebatur man
» illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctus attigit Reliquias repente Sa
» ta eſt. Nam deinceps eam in ſuo corpore non inuenit. [Aliàs citaui
Sup. Noti. 13. uagrium de ligno Sanctæ Crucis, quod Thomas Epiſcopus Apamie
» ſis] totum Sanctuarium circumiens (vti in ſtatis Adorationis dieb
» fieri ſolebat) adorandum oſtendit, ingente flamma ignis ſpendeſce
» tis, nec ardentis, ſequente eum de loco in locum progredientem. [
Con. Trid. ſeſ 13. Can. 6. & cap. 5. hinc eſt] laudabilis & vniuerſalis Eccleſiæ ſanctæ ritus & conſuetu
ſolenniter in Proceſſionibus circumgeſtandi in Sancto Euchariſtiæ S
» cramento Chriſtum vnigenitum Dei filium, & eum publicè, vt ad
» retur, populo proponendi. [Nam] ſic quidem [vt ſapienter dicit Sacr
» ſanctum Cōcilium Tridentinum] oportuit victricem veritatem de me
» dacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tan
» ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati
» fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi, aliquando recipiſcan
[quemadmodum & de Iuliano Apoſtata memoriæ proditum eſt, ex ſ
pradicta ſolennitate Reliquiarum S. Babilæ eum cum dæmonibus & Ido
lolatris ſuis mirabiliter fractum eſſe. Nam & S. Irenæus antiquiſſimu
Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 24. apud Euſebium ſcribit, miſſam eſſe Euchariſtiam Epiſcopis aliarur
Eccleſiarum Romam aduentantibus, ſub Aniceto, Pio, Hygino
Teleſphoro, Sixto, & cæteris qui victorem in illa Sede præceſſerant

XXXVII. Niſi fortè inſipiens quiſpiam hic dicat, non tum adeò reuerenter & honorificè Sacramentum hoc habitum eſſe per vias & loca publica quibus mittebatur. Quaſi verò, quoniam nunc in Anglia Sacerdotes oc cultè circumferunt ad ægrotos præcelſum hoc & venerabile Sacramentum, quia propter perſecutores aliter non poſſunt, alijs in locis vbi Eccleſia Catholica pacem & libertatem habet, nihilo maior pompa & ſolemnitas eſſe debeat. Aut quia illic & alijs ſimilibus in locis celebratur idem Sacramentum in priuatis ædibus & in magna paupertate, à Catholicis qui illic aliter non poſſunt, nec aliàs per Eccleſiam Catholicam templorum & diuitiarum ſplendor vllus eſſe debeat. Nam hæc eſt ſcilicet profunda Hæreticorum ſapientia. vt omnia ſemper cum illa ſimplicitate fiant, qua olim a Chriſto & Apoſtolis in Hieruſalem, & in quibus alijs locis Aduerſarij dominabantur: tantùm non cum Iuda

dicen-

dicentium, Vt quid perditio hæc? Quaſi quoniam Chriſtus in loco de- *Matth. 26.*
ſerto conuiuas ſuos diſcubere fecit ſuper fœnum & ſuper terram, nun- *Matth. 14. 15.*
quam debeant accipi conuiuæ ſplendidius, nec tum quidem quando & adeſt facultas, & conuiuium tam diuinum eſt. Non ſic vnquam pij Chriſtiani, non ſic, ſed ſemper, vbi opes ſuppetebant, & perſecutio non obſtabat, nihil pro tanta maieſtate nimis ſplendidum ac magnificum exiſtimabant. Vnde Eccleſia Chriſti, opera & ſubſidio Regum nutriciorũ ſuorum, *Eſai. 49.*
& Reginarum nutricum ſuarum, aliarum præpotentum perſonarũ & pietate præſtantium, adduxit tandem Diuina Officia ad iſtum ſplendorem, ordinem, & decorem, qui debito cultu Dei, & grata memoria Redẽptoris eſt longè digniſſimus. Hinc igitur decorauit Eccleſia, & ſanctificauit totum orbem Chriſtianum, ſingulaſque Chriſtianas Reſpublicas obſeruatione Feſtorum huiuſmodi, ac Ieiuniorũ, & Rogationum, aliarũque ſolemnium ſupplicationum, quibus apertè cõmendauit Chriſtianitatem verè eſſe Re- *1. Pet. 2.*
gnum Sacerdotale, imò Cœlũ ſuper terram, vtpote vbi Chriſtus Dñs cum Angelis & alijs Sanctis ſuis his rationibus continuũ agit triũphum, & glorioſiſſimè regnat interim dum ponantur inimici eius ſcabellũ pedum eius: ad maximam æquè conſolationẽ fidelium ſuorũ, in quorum medio ſic pro conditione noſtra verſatur per viuam repræſentationem ſuauiſſimamque memoriam, quemadmodum in cœlo per ſpeciem & fruitionem. ita vt nihil excogitari poſſit aptius vel ad frangendum Iudæos, Ethnicos, & cæteros hoſtes, vel ad colendum Deum, vel ad celebrandum Chriſtum, vel ad inflammãdam deuotionem noſtram, & flectenda corda ad pietatem. Quod *Sozo. lib. 7. cap. 23.*
bene declarat exẽplum illud Theodoſij ſenioris, quod Sozomenus cum Supplicatione prædicta Antiochienſium ita ſcribit:] Tum etiam Flauianus " Antiochienſiũ Epiſcopus pro ciuibus ſuis intercedens, offenſo etiamnum " Imperatore, perſuaſit adoleſcentibus qui ad menſam Imperatoriam canere " ſolebant, vt eas pronunciarent cantilenas quæ in Antiochienſium Sup- " plicationibus erant. Quo facto, ferunt Imperatorem humanitatis affectu " perfuſum, & miſericordia victum, confeſtim iram poſuiſſe, & vrbi recon- " ciliatum, lachrymis irrigaſſe phialam, quam tum fortè manu tenebat. " [Et paulo pòſt.] Ac fuiſſet ſanè cædes ingens conſecutæ, niſi iram ſuam " Imperator Sacræ Supplicationis reuerẽtia motus remiſiſſet. [Quin etiam " Auguſtinus in deuotiſſimis ad Deum Confeſſionibus ſuis crebram facit mentionem [a] lachrymarum, quas fudit ad Cantus Eccleſiæ Dei, in pri- *a Aug. cõf.*
mordijs recuperatæ fidei ſeu conuerſionis ſuæ.] [b] Nec ſatiabar [inquit] *lib. 10. cap. 33.*
illis diebus [quibus baptizatus eſt Mediolani à S. Ambroſio] dulcedine *b lib. 9. cap.*
mirabili, conſiderare altitudinem conſilij tui ſuper ſalutẽ generis humani. *6. 7.*

„ Quantum fleui in Hymnis & Canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ
„ vocibus commotus acriter. voces illæ influebant auribus meis, & eliqua-
„ batur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis,
„ & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis. [Et ſequitur:] Non
„ longè cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhor-
„ tationis celebrare, magno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cor-
„ dibus,&c, ſecundum morem Orientalium partium. [Fuiſſe autem inſti-
tutum D. Ambroſij ante annum, memorat, & Deum tunc per viſum
„ aperuiſſe, quo loco laterent Martyrum corpora, Protaſij. & Geruaſij.
quæ cum effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Ba-
ſilicam, cæcus quidam, & dæmoniaci ſanabantur. Et tamen [inquit]
„ tunc cum ita fragraret odor vnguentorum tuorum, non currebamus poſt
„ te, adhuc frigidi à calore ſpiritus tui: & ideo plus flebam [poſtea] inter
„ cantica Hymnorum tuorum. [Non dubium autem, quin & plerique
Proteſtantes ſimiliter mouerentur eodem ſuaui cantu Eccleſiæ, & gra-
uiſſima actione Diuinorum Officiorum, maximè in Natali Domini, in
Paſchate, & cæteris ſolemnioribus temporibus, ſi modò, vt Auguſtinus
ab hæreſi Manichæorum per baptiſmum, ſic iſti ab Hæreſibus ſuis per re-
Pſalm. 99. conciliationem introire vellent portas Eccleſiæ in confeſſione, ac deſi-
nerent foris ſtare cum illo ſeniori filio, id eſt perfido populo Iudæorum,
Luc. 15. Qui audiuit Symphoniam & chorum, &c, & nolebat introire. [Nam &
1. Reg. 10. 19. Saulus ipſe Prophetabat inter Prophetas, & narrant [d] Hiſtoriæ noſtri
d Oſorius in Eman. li. 2. fol. 52. Acoſta de Indis f. 88. 91. 107. 121. 194. 232. temporis, ipſos Paganos viſis Officijs noſtris Eccleſiaſticis mirabiliter
commoueri. Et ſi iſtorum Saxea corda ſic mouentur, quanto magis mo-
uerentur frigida corda Catholicorum quorundam, qui nunc in Regnis
Hæreticorum reſident, neſcio quo ſtupore correpti, non timentes id
quod experientiâ S. Auguſtini dixit, [e] Diabolus plerumque fideles Apo-
e August. Epiſt. 180. ſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum Miniſterium Dominici Cor-
poris defuit: & nullum prorſus habentes ſenſum pijſſimi deſiderij Da-
Pſalm. 62. & 1. Reg. 22. 26. uidis Regis, qui à perſecutoribus ſuis expulſus de hæreditate Domini, &
coactus latère in terra deſerta ſine aqua Diuini cultus, qui in Iudæa
liberè frequentabatur, tum Deum anxius & ſollicitus vehementer orauit,
„ tum Sauli Regi mœſtus dixit: Maledicti ſunt in conſpectu Domini, qui
„ eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes,
„ Vade, ſerui dijs alienis. [Quo eodem affectu dixit multo antè idem Pro-
pheta deuotiſſimus in perſona ſuorum poſterorum per captiuitatem Ba-
Pſal. 136. bylonicam abductorum:] Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fle-
„ uimus, dum recordaremur tui Sion. [Non enim erant hi eo animo, quo
Proteſtan-

Proteſtantes, vt contemnerent cantica Sion, quia longè poſt legem per Moyſen datam, compoſita erant à Dauide, vel quia templum etiam ipſum ſeriùs conſtructum eſt à Salomone. Sed agnoſcebant ea nihilominus pro canticis Domini, & pro templo Domini, quemadmodum S. Auguſtinus etiam paulo ſuprà Hymnos & Cantica Dei appellauit, quæ S. Ambroſius ſuo tempore inſtituerat. Non enim alterutra deſtruebant legem primæuam ſiue veteris ſiue noui teſtamenti, tanquam eidem contraria vllo modo, ſed eam egregiè illuſtrabant, & cultum Dei (ſicut dignum fuit) mirificè promouebant. Faciebatque reuera (ſi quis prudenter conſiderat) noua illa Dauidica Pſalmorum & Organorum variorum inſtitutio gradum quendam à carnalibus victimis veteris teſtamenti ad ſpiritualem per preces Eccleſiaſticas cultum in nouo teſtamento, quando etiam non eſt vnicum templum Salomonis & Hieruſalem, loco carnaliter alligatum, ſed templa Diuina per omnes gentes & vrbes, ſicut conuenit liberæ adorationi in ſpiritu & veritate. *Ioan. 4.*

Hæc igitur templa, & Officia Diuina quæ in eis ſemper celebrata ſunt, iam ſatis oſtendi, noſtra & eſſe, & à principio fuiſſe, eademque Templa & Officia à Deo per Prophetas multiſque alijs modis commendata eſſe, vt nullus qui ſalutem animæ ſuæ cordi habeat, ea poſſit vllo modo contemnere, cùm ſit etiam via ad veritatem facilis & expedita quia omnium oculis hæc Templa ſint expoſita.

Et poſt hæc ac per hæc quis non videt, hæreticos fruſtrà contendere nobiſcum de Lingua, cum ipſa Officia Diuina tam manifeſtè & noſtra ſemper fuerint, & illis nunc aduerſa? Veruntamen perſpicuum eſt vel ex his quæ in hoc Motiuo dixi, etiam Linguam Officiorum in Latina Eccleſia iam à principio, indubiè ex traditione Apoſtolorum, Latinam fuiſſe cùm interim in eadem Latina Eccleſia plurimæ gentes non Latinè loquerentur, ſed alias haberent (vt hodie habent) Linguas vulgares. Nam in ſola Britannia noſtra (vt ſuprà memoraui ex Beda) quatuor fuerunt Linguæ diuerſæ, Britonum, Scottorum, Pictorum, & Anglorum: qui tamen omnes & inter ſe & cum Gallis etiam (ſicut patet ex ijs quæ narrat Beda de S. Germani & aliorum Sacerdotum ex Gallijs aduentu ad Britones) vnam habuerunt Officiorum Linguam communem, videlicet Latinam. Quod etiam D. Auguſtinus paſſim docet de Africa ſua, vulgarem ſcilicet Linguam Sermonis, ſaltem in pleriſque locis, fuiſſe Punicam, Linguam tamen Eccleſiarum fuiſſe Latinam: quam vt quidam de populo intellexerunt, ita etiam quidam de Clero vix intellexerunt. Qua in parte comparaui aliàs Africam Hyberniæ, vbi ſunt incolæ *Bed. Hiſt. lib. 1. cap. 1. Moti. 11.*

Angli &

Angli & Hyberni à linguis Anglica & Hybernica, & ſi omnes à loco vocentur Hyberni. ſic enim in Africa omnes erant Afri, & tamen propter duas linguas partim Romani partim Pæni. Vnde & illud eiuſdem Augu-
Auguſt. de Catech. rud. cap. 9. ſtini præceptum ad Catechiſtas, vt doceant rudes qui de Scholis Grammaticorum & Oratorum veniunt ad Chriſtianam fidem: Nouerint [in-
» quit] non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum. Ita enim non
» irridebunt, ſi aliquos Antiſtites & Miniſtros Eccleſiæ fortè animaduer-
» terint, vel cum Barbariſmis vel cum Solœciſmis Deum inuocare, vel
» eadem verba quæ pronunciant non intelligere, perturbateque diſtin-
» guere: Non quia iſta minimè corrigenda ſunt, vt populus ad id quod pla-
» nè intelligit dicat Amen: ſed tamen piè toleranda ſunt ab eis, qui didice-
» runt, vt ſono in foro, ſic voto in Eccleſia benedici. [Sed de hac re tota eſt doctus Libellus Religioſi Patris Ledeſimæ de Societate Nominis Ieſu, planiſſimè & multipliciter docentis, Linguam Latinam Officiorum Diuinorum Eccleſijs Occidentalibus (quæ etiam inde vocantur Latinæ) traditam eſſe ab ipſis Apoſtolis, multoque modo conueniens eſſe, vt hæc Lingua mutetur: ad quem Libellum (præter alios multos eiuſdem argumenti) remitto Lectorem, hoc ſolum admonens & ſuggerens, vt perſuaſiſſimum habeat, Apoſtolicæ traditioni non poſſe eſſe contrarium
1. Cor. 14. quod ſcribit Apoſtolus ad Corinthios. Et hoc ſatis eſt ad ſedandum mites animos atque obſequentes Eccleſiæ Dei. Sed propter curioſiores etiam hoc addo, Apoſtolum ibi nihil loqui de his Diuinis Officijs Eccleſiæ, quæ certa, ſtata, & literis etiam conſignata ſunt. Nam alioqui contra Proteſtantes expellentes Linguam Latinam ab Eccleſijs ſuis, quid poſſit eſſe apertius, quàm quod ibi dicit, Et loqui Linguis nolite prohibere? Sed loquitur de precibus quibuſdam tranſitorijs, quas in commendationem naſcentis Eccleſiæ miraculosè dabat quibuſlibet Spiritus Sanctus eloqui Linguis ibi penitus inauditis, vt Corinthi Lingua fortaſſe Britannica vel Hybernica. Quæ propterea preces ſi ipſo recitandi tempore non intelligerentur, nulla eas de cætero (quia ſemel tranſibant) cognoſcendi fuit occaſio: nihilque ferè, maximè inter fideles, niſi loquentis oſtentatio. Qualis ferè erat vanitas cuiuſdam hæretici mihi noti, qui in hoſpitio inter mulierculas indoctas mandauit ſcholaribus ſuis vt menſales agerent gratias, dicens: Facias tu Anglicè: Tu verò Wallicè: Tu autem Latinè: Tu iam Græcè: Denique tu Hæbraicè. Nam huiuſmodi homines parum ſcientes rerum, opinionem vulgi ex Linguulis quæritant; Nam rudes omne eſſe magnum putant, quod ipſorum facultatem ſuperat, ideoque paruorum pro magnis miratores eſſe ſolent. Non autem hæc gloriola

vaniſſima

vaniſſima in Latinis Eccleſiæ Officijs captatur à nobis: Et præterea ſi qui ea non intelligunt, acceſſum habent ad libros Eccleſiaſticos, & varia intelligendi adiumenta ſiue per interpretationes ſiue per expoſitiones vel in literis vel in concionibus doctiorũ. Poſtremo Lingua ipſa ab innumeris intelligitur, atque vt Officia ſunt totius Eccleſiæ, ita & ipſa eſt toti Eccleſiæ communiſſima. Hæretici autem qui in fide & ritibus variant per loca, non eſt mirum quod æquè per ſingula loca varient & Linguis. Quod ſi eodem modo fieret in Eccleſijs Catholicis, vt aliâ Linguâ celebraret Eccleſia Germanica, aliâ Gallica, aliâ Hiſpanica, aliâ cæteræ: quid faceremus Angli pro fide exules, quid cæteri peregrini, ſiue Sacerdotes, ſiue cæteri? Nunc autem cum omnia fiant eâdem Linguâ per totum, quocunque perueniamus, non caremus conſolatione dulciſſima, eam habentes vbique gentium & celebrandi, & audiendi facultatem, vt facilè cernamus, magis exulare à patria ſua eos qui in patria reſident. Hoc eſt igitur conuerſari in Eccleſia non Anglicana, non Geneuenſi, ſed verè Catholica, per omnia loca, & per omnia tempora iam inde vſque ab Apoſtolis eadem Diuina Officia, eiſdem ritibus, Linguis pauciſſimis, communiſſimis, ſtabiliſſimis, atque doctiſſimis peragente.

MOTIVVM VIGESIMVM-TERTIVM.

Quod Proteſtantes tum per ea quæ, vt deſertores, mutauerunt, tum per ea quæ, vt Simiæ, ſeruauerunt in Diuinis Officijs, declararunt, ſe non Eccleſiam Chriſti, ſed Synagogam Antichriſti eſſe. cum ſalubri admonitione ad Lapſos.

LICET, poſtquam Eccleſiaſtica Officia in præcedente Motiuo fuerint ſic aſſerta, non ſit nobis neceſſarium examinare noua Officia Hæreticorum: erit tamen operæpretium, quo pacto ex illis ſequatur, non ipſos, ſed Eccleſiam noſtram in omnibus audiendam eſſe, breuiter admonere. Conſequitur autem iſtud (vt ſummatim dicam) duobus modis: tum quâ mutauerunt pleraque in Diuinis Officijs, tum quâ multa retinuerunt. Nam in altero ſe cum vetuſtis multis Hæreticis, & multo magis quàm vlli, ad Antichriſtum pertinere declararunt: in altero, nos eſſe populum Dei, & ſe eſſe ſimias noſtras, confeſſi ſunt.

Quoad primùm: ſuper illud Danielis Prophetæ de Antichriſto, Et
Hiero. in Dan. 7. putabit quod poſſit mutare tempora & leges, hæc dicit S. Hieronymus:
" In tantam erigetur ſuperbiam Antichriſtus, vt leges Dei & Cæremonias
Hiero. in Dan. 12. mutare conetur. Item in illud eiuſdem Prophetæ, Auferetur iuge ſacrificium, idem ſic dicit: Antichriſtus orbem obtinens, Dei Cultum (ἐνδελεχισμόν, iuge Sacrificium) interdicet. Quod ſuper eundem
Hypp. Orat. de Antich. & conſumm. mundi. Prophetam ſimiliter teſtatus eſt ante Hieronymum Hyppolytus Martyr, dicens: Precioſum corpus & Sanguis Chriſti non extabit in illis diebus: Liturgia extinguetur: Pſalmodia ceſſabit. Et adhuc antiquior
Irenæus lib. 5. Irenæus Martyr, eodem modo ad eadem Danielis verba: In quo tempore [inquit] fugabuntur ſancti, qui offerunt purum Sacrificium Deo. Et in dimidio hebdomadis, ait Daniel, tolletur Sacrificium &c.
[Sed & varij quoque Hæretici antiqui in hac etiam parte oſtenderunt
1. Ioan. 2. 4. 2. Ioan. ſe Antichriſtos eſſe, quemadmodum S. Ioannes Hæreticos omnes vocat.
Hiero. in Oſe 7. Hinc enim ait Hieronymus: Infœlices populi, qui ab hæreſeos principe,
& ab eius ducibus Solennitates alias ſuſceperunt, relinquentes Eccleſiam:
Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 24. [& exempli ponit, in Valentinianis, Marcionitis, Arrianis, & Eunomianis. Hinc & [Paulus Samoſatenus; vt apud Euſebium Synodus An-
" tiochena accuſat eum] Pſalmos & Cantus qui ad Domini noſtri Ieſu
" Chriſti honorem decantari ſolent, tanquam recentiores, & à viris recen-
Sozo. lib. 6. cap. 25. tioris memoriæ editos, exploſit. [Item] Apolinariſtæ [inquit Sozome-
" nus] Conuentus ſeparatim egerunt, Ritibus ab inſtitutis Eccleſiæ Ca-
" tholicæ alienis vtebantur, & præter ſacros Hymnos ab Eccleſia inſtitu-
" tos, cantiunculas quaſdam numeris aſtrictas, quas Apolinarius excogi-
" tauerat, cantarunt. Nam poëticæ peritus fuit: quarum rerum illecebris
" multos ad animos ſibi attendendos induxit. Quin etiam viri dum pota-
" bant, dum opera faciebant, mulieres autem dum texebant telas, eius cantilenas cecinerunt, &c. [ſicut hodie Proteſtantium diſcipuli cantillant
August. Epiſt. 119. cap. 18. Pſalmos quos vocant Geneuenſes. Simile eſt quod de Donatiſtis ſcribit Auguſtinus, dicens:] Donatiſtæ nos reprehendunt, quod ſobriè pſallimus in Eccleſia Diuina Cantica Prophetarum, cum ipſi ebrietates ſuas [id eſt greges ebrioſorum, quales & hodie habent Proteſtantes in Zelandia atque Hollandia] ad Canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum, quaſi tuba exhortationis inflamment. [Sed notat ibi vir ſanctiſſimus contra illos Hæreticos, conſuetudinem Eccleſiæ de Hym-
a Matt. 26. b Eph. 5. Coloſ. 3. c 1 Cor. 14. nis & Pſalmis canendis etiam de Scripturis facilè defendi,] cùm & ipſius [a] Domini & [b] Apoſtolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam vtili. [Qui & librum ſcripſiſſe ſe teſtatur] contra

Hilarium.

Hilarium quendam virum Tribunitium laicum catholicum, qui neſcio vnde aduerſus Dei Miniſtros (vt fieri aſſolet) iritatus, morem qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, vt Hymni ad Altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſiue ante Oblationem, ſiue cum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione vbicunque poterat lacerabat, aſſerens fieri non oportere. [Supra etiam oſtendi, Donatiſtas, Arrianos, & Eutychianos perſecutionibus ſuis impedimento fuiſſe his ipſis Officijs Diuinis, quæ in Miſſa & alibi, Eccleſia noſtra & tunc, & nunc, & ſemper frequentat: hoc ſimul admonens atque docens, Hæreticos nihilominus illos in hoc ſacrilegio longiſſimè à noſtris Hæreticis ſuperari: quia illi non hæc diuina Officia perſequebantur propter ſeipſa (quemadmodum noſtri) ſed ſolummodo propter odium catholicorum Miniſtrorum. Aut ſi qui etiam olim ipſa per ſe Officia Eccleſiaſtica exoſa ſunt, non ferè hoc accidit niſi in exigua quadam parte, vt quod Paulus Samoſatenus ſupradictus abſtulit Hymnos de Chriſti (quem ille nudum hominem credi volebat) Deitate cōpoſitos. Hæretici autem noſtri omnia ferè Sacramenta, & omnes Ritus quibus celebrari ſolent, cæteraque Diuina Officia ſuſtulerunt, maximeque inter eos hi, qui ab eo quòd nihil in Templis cum Eccleſia noſtra habere volunt commune, ſe Puritanos vocant. Itaque vltra omnes antiquos Hæreticos, Hæretici noſtri qui Eccleſiaſtica hæc propter ſe oderunt, & tam innumera exploſerunt; & vltra ipſos ſocios ſuos vniuerſos Puritani qui plura quàm vlli volunt aboleri, declarant ſe Antichriſto proximare. ita vt non videam equidem, quam aliam hæreſim præcurſoriam inter hanc & ipſum Antichriſtum interponere queat Satanas: qui propterea etiam videtur iam inde à Berengario eiſdem hæreſibus ſemper inſiſtere, niſi quod noſtra hac ætate antiquas etiam plæraſque hæreſes renouat per iſtos. Hæc enim cauſa eſt, cur incomparabiliter plura quàm cæteri, debuerint Proteſtantes in Officijs Eccleſiaſticis immutare, quia ſcilicet eadem Officia aduerſantur cunctis hæreſibus, & iſti ferè omnes hæreſes reſtaurarunt. Propter ſimilem monſtroſam multitudinem fabularum Hæreticarum, olim etiam Manichæi, & eorum ſoboles [a] Priſcillianiſtæ, totam ferè diſpoſitionem Eccleſiæ in ordinibus hominum & in Officijs Sacramentorum, ſimiliter mutauerunt. Quod cum feciſſent, videbantur antiquis Patribus aliud quiddam eſſe quàm hæretici: S. Auguſtino eam ob cauſam diuidente, & faciente quinque genera hominum, Iudæos, Paganos, Manichæos, Hæreticos, & Catholicos. Quam eandem ob cauſam meritò etiam hodie Proteſtantes à doctis non tam Hæretici quàm Apoſtatæ exiſtiman-

Aug. Retract. lib. 2. cap. 11.

Vide Moti. 22. nu. 11.

a Leo, infra Moti. 38.

Aug. Orat. de 5. Hæreſ. cap. 7 To. 6.

exiſtimantur & nuncupantur.

His Hæreticorum moribus Apoſtaticis non obſtantibus, debent nihilominus omnes, ad inſtar ſimiarum, imitari Eccleſiam Catholicam: quemadmodum & Antichriſtus cum Pſeudoprophetis ſuis imitabitur
Apoc. 13. Chriſtum. Inde enim eſt, quòd S. Ioannes vidit quaſi occiſum in mor-
» tem: & plaga mortis eius curata eſt, & vixit: item duo cornua, ſimi-
» lia Agni: & characterem in frontibus: & ignem de cælo deductum in
» terram in conſpectu hominum, [ſicut Elias fecit:] & nomen ac imagi-
» nem beſtiæ, quam imaginem quicunque non adorauerint, occidantur. Conſiderent igitur hinc prudentes, & intelligant dignitatem Eccleſiæ noſtræ, quæ cùm ſibi in omnibus ſufficiat, & omnem in ſe plenitudinem habeat, nullo deſtituta neceſſario ordine, nulla iuſta lege, nulla vtili diſciplina aut ſcientia, quoniam intra ſe continet, & intemeratè cuſtodit cuncta quæ Chriſtus tradidit, ad eam manantia per Apoſtolorum & certiſſimorum Succeſſorum manus, ſemper habens aſſiſtentem ſibi Spiritum Sanctum, qui ipſam ducat in omnem veritatem, ac in omne decorum dirigat, ibique conſeruet & tueatur: tum à cunctis ſchiſmatis, & ſeparatis religionibus imitatione quadam ſimiatica adumbratur, quia ſine eius fundamento, forma, & exemplo neſciunt penitus quid ſequantur. Eamque propterea imitantur in Sacramentis ſuis & celebratione eorundem, in diſciplina & iuriſdictione ſua, in legibus & inſtitutis ſuis: ex eius libris & factis lumen ſuum omne ſumentes, ita vt indubiè ſine ea nunquam potuiſſent apud ſe ſtatuere,
Ioan. 13. quòd baptizationem hominum celebrarent potiùs quàm Lotionem pedum, aut hanc minùs quàm illam, vel vt vnum eorum haberent pro Sacramento, & non alterum. Ab hac Eccleſia imitando didicerunt tenere Eccleſiaſticum ſuum forum, Viſitationes, Conuocationes, & Synodos ſuas. Ab hac didicerunt excommunicare, ſuſpendere, deponere, degradare, Hæreticos iudicare. Ab hac didicerunt ad varias functiones varios miniſtros & peculiares ordines inſtituere. Ab hac ſapientiam ſuam circa vltimas voluntates, prouidentiam ſuam in explorando matrimonia, & prudentiam diſcernendi nuptias legitimas & reſcindendi illegitimas didicerunt. Hæc eſt quæ populos eorum diſtinxit in parochias & prouincias: quæ Epiſcopatus, Archidiaconatus, Decanatus, Præbendas, Perſonatus, & Vicariatus fundauit, & Decimas, aliaque ſubſidia ſingulis miniſterijs conuenientia plebibus impoſuit ex Euangelij præſcripto ſoluenda: Quæ vniuerſitates, Scholas, Collegia, & Gradus eruditionis in quaque facultate ordinauit. Nihil

denique

denique ad ſpiritualem hominum vtilitatem pertinens habent Proteſtantes, quod non ab hac noſtra Eccleſia aut vſurpando aut imitando ſumpſerunt. Ita vt ipſum quoque librum miniſtrandæ Communionis ſuæ Caluiniſticæ ex Miſſali noſtro compilauerint. quod non ignorant qui vtrumque librum ſciunt. Idque ipſi eorum Puritani mihi teſtes erunt, qui hoc idem, tanquam ad confuſionem Proteſtantium ſuorum, ſcriptis etiam palàm demonſtrarunt. Certè ex hac imitatione & ſimilitudine ſæpè contingit, vt ſimplices quidam de vulgo decipiantur, & Communionem putent eſſe Miſſam, nihilque diſtare niſi linguam, verbi gratiâ, Latinam atque Anglicam. Quod etiam quidam Miniſtrorum auſi ſunt interdum apud ſimpliciores, quos viderunt multum deditos eſſe Miſſæ, liberè affirmare, videntes ſe talium ignorantiâ abuti poſſe propter nonnullam ſimilitudinem. Hoc Puritani (ſcio) in Proteſtantibus ſuis & in Communione deteſtantur. Quid tamen vel ipſi habent quod ſpeciem aliquam laudis præ ſe ferat, quod non ab eadem Eccleſia noſtra acceperunt? Abhorrent illi quidem ab albis lineis tunicis, quas ex imitatione Epiſcoporum Eccleſiæ, Superintendentes ſui geſtant. Veruntamen vidi ego ipſe oculis meis, vbi Puritanus, imò Archipuritanus Laurentius Hunfredus, Pſeudopræſes Collegij Magdalanenſis in vniuerſitate Oxonienſi, (præter id quod quotidie apparet, ſecundum morem ibi olim Catholicarum Scholarum, in coccineo habitu & ſemel etiam in coccinea toga Doctorali, in conuentu celeberrimo, cuius tamen rei eum ſtatim pœnituit) etiam pingi fecit in nouis ſuis feneſtris vitreis, in gloriam Collegij ſui (ex quo nimirum tales viri prodierant) aliquot Cardinales (de more) rubeatos & galeratos, item aliquot Epiſcopos Mitratos, & inter eos (quod mirabar) aliquot Superintendentes hoc tempore Pſeudoëpiſcopos in Anglia, etiam Mitratos. Quanto modeſtiùs Matthæus Parkerus, nuper ibidem Pſeudoarchiepiſcopus Cantuarienſis, qui omnes ante ſe Epiſcopos Cantuariæ à primo Auguſtino Apoſtolo noſtro depingens cum Pontificalibus, ſe ſolum extremum exhibuit in communi habitu Sacerdotum: quem tamen Laurentius ille & Compuritani eius propter maximam, vt putabant, imitationem Catholicorum nuncupabant à loco habitationis Papam Lambethæ.

Quanquam igitur tardiſſimi etiam omnes maximeque cæci videant, non eam eſſe veram Eccleſiam, quæ ita debet, & ita probatur imitari alıam; neque hanc eſſe poſſe Eccleſiam falſam, quæ adeò digna

eſt imitatione, & quam hoſtes etiam imitantur: tamen vt res clariùs demonſtretur, obſeruent omnes, ſolenne fuiſſe Maioribus noſtris, populo Dei, hoc argumento conuincere falſas religiones, & veram demonſtrare Religionem ſuam, quia hanc illæ imitabantur: ſimulque obſeruetur, vbi hoc faciunt quæ fuerit Religio, vtrum noſtra an Proteſtantium, cuius
Sozo.lib.5. cap.15. oſtendunt reliquas religiones fuiſſe ſimias. Exempli causâ, Sozomenus refert Iulianum Imperatorem Apoſtatantem à Chriſtiana Religione, tamen imitatum eſſe Chriſtianos in delubris ſuis, idque quoad ornamenta, ſedes, Doctores, Lectores, preces Horarias, Monaſteria, Hoſpitalia, ſatisfactiones poſt pœnitentiam, curam ſepeliendi mortuos, Primatum Pontificum, Matrem Deorum. Erat igitur hoc, ſimiam eſſe Proteſtantium aut Puritanorum? Verba Sozomeni ſunt iſta: At vero cùm exiſti-
» maret Religionem Chriſtianam maximam ex vita & moribus eorum qui
» eam ſequebantur, commendationem conſecutam, inſtituit animo, de-
» lubra Gentilium tum apparatu, tum ordine Religionis Chriſtianæ adornare: [& cætera. videat enim lector locum, & epiſtolam ibidem ipſius Iuliani, ex qua Sozomenus hæc depromit, addens etiam, quod cum hæc
» inſtituiſſet, ſeriò laborabat, vt Gentiles his Chriſtianorum inſtitutis aſſueſcerent. quod ille fecit ad ſtabiliendam (vt putauit) Gentilium Religionem, & euertendam noſtram. Atque hinc etiam eſt, quod Eccle-
Surius anno 1540. Acoſta de Indis fol: 58.61.62. 76.74.99. 130.148. 195. ſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores noſtri temporis narrant apud Indos infideles paſſim reperta eſſe quaſi monaſteria, & monachos, ieiunia, & multas alias monaſticas obſeruationes: Diabolo videlicet & per Iulianum Apoſtatam, & per iſtos ſtudente rapere in cultum ſui hæc quæ in Chriſti honorem fideles eius à principio frequentarunt. Idem annotauit Tertullianus in aureo libello de præſcriptionibus hæreticorum, dum vult oſtendere, eundem diabolum eſſe qui modo per hæreticos agit ſimiam in ci-
Tert. de præſ.hær. tatione ſcripturarum, & qui prius idem egerat in æmulatione rituum ſacrorum. Sic igitur ſibi obijcit: Sed ipſi de Scripturis agunt, & de Scrip-
» turis ſuadent. [reſpondet poſt alia dicens:] Sed quæritur, à quo intel-
» lectus interpretetur, eorum [in Scripturis] quæ ad Hæreſes faciant? A
» diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem, qui ipſas quo-
» que res Sacramentorum Diuinorum, in Idolorum myſterijs æmulatur.
» Tingit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos: expiationem
» delictorum de Lauacro repromittit. Et ſic adhuc initiat Mithræ: ſignat
» illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem: &c. Quid
» quòd & ſummum Pontificem in vnis nuptijs ſtatuit? Habet & Virgi-
» nes, habet & Continentes. Aliud exemplum adfert, Numæ Pompilij ſuperſti-

ſuperſtitiones. ac tum concludit: Qui ergo ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotijs Idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio geſtijt, & potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum & Sacramentorum Chriſtianorum [per quæ inſtrumenta intelligit Scripturas ſacras] ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ & æmulæ fidei attemperare. Et ideo neque à diabolo immiſſa eſſe ſpiritalia nequitiæ, ex quibus etiam Hæreſes veniunt, [id eſt, Archihæreticos] dubitare quis debet: neque ab Idololatria diſtare Hæreſes, cum & authoris & operis eiuſdem ſint cuius & Idololatria. [Ad quorum obſecro, noſtrámne an Proteſtantium, religionem ſpectant iſta, expiatio delictorum per lauacrum, ſignatio militum in frontibus, oblatio panis, Epiſcopi vnæ nuptiæ, Virgines, Continentes? Ergo in iſtis tunc diabolus apud Idololatras imitatus eſt Eccleſiam Chriſti: nunc autem idem apud Hæreticos in alijs quæ dixi, imitatur eandem. Apud neutros igitur, ſed apud ipſam Eccleſiam eſſe veram religionem, ex hoc oſtenditur. Vnde etiam Cyprianus Hæreticum ſui temporis Nouatianum, & in eo cæteros omnes, ſic percellit: Nam Nouatianus ſimiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ Catholicæ authoritatem ſibi, & veritatem vindicare; quando ipſe in Eccleſia non ſit; imò adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit. &c. Similiter Optatus Donatiſtas notat, quod Romæ voluerint habere ſuum quaſi Epiſcopum Romanum, pulchrè reuelans figmentum, ex eo quod ille eorum ſimulatus Epiſcopus non per continuam ſucceſſionem deſcendiſſet à S. Petro. Quo etiam modo ego aliàs oſtendi Proteſtantes eſſe ſimias in eo quod dicant ſe pati perſequutiones inſtar primitiuæ Eccleſiæ. Reuelaui enim fictam eorum imitationem, per hoc quod Eccleſia primitiua non ſimpliciter defenditur ex perſequutionibus, ſed hac ratione, quod nullis perſequutionibus potuerit opprimi vel aboleri. quod vnum attentè conſideratum prorſus euertit Proteſtantes & cæteros omnes hæreticos: qui nullum habent prætextum ſurgendi, niſi dicant eccleſiam corruiſſe. Et Arriani quoque perſtringuntur in Eccleſiaſtica Hiſtoria, quatenus voluerunt habere ſuum Concilium Nicenum in Thracia, ad inſtar Catholici Niceni in Bithynia, vt vel ſimilitudine nominis fallerent incautos. De quo etiam Victor notat Hunericum regem Arrianum, qui, velut ſimia, decretum edidit contra Catholicos, quod antiqui Imperatores Catholici promulgauerant contra hæreticos. Denique infinita ſunt huius generis quæ apud antiquos Chriſtianos leguntur, obſeruantes,

Cyp. Epiſt. 73.

Opt. lib. 2. fol. 15.

Moti. 2. & Moti. 20.

Soc. lib. 2. cap. 29.

Victor. de perſ. vand. lib. 3. fol. 16.

& nô-

quos fecit vobis Ieroboam in deos: Et eieciſtis ſacerdotes Domini, filios "
Aaron, atque Leuitas: & feciſtis vobis ſacerdotes &c. [De ſe autem & "
ſuis dicit ē cōtrario:] Noſter autem Dominus Deus eſt, quem non relin- "
quimus: ſacerdoteſque miniſtrāt Domino de filijs Aaron: & Leuitæ ſunt "
in ordine ſuo. Holocauſta quoq; offerunt Domino per ſingulos dies mane "
& veſpere: & Thymiama iuxta Legis præcepta confectum: & proponun- "
tur panes in menſa mundiſſima: eſtque apud nos Candelabrum aureum "
& lucernæ eius, vt accendantur ſemper ad veſperum. Nos quippe cuſto- "
dimus præcepta Domini Dei noſtri, quem vos reliquiſtis. Ergo in exer- "
citu noſtro Dux Deus eſt, & ſacerdotes eius qui clangunt tubis, & reſo- "
nant contra vos. Filij Iſraël, nolite pugnare contra Dominum Deum Pa- "
trum veſtrorum, quia non expedit vobis. &c.

Eademque cum fiducia nos dicimus Proteſtantibus, partim ſimijs, partim Apoſtatis noſtris, Non reliquiſſe nos Deum Patrum noſtrorum, non Religionem Patrum noſtrorum, cultumque Noui Teſtamenti, qui Veteri Teſtamento rite ſucceſſit, quique à Chriſtianis hactenus ſine mutatione frequentatus eſt, ac vt vetus cultus à Dauide, ſub ab Ambroſio alijſque hominibus Dei conuenientiſſimis ritibus decoratus eſt: qui denique ſic ad viuum oſtendit, vmbras omnes Teſtamenti Veteris, non dico imitatione inſtar ſimiarum repræſentari, ſed ita in Chriſto & Eccleſia eius adimpleri, ſecundum id quod Chriſtus ipſe aſſeuerauit, Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum *Matth. 5.*
& terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à Lege, donec "
omnia fiant, vt in hac Eccleſia apertiſſimè, & in hac ſola, cernantur omnia, quæ à quibuſcunque de talium vmbrarum corpore ſeu impleta veritate dicta ſunt. ſicuti illud Auguſtini ad Caſula- *Aug. Epiſt.*
num Presbyterum contra Vrbicum quendam concludentis ac dicen- *36.*
tis: Quanto ergo melius & congruentius vetera tranſiſſe, & noua in "
Chriſto facta eſſe ſic diceret, vt cederet altare altari, gladius gladio, "
ignis igni, panis pani, pecus pecori, ſanguis ſanguini? videmus quip- "
pe in his omnibus carnalem vetuſtatem ſpiritali cedere nouitati. "
[Item illud Apoſtoli,] Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: ita- *Hebr. 13.*
que epulemur &c. [& illud,] Habemus Altare: de quo edere non ha- "
bent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim anima- "
lium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum cor- "
pora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt [intra caſtra, "
vel intra Hieruſalem, vel intra Sancta, id eſt, in Eccleſia] ſanctificaret
per ſuum ſanguinem populum, extra portam [Ieruſalem] paſſus eſt. "

2. Par. 9. [Denique illud reginæ Saba,] Quæ poſtquam vidit Sapientiam Salomo-
„ nis, & domum quàm ædificauerat, nec non & cibaria menſæ eius, & ha-
„ bitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, pin-
„ cernas quoque & veſtes eorum , & victimas quas immolabat in domo
„ Domini : non erat præ ſtupore vltrà in ea ſpiritus. [Huius (inquam) tanti ſtuporis tantæque admirationis cauſa, eſt maniſeſtiſſimè, & in alia non eſt niſi in eccleſia noſtra: eamque idcirco hoſtes etiam & apoſtatæ eius digniſſimam putant , quam ſimiarum more imitentur. Eſt autem ſpes certa etiam talibus, ſi ad hanc eccleſiam reuertantur, quia ſcriptum

2. Par. 9. eſt, quod deferebant Salomoni & ſimias. (id quod hoc modo , vt reor, melius à me intelligitur, quàm ab illo, qui anglicum libellum meum de

L. Hamf. in Orat. VVodroch. his Motiuis trans mare venientem gratis comparauit iſtis ſimijs Salomonis.) Alioqui enim ij qui non reuertuntur, ſed ſtupidi in iſtarum ſimiarum & apoſtatarum parte reſident; certiſſimam faciunt iacturam ani-

Contra Cōmunionem Precum cum Hæreticis. marum ſuarum , quia extra hanc eccleſiam impoſſibile eſt placere Deo. ac propterea ſicut in Motiuo præcedente vidimus cæremoniam huiuſce eccleſiæ iure laudari, ita hæreticorum quorumcunque cæremoniam, religionem, ſeu cultum quemcunque, ſcriptores & eccleſiaſtici & ſacri ſemper deteſtabilem iudicarunt.

Hier. in Amos 5. „ Hinc enim S. Hieronymus dicit : Hæretici quotieſcunque ſub no-
„ mine Domini fuerint congregati , deteſtatur fœtorem eorum, & claudit
„ nares ſuas. [ac iterum poſt pauca:] Iudæorum quoque oratio & Pſalmi,
„ quos in ſynagogis canunt; & Hæreticorum compoſita laudatio, tumul-
„ tus eſt Domino , & (vt ita dicam) grunnitus ſuis, & clamor aſinorum.

Pſal. 108. [nempe iuxta illud,] Et oratio eius fiat in peccatum. Atque hoc quidem ſtatuerunt de orationibus Hæreticorum (ſicut & Iudæorum) etiamſi nihil aliud eſſent, quàm Pſalmi Dauidici , & eædem prorſus cum orationibus & ritibus Eccleſiæ Catholicæ. Non enim (vt ſuprà dixi) omnes Hæretici mutauerunt ceremonias Eccleſiæ, ſed pauciſſimi, & in paucis. Attamen etiam tum, quia miniſtri erant Hæretici , illis communicare orationibus, damnabile cenſebatur. quanto magis nunc, verbi gratiâ in Anglia, vbi non ſolum miniſtri ſunt Hæretici, vel mercenarij hæreticorum, verum etiam tota ipſa cæremonia eſt per ſe ſchiſmatica , & Sacramenta hæretica ? Nunc igitur quod quidam Catholici non ſe abſtinent , eſt profectò crimen intolerabile , ſacrilegium ineffabile , & multiplex , impia, pudenda , atque impudens negatio Chriſti Seruatoris. Verè enim certè obſeruauit pia quædam & Catholica Domina, Numerum ipſum qui nunc per Angliam hæreticas frequentat eccleſias, non eſſe niſi ſimplices Ca-

tholicos,

tholicos, qui ſolo ducuntur & ſeducuntur nomine Adeundi eccleſias.
Tam nullam habent ipſi hæretici deuotionem erga cæremonias ſuas. Catholici ergo tales, quàm ſit illis neceſſarium abſtinere, ex his doceri poſſunt. Quid enim (inquam) nunc, quando mera eſt apoſtaſia quæ agitur in eccleſijs, tam negligentes tamque prodigi ſumus ſalutis noſtræ, cùm olim, quando nihil in Diuinis Officijs mutabant Hæretici, tamen eorum
communio abominabilis iudicabatur? Vnde eſt Epiſtola D. Cypriani *Cypr. Epiſt.*
reſpondentis ad eum qui pro communione Nouatianorum opponeret, & *76.*
diceret, eandem Nouatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia "
teneat; eodem Symbolo, quo & nos, baptizare; eundem noſſe Deum "
Patrem, eundem filium Chriſtum, eundem Spiritum Sanctum; &c. "
[Quemadmodum & [a] Chryſoſtomus reſpondet his qui pro communio- *a Chryſ. to. 5. cont. Iud. Or. 1. 919. D. & Orat. 3. 950. D. 967. 969.*
ne Iudæorum ſimiliter opponebant, & ait: Neque enim mihi dixeris,
quòd illic [id eſt in ſynagogis Iudæorum] ſita eſt lex, & prophetarum libri. &c. Ac opponit ipſe è diuerſo tam ſtupidis Chriſtianis exemplum ipſorum Iudæorum (ſicuti ſi nos opponamus iſtis Catholicis exemplum
ipſorum hæreticorum) [b] dicens. Abite in ſynagogas, & videte num Iu- *b Con. Iud. Orat. 1. col. 920.*
dæi &c. Quando Paſchæ ieiunium celebrarunt illi? quando Martyrum
feſtos dies nobiſcum egerunt? quando diem Epiphaniorum nobiſcum "
communiter celebrarunt? Illi non accurrunt ad veritatem; & vos ad "
iniquitatem properatis? &c. Quodque ab his de Iudæis, idem planè de "
Turcis dici poſſet: nullam ſcilicet habere excuſationem hebetes iſtos Catholicos, qui cum Hæreticis celebrant conuentus, magis, quam ſi ad Turcarum templa ſimiliter conuenirent. Nullam enim aliam cauſam adferunt, niſi quia rex aut regina iubet. Quid igitur, ſi, vt nunc hæreticus, ita Iudeus, aut Turca regnaret eis? Quid tum facerent? An quia regnator iuberet, nec à Iudæorum & Turcarum abſtinerent conuenticulis? Et
tamen ſperarent ſaluari per Chriſtum? Vbi eſt igitur illud, Qui me ne- *Matth. 10.*
gauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in "
cælis eſt? & non ſolum, qui negauerit, verum etiam. Qui me erubue- *Luc. 9.*
rit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in ma- "
ieſtate ſua & Patris, & ſanctorum Angelorum. [Quanto autem diligen- "
tius in hac quoque parte & ſapientiùs curauerunt Maiores noſtri Catho- *Greg. Dial. lib. 3. cap. 31.*
lici ſalutem ſuam, in quibus Ermigildus rex Liuigildi regis in Hiſpania
Wiſigothorum filius, ab Arriana hæreſi ad fidem Catholicam conuerſus, "
conſtanter ſuſtinuit à patre Arriano non ſolum minis terreri, verumetiam (vt ſcribit S. Gregorius) priuari regno, rebus expoliari omnibus, in arcta cuſtodia concludi, collum manuſque ferro ligari, (in quibus

vinculis vtebatur quoque cilicijs) denique ſecurem cerebro ſuo infigi, & vitam ſic auferri, potius quàm ab Arriani Epiſcopi manu communionem perciperet: Deo protinus veram eius gloriam & Martyrium per varia miracula (quæ ille narrat) oſtendente. Legatur doctiſſimi viri Ioannis Giouani libellus De Schiſmate, qui huiuſmodi exemplis abundat. Nos
Moti. 20. etiam hinc nonnulla diximus in Motiuo 20 De perſecutione. Quinetiam Sacra Scriptura non ſolum grauiſſimis illis ſententijs Chriſti, plurimiſque alijs ſimilibus, verùm exemplis quoque illuſtriſſimis, in hoc æquè Officij genere, atque in cæteris omnibus, nos inſtruit ac informat. Hinc
a August. Epiſt. 48. enim, poſtquam Deus, [a] vt præfiguraret & ſignificaret nobis ſe coli nolle niſi in Vnitate Cathlica, vnicum ordinaſſet in Veteri Teſtamen-
b Deut. 12. to [b] Altare ad oſtium Tabernaculi, in quo omnes Iudæi, & non alibi, offerre deberent Sacrificia ſua alioqui eum grauiter offenſuri: cùm de-
Ioſ. 22. inde tribus duæ, Ruben & Gad, dimidiaque Manaſſæ, alibi aliud altare conſtruxiſſent, reliquæ decem tribus hoc audito, & exiſtimantes quòd illud ædificaſſent ad ſacrificia offerenda, ac non ſolùm ad memoriam ſeu monumentum, conuenerunt mox omnes in Silo, vt aſcenderent & dimicarent contra eas. Seculis dein ſubſequentibus, conſtituto ſingulari hoc Altari in Templo quod ædificauit Salomon in Ieruſalem, cum paulo pòſt Ieroboam (vt ſuprà dixi) extruxiſſet Altaria Schiſmatica in Dan
2. Paral. 11. & Bethel, de cunctis Tribubus Iſraël, Ac non ſolùm Sacerdotes & Leui-
» tæ, quicunque dederant cor ſuum vt quærerent Dominum Deum Iſraël,
» venerunt in Ieruſalem, ad immolandum victimas ſuas coram Domino
» Deo Patrum ſuorum. [In quibus & de Tobia ſcribitur, ſumma cum lau-
Tob. 1. » de eius:] Cum irent omnes ad vitulos Ieroboam, hic ſolus pergebat in
» Ieruſalem ad Templum Domini. [& rurſus de eodem iam captiuo in
» Niniue:] Cum omnes ederent ex Cibis Gentilium, ipſe cuſtodiuit ani-
» mam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum. [Quod idem de
Dan. 1. Daniele & tribus Pueris captiuis in Babylone, & de Machabæis in perſe-
2. Mac. 6. 7. quutione Antiochi, pari cum laude memoratur. Sed & cùm Sanaballat ab Alexandro Magno tum dominatore orbis impetraſſet, vt in monte Garizim ædificare poſſet Schiſmaticum Templum Samaritanorum vbi Manaſſes gener ſuus Sacerdotio fungeretur (quam hiſtoriam ſcribit Io-
Moti. 43. ſephus, noſque eam infrà latiùs perſequemur:) tanta inde extitit contentio inter fideles & Schiſmaticos, vt Euangeliſta ſcribat, Non enim co-
Ioan. 4. utuntur Iudæi Samaritanis, & miraretur mulier illa Samaritana, ac di-
» ceret Chriſto: Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ
» ſum mulier Samaritana? dixerat enim ei Ieſus, Da mihi bibere. Qui

etiam

etiam eidem mulieri demonſtrat, quod, tametſi vel lucrandi Schiſmaticos vel noſtræ neceſſitatis cauſâ, poſſimus cum eis communicare in cibo ac potu, & alijs huiuſmodi rebus externis, tamen Templum eorum fuerit execrabile, & quod non in monte Samaritanorum, ſed Ieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet: quanquam & illum colendi ritum, iam appropinquante veritate noui Teſtementi, prope interitum eſſe. Adeò vt ipſe quoque ſicut omnes fideles, ſolitus ſit declinare Templum Samaritanorum, & ad Feſta celebranda ſeu ad Deum adorandum ire in Ieruſalem. Vnde ſemel accidit vt de Galilæa per Samariam in Iudæam ac Ieruſalem proficiſcens ad Feſtum (vt putatur) Scenopegiæ, mitteret Nuncios ante *Luc. 9.*
conſpectum ſuum, qui euntes intrauerunt in Ciuitatem Samaritanorum *Ioan. 7.*
vt pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in «
Ieruſalem. ſequiturque poſt pauca: Et abierunt in aliud Caſtellum. «
Quoniam igitur ſalus erat ex Iudæis, ijque ſciebant quod adorabant (Sa- «
maritani enim, vt & omnes Schiſmatici, adorabant quod neſciebant) *Ioan. 4.*
id eſt, quoniam Templum ac Altare legitimum, Religionemque veram habebant, quoad Vmbra ſtatum habuit, id eſt vſque ad Paſſionem Chriſti: propterea etiam poſt Paſſionem Chriſti Apoſtoli alijque Iudæi Chriſtiani frequentabant Templum illud, aliaſque legis Ceremonias *Luc. 24.*
obſeruabant, donec ſcilicet (vt elegantiſſimè loquitur Auguſtinus) ſe- *Act. 16. 21* *Aug. Epiſt.*
pelijſſent Synagogam matrem ſuam, vt eatenus Sponſam Dei, cum ho- *19.*
nore. Sed poſtquam huiuſmodi aliquot annorum obſeruatione funus ſatis piè curaſſent, prædicantes interim omnibus legem ceſſaturam, & quod ipſi agebant nihil eſſe aliud quàm officium ſepulturæ: tandem & ipſi, maximè inter Gentiles, Gentiliter viuebant, & non Iudaicè, & *Gal. 2.*
Iudæis omnibus clamabant liberiùs, ac dicebant: Habemus Altare, de *Hebr. 13.*
quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt. De «
qua re eſt tota ipſa Epiſtola ad Hebræos, præter alia plurima Teſtimonia Apoſtolica. Eoque demùm ſeueritatis hac in parte ventum eſt à Chriſtianis Maioribus noſtris, vt Paſcha ſuum nullatenus celebrare voluerint eo die quo Iudæi ſuum, id eſt, decima quarta Luna, ſed ſemper in Dominica, quæ inter ipſam decimam quartam & Viceſimam primam Lunam primi Menſis occurreret. quò nec in tantillo etiam Ritu viderentur cum Iudæis communicare. ita vt S. Victor antiquiſſimus Romanus Pontifex excommunicauerit propter hoc Eccleſias Aſiaticas, & Cen- *Vide Moti.*
ſuram eius poſtea primum Vniuerſale Concilium Nicenum calcu- *28.*
lo ſuo comprobauerit, & qui noluerint acquieſcere, Hæretici ſint iudicati, & appellati τεσσαρεσκαιδεκατῖται, id eſt, Quarta decimani.

Nam & ipſe Deus ob eandem cauſam, quò ſcilicet nihil Iudaicum obſeruaretur ab Eccleſia, non modò Gentilium ſed etiam Iudæorum fidelium, voluit Templum illud a Romanis ſub Tito & Veſpaſiano in æternum deſtrui, & demum ſub Hadriano populum etiam Iudæorum expelli à Ieruſalem. quo tempore Sedes Eccleſiæ Ieroſolymitanæ tranſlata eſt ad Epiſcopos Gentiles. vbi nemo poteſt ſatis pro dignitate admirari Prouidentiam Chriſti Domini ac Dei noſtri, qui cultum illum temporalem vni addixit Templo ac loco, vt illo deſtructo (quod erat facillimum) quaſi vna ceruice diſſecta, Caput illud, id eſt Religio illa ſemel vno quaſi ictu amputaretur. quæ eſt S. Chryſoſtomi & aliorum ſimilium ſapientiſſima Philoſophatio. Suam porro ex alia parte Religionem Chriſtianam, cum Templis Chriſtianis dilatauit in omnes Gentes & in omnia loca, tanquam nullis inſidijs Hæreticorum, nulla vi hoſtium quorumcunque, nec ipſius quidem Antichriſti ſummâ potentiâ, denique nullo modo vnquam ante conſummationem Seculi inter morituram. Eccleſia igitur Chriſti hoc fundata modo, ſicut Iudæorum Ritus, licèt ab ipſo Deo acceptos, quando fuiſſent aboliti, execrata eſt, & populum Iudæorum, quando deſijſſet eſſe populus Dei, aduerſata eſt: ita quoque ab Hæreticorum ſemper abhorruit Communione, etiamſi ij Nouatiani fuiſſent, aut alij quicunque parum aut nihil in Eccleſiæ Ritibus innouantes.

Chryſ. Orat. 1 aduer. Iudæos. Tom. 5.

Quanto autem nos magis alienati eſſe deberemus à Templis Proteſtantium, in quibus, & ſi in paucis imitationem quandam noſtri agnoſcamus, magis tamen Apoſtaſiam penè vniuerſalem cernimus, eamque (vt oſtendi) proximo tantum gradu ab ipſo diſtantem Antichriſto? quæ cùm ita ſint, nónne egregiam ſcilicet defenſionem Sacrilegij ſui inuenerunt in Exemplo Naaman Syri, Schiſmatici noſtri? Illi etenim nimirum permiſit Propheta Eliſeus manifeſtarijs communicare Apoſtatis. non iſtos pudet? Quid igitur erat? Exemplum certè, non dico hominis infirmi, ſed profectò licèt Neophyti, tamen confeſtim vno temporis momento perfectiſſimi. Primùm enim vero corde pleneque conuerſo profitetur coram Propheta, & coram comitatu ſuo frequentiſſimo, Non enim faciet vltrà Seruus tuus Holocauſtum, aut Victimam dijs alienis, niſi Domino. Deinde rogat Prophetam, & obſecrat, Concede mihi ſeruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de Terra: qua ſcilicet faceret in patria ſua Altare, non dubium autem quin & Templum, vbi ſciente Rege totaque Gente ſua, ſacrificaret Deo Iſraël: tantùm ab eo recedens, vt quempiam eiuſdem Dei cultorem exemplo ſuo ſcandalizaret, vt innumerabiles, cognatos, amicos, clientes ſuos, alioſque plurimos, ad eundem

4. Reg. 5.

ſecum

ſecum Deum colendum pro potentia & pietate ſua conuerteret, dum apud omnes pergeret ſtupendum illud ſanitatis à Propheta eius in ſe editum Miraculum prædicare. Poſt quæ tamen omnia, tam adhuc etiam religioſus eſt, vt ſcrupulum ſuum proponat Prophetæ, (in maximam Schiſmaticorum iſtorum condemnationem qui ad nihil quantumcunque impium & ſacrilegum ſit, hæſitant) & dicat, Hoc autem ſolum eſt de quo " depreceris Dominum pro ſe uo tuo, Quando ingredietur Dominus " meus Templum Remmon, vt adoret: & illo innitente ſuper manum " meam, ſi adorauero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, " [aliàs enim non ibi, ſed ſemper in Templo ſuo proprio adorare decreuerat] vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re. [Et propheta " dixit ei,] Vade in pace. [ac ſi diceret, licet tibi facere, ſecurus eſto. Exiſtat itaque iam non plebeius aliquis, neque in Anglia aut Hybernia aut regno quouis Hæreticorum intra fines Chriſtiani Orbis, ſed (verbi gratiâ) præpotētiſſimus aliquus Baſſa Turcorum, quem Imperator ſuus mittat ad Summum Pontificem, fortè ad Pium Quintum, per eumque curatus de morbo quopiam inſanabili, ita ſuſcipiat tantum miraculum, vt palàm teſtetur, ſe renunciare ſuperſtitioni Turcicæ, nec vllam deinceps obſeruaturum Religionem niſi Chriſtianam, ſed ædificaturum Templum & Altare Chriſto in conſpectu Imperatoris & Gentis ſuæ, in quo, ritu noſtro, cum familia & cum omnibus quibus per Miraculum Curationis ſuæ perſuadere poterit, conueniat ad Miſſam: tantum, quia dubitat, roget, vt poſſit iuxta munus officij ſui ſeruire Imperatori ſuo, in geſtando fortaſſe gladium aut ſceptrum coram eo, etiam cùm ad Templum vadit Mahometis; ibique dum Turca Mahometem adorat, ipſe interim non Mahometem, nullo modo (id enim curabit vt nullus ignoret, ne falſam illam profiteri religionem videatur, & negare Chriſtianam quam amplexus eſt) ſed Chriſtum adoret: Quis hunc, & hoc, & illic, reprehendat? An igitur nihil aliud eſt, quod noſtri ſibi concedi poſtulant? Certè, tametſi multum intereſt quid in media Turcia & in media Chriſtianitate, item quid à tali & à quouis fiat: tamen qui ſic per omnia faciat vt nemini ſit offendiculo, ſuamque religionem non negare videatur, aut leges canonicas violare, quæ id vetent, & non modo non reprehendo, ſed virum perfectum, & plurimum de Deo & de Religione Catholica merentem pronuncio. Ergo Syrum illum ſigni per omnia imitentur, nemo reprehendet, quin maximopere laudabunt omnes. Cæterùm ſi qui excuſare cupiunt excuſitiones in peccatis, audiant quid olim Clerus Romanus in perſequutione decij quoad lapſos verè & ſalubriter ſcripſerit:

Nam cùm

Apud Cyp. Epiſt. 31. Nam cum totum fidei ſacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in excuſatione præſtigias quærit,
" negauit: & qui vult videri propoſitis aduerſus Euangelium vel edi-
" ctis, vel legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo iam paruit quòd videri paruiſſe
" ſe voluit.

Poſt iſta (vt ſpero) ſuperuacaneum eſt admonere Sacerdotes quoſdam ſacrilegij ſui, qui ſcilicet cooperati ſunt vel etiam cooperantur Hæreticis ſiue in inuentione, ſiue in adminiſtratione fictitiæ religionis ſuæ. Nam cùm horrendum ſit ſacrilegium cuiuſlibet Chriſtiani, etiam Laici (vt oſtendi) ſi ſolùm frequentet ritus hæreticos, quanto magis ſi quis inuentor fuerit vel miniſter? loquor de illis qui dicunt ſe in corde ſentire cum Catholicis. Quorum, qui ſe in aliquo duces præbent Proteſtanti-
a 4. Reg. 17 bus, ſimiles ſunt [a] Sacerdoti qui docuit Samaritas, qui deinceps & Do-
b 1. Paral. 13. & 15. mino & dijs ſuis ſeruiebant: item [b] Ozæ Leuitæ, qui deduxit Arcam nouo more cum Laicis, non præſentibus neque conſultis Sacerdotibus. Qui autem Miniſtrant eorum ritu, figurati ſunt in illo Auaro & propha-
c Iud. 17. & 18. no [c] Leuita, qui primùm propter modicum lucellum nouis in domo Michæ ſeruiuit Idolis, & deinde odore paulo maioris lucri & honoris idem fecit in Tribu Dan. hæc dico de Sacerdotibus. Nam Laicos iſtos Miniſtros, quos ipſi Hæretici inſtituunt ac ſibi Magiſtros coaceruant, non dubium eſt præfiguratos eſſe in illis Miniſtris Ieroboam, de quo ita
3. Reg. 12. ſcriptum eſt: Fecit Phana in Excelſis, & Sacerdotes de extremis populi,
" qui non erant de filijs Leui: item in illis quos ſibi inſtituerunt Samaritæ.
4. Reg. 17. nam & ij fecerunt ſibi de nouiſſimis Sacerdotes Excelſorum, & ponebant
" eos in Phanis ſublimibus. Denique perſpicua eſt diuiſio Saluatoris noſtri,
Ioan. 10. Vid. Aug. de verb. Do. Ser. 49. qui in Euangelio non niſi tria genera Miniſtrorum facit: duo, quæ debito ritu miniſtrant, ſed vnum eorum etiam ob Dei gloriam, alterum verò ob ſuam propriam vtilitatem, quos ibi vocat Paſtorem & Mercenarium. tertium genus, cuius miniſtratio eſt illegitima, & in perditionem Ouium, qui ibi vocatur Lupus, Fur, & Latro. Vnde iſti fruſtrà ſibi & damnabiliter adulantes quaſi propter ſenſum cordis Catholicum, qui videntes Lupum venientem, non perſtiterunt conſtanter in admiſtratione legitima, donec eos vel Lupus eijceret vel Oues desererent, quemadmodum Paſtor: neque deſeruerunt ipſi Oues & fugerunt, quemadmodum Mercenarius: ſed manſerunt, & manent adhuc, & conformant ſe Lupo, ac ſecundum traditionem eius miniſtrant: vident profectò planiſſimè, in qua parte iuſtiſſimæ diuiſionis ab ipſo Chriſto traditæ ſe conſtituerunt. Ac idcirco ſi libet eis, ſtupidè, impudenter, atque damnabiliter perſe-

uerare

uerare cum lupo, vt faciunt, & nullis acquieſcere monitis ſalutaribus: Oues ſaltem diligenter obſeruare debent prædictam diuiſionem à Paſtore bono, & à principe Paſtorum traditam; atque attendere, quod dixit is de lupis, dixiſſe eum de iſtis quoque, qualeſcunque ſe quoad ſententiam cordis eſſe clanculum profitentur. Oues enim ille officij ſui ijs verbis admonuit: Oues Paſtorem ſequuntur, quia ſciunt vocem eius alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. ſcientes etiam quod Fur non venit niſi vt furetur & mactet & perdat, iuxta etiam terribilem illam viſionem (apud S. Victorem) Quintiniani honorabilis Epiſcopi, qui imminente irruptione Arrianorum, vidit ſe ſuper quendam montem ſtare, de quo cõſpiciebat gregem innumerabilium ouium ſuarum: & in medio gregis erant Ollæ nimium bullientes. Aderant autem Ouium occiſores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. & cùm ita fieret, omnis illa magnitudo conſumpta eſt gregis. Quod idem & noſtro tempore & in noſtra patria, ſicut & in multis alijs, videmus in Oues Chriſti & lugemus à Proteſtantibus factitari.

Ioan. 10. *1. Petr. 5.* *Victor. de perſ. vand. l. 2. fol. 16.*

Itaque ſi qui conſultum volunt ſaluti ſuæ, fugient ab his peſtibus ſuis, & neque preces eorum, neque Sermones audient, quia Paſtor bonus eos monet, veras Oues, id eſt ſuas, nec vocem lupi ſcire. Tales Oues erant illi Chriſtiani populi barbararum linguarum, de quibus Martyr Irenæus, vt vim oſtendat ſolius Traditionis ſine ſcriptura, ita refert: Quibus ſi aliquis annunciauerit ea, quæ ab Hæreticis adinuenta ſunt, proprio ſermone eorum colloquens: ſtatim concludentes aures, longo longiùs fugient, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium. Sic per illam veterem Apoſtolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunque eorum portentiloquium eſt. Hæc igitur Paſtoris boni admonitio, hoc Ouium bonarum fuit Exemplum. Et nónne ratio quoque vera & iuſta concordat? Nam Sermones iſti (quod nullus quomodocunque Catholicus denegauerit) pleniſſimi ſunt blaſphemijs contra omnes perſonas ac res ſanctiſſimas & colendiſſimas, ſiue in terra ſiue in Cælo, iuxta illud Pſalmi: Poſuerunt in Cælum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. iuxtaque illud Apocalypſis de Beſtia: & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & Tabernaculum eius, & eos qui in cælis habitant. Ac idcirco eorum qui iſtiuſmodi ſermones audire volunt, idque publicè & ſolenniter, grauiſſimum eſt peccatum, quandoquidem priuatim duntaxat audiens patienter & ſemel detractionem proximi cuiuſcunque meretur damnationem, quemadmodum S. Bernardus, iuxta multas ſcripturas ſacras, anno-

Contra Sermones Hæreticorum. *Iren. lib. 3. cap. 4.* *Pſalm. 72.* *Apoc. 13.* *Bern. lib. 2. de Cõſid. ad Eugen.*

» tauit, dicens: Detrahere, & detrahentem audire, quid horum damna-
» bilius ſit, non facilè dixerim. [Vnde & Rex ac Propheta Dauid ait: De-
Pſal. 100. trahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. [Deberent potiùs
Auguſt. de Ciu. Dei, li. 22. cap. 8. imitari exemplum Innocentiæ Religioſiſſimæ & nobiliſſimæ fœminæ (quod aliàs ex D. Auguſtino commemoraui latiùs) quæ cum narraret medico pagano mammillam incurabili cancro ſibi ſanatam ſigno crucis Chriſti, cumque deinde vidiſſet vultum eius quaſi contemnentis, vehementer metuit ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum, atque illo ſic paululum perſeuerante, iam quoque exhorruit. Ex quo videmus, eos qui erga Chriſtum Religionem & amorem gerunt, ſi quem videant conantem vel vnicum verbum proferre contra eum, timore defecturos, & examinatos iri metu. Quales igitur ſunt iſti, qui promptè ad eum locum ſe conferunt, vbi eum blaſphemandum ſciunt, ibique ſtant patienter, diu, ac ſæpiſſimè, blaſphemias incredibiles & planè diabolicas audientes? Qui & rurſus mihi dicant, vtrum Sermo non ſit pars officij Eccleſiaſtici? quod tam euidens eſt, vt videant ipſi Puritanos aliud nolle officium Eccleſiaſticum quàm Sermonem. Ideoque, quibus de cauſis non licet eorum officijs intereſſe (quas cauſas ſuprà ſatis latè reddidi) iiſdem de cauſis nec licet eorum audire Conciones. An ignorant, quid multi ſanctiſſimi Patres noſtri Summi Pontifices, & multa Concilia Sacra, ac nominatim Concilium proximum Tridentinum longè grauiſ-
In Indice librorū prohibitorum, Regula vii. ſimum ſtatuerit de ipſis etiam libris Hæreticorum? Quòd ſi quis, [inquit,] libros Hæreticorum (vel cuiuſuis authoris Scripta, ob Hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata atque prohibita) legerit, ſiue
» habuerit: ſtatim in Excommunicationis ſententiam incurrat. Qui verò
» libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit: præter peccati mor-
» talis reatum, quo afficitur, iudicio Epiſcoporum ſeuerè puniatur. [Nunc igitur, quid eſt (rogo) peius & periculoſius, vtrùm libros eorum legere, an eorum Sermones audire? Non dubium, quin audire Sermones: tum quia maximi omnium inter eos & turpiſſimi blaſphematores habent Sermones, qui tamen vel ob ignorantiam, vel ob alias cauſas non ſcribunt, nec à ſuis (ſi maximè velint) permittuntur; à nulla etiam in Sermonibus ſuis abſtinentes blaſphemia, quantumcunque ea Satanica & falſa ſit, quoniam non ibi metuunt Reſpondentem, ſicut faciunt cùm libros ſcribunt: Tum etiam quia viua vox incomparabiliter plus valet, quàm mortuus calamus, ſiue ad ædificandum, ſiue ad deſtruendum. Sermo
2. Tim. 2. eorum, vt Cancer ſerpit, inquit Apoſtolus. Nemo certè ſic inſanit, vt venenum, quamuis modicum & exiguum, in corpus ſuum admittat.

Hi igitur

Hi igitur, qui ſe ad loca conferunt, in quibus plæræque animæ veneno inficiuntur & omnes in periculo veneni ſunt (niſi putent ſe tutiores & ſecuriores, quàm Eua mater noſtra in Paradiſo ipſa fuit) nónne planè demonſtrant, minùs ſe de animabus ſuis, quàm de corporibus, ideoque minùs de futuro, quàm de præſenti ſeculo laborare? Adeoque, vt dixi ſuprà de ijs Hæreticis qui vera Officia Diuina, eadem ſcilicet quæ Eccleſia faciebant: ſic etiamſi fortè contingeret, non aliud eſſe quàm verum quod Hæretici quipiam prædicarent in Sermonibus ſuis, non tamen eos accedere vllo modo deberemus. Nam alioqui cur Saluator, propter quam confeſſionem dixit Petro, Beatus es Simon Bar-Iona &c: ob eandem Confeſſionem Dæmoni dixit, Obmuteſce? Petri Confeſſio fuit, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Et Dæmonis Confeſſio fuit, Scio te qui ſis, Sanctus Dei. Moyſes ſimiliter in typum huius quod dicimus, enumerauit multos magiſtros tenebrarum, vt Ariolos, Coniectores, Augures, Maleficos, Incantatores, Pythonicos, Diuinos, Necromantas: & conteſtatus eſt populum, nec ipſam à talibus quærere Veritatem. ac propterea cùm puella quædam habens Spiritum Pythonem, Philippis clamaret poſt Paulum & illos qui cum eo erant, Iſti homines ſerui Dei Excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis, [quid inde dicit Scriptura?] Dolens autem Paulus & conuerſus, ſpiritui dixit: præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt eâdem horâ. [Quanto igitur magis, cùm falſa & pernicioſa prædicant, ab huiuſmodi Spiritibus erroris abhorrere debemus: omniumque maximè, ab Hæreticis noſtri temporis, qui non vt plærique ferè omnes antiquiores Hæretici & Schiſmatici, ea in Sermonibus & ritibus ſuis frequentant, quæ Eccleſia, ſed in vtriſque ſe pleniſſimos Apoſtatas, & quaſi Turcas, vel ipſum etiam Antichriſtum, manifeſtiſſimè oſtenderunt? Et ſi quid fortè Chriſtianum retinuerunt vlla in re, id per imitationem ab Eccleſia noſtra Catholica acceperunt. Ergo nimium abſurdi ſunt, qui non hanc potius, quàm ſimias eius, eoſdemque Apoſtatas eius, ſequi velint. Vnde cùm ſatis ſuperque iam in hoc Motiuo diſſeruerim, tempus eſt vt ad aliud tranſeamus.

Matth. 16. *Luc. 4.* *Deut. 18.* *Act. 16.*

MOTIVVM VIGESIMVM-QVARTVM.

Quod noſter etiam ſit Clerus ſeu Ordo Sacerdotalis, qui in dictis Templis ac Diuinis Officijs & primitus & hactenus miniſtrauit. quotq́. Proteſtantes Ordinem hunc mutando induxerint Apoſtaſiam.

I. POSTQVAM de Templis, & de Diuinis Officijs diximus, opportunum eſt hoc loco, de Ordine Cleri ſeu Sacerdotij dicere. Hæc enim inter ſe coniuncta ſunt, ita vt ipſi Sacerdotes ſeu Clerici ſint, quibus, vt ſuis fungantur miniſterijs, dicta Templa & Ritus ſunt inſtituti. Quoniam igitur viſum eſt Proteſtantibus hoc tempore, penitus mutare ordinem Sacerdotalem, videamus iam, quia alius eſt Ordo noſter, alius illorum, vter Ordo ſit, qui cum Ordine Eccleſiæ Primitiuæ conueniat. vt verbi gratiâ, vtrum S. Cyprianus, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Baſilius, & cæteri per illa antiqua tempora Græci & Latini, fuerint Sacerdotes Ordinis noſtri, an Caluiniſtici: Et vtrum iidem Sacerdotes non fuerint eiuſdem Ordinis, cuius erant S. Petrus, S. Paulus, & reliqui Apoſtoli. Quanti autem ſit momenti in quærenda religione inſpectio Sacerdotij,
Hebr. 7. intelligit facilè, qui recordatur ex D. Paulo, legem quempiam cum Ordine Sacerdotij ſic coniunctam eſſe, vt vbicunque ſit diuerſus Ordo Sacerdotij, ſit etiam Lex diuerſa. Nam & hinc profectum eſt, vt quia Proteſtantes & nos differimus Sacerdotio, eam ob cauſam non ſicut plereque antiquæ hæreſes de vno vel altero articulo Religionis mouebant quæſtionem Catholicis, ſed de tota ferè vniuerſitate Religionis diſceptemus. Ergo Religionem ſeu legem Chriſti ſeu Euangelium quinam habeant, ex Sacerdotio facilè cognoſcemus.

II. Sacerdotium autem Apoſtolicum vtri habeamus, perſpicient omnes hoc modo facillimè: Proteſtantes recedentes à nobis mutauerunt Ordinem noſtrum. hoc & ipſi concedunt, & nemo negat. Noſter enim Ordo eſt ad offerendum Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti pro viuis ac defunctis. Quod illis diſplicet, nihil magis, adeo vt ſi qui fortè Sacerdotes à nobis ad illos deficiant, hoc Sacrificium nunquam in poſterum offerant, id eſt, Miſſam nunquam amplius celebrent, & vnquam obtuliſſe atque celebraſſe pœniteat. Quod igitur conſtat de illis, hoc

ſimiliter

ſimiliter monſtretur de nobis, vel nos, vel vllos Maiores noſtros, vllo vnquam tempore, Ordinem demutaſſe, quem Apoſtoli à Chriſto acceperunt, & Eccleſiæ tradiderunt: Sic, vt inde ab Apoſtolis ad illum vſque articulum temporis Ordo vnus fuerit Sacerdotij, & noſtri deinceps alium Ordinem introduxerint. Certiſſimum eſt, hoc à nullo aduerſariorum noſtrorum quantumuis docto & diligenti, poſſe demonſtrari. Vnde prudentes, & omnes, perſpicuè vident, noſtros hactenus Sacerdotes eſſe Ordinis Apoſtolici, & Proteſtantes, dum mutarunt Ordines noſtros, Ordines ſimul Apoſtolicos mutauiſſe. Idem rurſus perſpicuum eſt ex ijs quæ iam diximus de Diuinis Officijs, oſtendentes clariſſimè, Epiſcopos & Presbyteros antiquos eadem Sacramenta, quæ nos, & iiſdem Ritibus miniſtraſſe, non ſolùm in Miſſa, & Baptiſmo, verumetiam in reliquis. Conſtat tertiò ex eo quod in Motiuo 19 oſtendi fuſiùs, *Moti. 19.* Sacerdotes antiquos qui ſucceſſerunt Apoſtolis, ſuperiores ſe geſſiſſe laicis omnibus, etiam Regibus & Imperatoribus, in Templis & Sacris: in quibus Proteſtantes, non minùs quam in locis rebuſque prophanis, tribuunt Regibus Primatum. Hinc eſt illa apud Ambroſium diſceptatio de *Amb. lib. 5. Epiſt. 33.* baſilicis tradendis, vt videlicet Epiſcopus & Clerus Catholicus cederet *Similia Sozom. lib. 2. cap. 32.* Templis iubente Imperatore hæretico, & ea permitteret Arrianis. Conuenior ipſe [inquit Ambroſius] à Comitibus & Tribunis, vt baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus, Imperatorem iure ſuo vti, eò quòd in poteſtate eius eſſent omnia. [Ad quod reſpondet Ambroſius, dicens:] Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo: Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad *Matth. 22.* Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non Sacrorum. Proteſtantes autem contra hoc, & contra id quod dicit idem aliàs, & Templa voluntati Re- *Amb. lib. 5. Epiſt. 32.* gum permittunt, ſicut omnia, & Laicis omne ius Sacerdotale ſubſternunt. in tantum vt in Anglia noſtra teneantur Parlamenta Hæreticorum, in quibus non eos pudet abſurditatis ſuæ, quam etiam ex cæcitate non vident, cùm dicunt laici partim nobiles partim plebeij, ſe præcipere omnibus illius Regni Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Eccleſiaſticis, vt iſto vel iſto ritu Templa gubernent, & Officia celebrent Diuina.

Quartò perſpici idem poteſt euidentiſſimè vel ex ſolis etiam nomi- III. nibus, quæ nos hactenus cuſtodimus, illi autem mutata volunt. Nam vt

Apoſtoli introducentes nouum Ordinem, mutauerunt vetera nom Iudæorum & Gentilium, nempe hæc, Pontifex & Sacerdos (pro q bus linguæ Chriſtianorum vulgares nihil ferè habent quod eis ex int pretatione reſpondeat) & pro eis hæc dixerunt, Epiſcopus & Presby quæ pleræque linguæ Chriſtianæ in ſuo vernaculo imitatæ ſunt: ſic, q non videt, quòd Hæretici mutantes denuo illa nomina Apoſtolica iſta, Superintendens & Senior, manifeſtè ſe prodiderint eos eſſe qui Ordinem mutauerint Apoſtolicum: Nos autem èdiuerſo, qui probam Apoſtolica ſemper retinuiſſe Nomina, nunquam idcirco conatos e Apoſtolicum Ordinem immutare? Quintò videbitur eorum mutat ſi conſideretur, à quibus Ordinentur Epiſcopi & Sacerdotes eorum, à quibus omnes qui fuerunt antiquitus, ipſo etiam Apoſtolorum ten pore. Nam Apoſtolorum & cæterorum omnium Maiorum noſtroru conſuetudo & traditio fuit, vt Epiſcopi & Presbyteri eſſent, qui Epiſc
2. *Tim.* 1. pos & Presbyteros ordinarent. Nam hinc ait D. Paulus Timotheo: Gr
1. *Tim.* 4. tia Dei eſt in te per impoſitionem manuum mearum. [Et iterum:] Gr
Act. 14. tia data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterij. [Et (vt ſcribit Lu cas de Paulo & Barnaba) Reuerſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & Antio
» chiam, [& per alia loca quibus prædicauerant.] Et cùm conſtituiſſen
» illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunijs, com
» mendauerunt eos Domino. [Ac vt Chriſtus Dominus non ſolùm Sa cerdotes fecit Apoſtolos ſuos, ſed etiam tribuit eis hanc quam videmu eos exercuiſſe, poteſtatem ordinandi alios: ſic rurſum & ipſi non ſo lum ordinauerunt, verumetiam (quia perpetua foret hæc traditio) iten ordinatis à ſe communicauerunt porrò eandem ordinandi facultatem.
Tit. 1. Vnde D. Paulus ad Titum ſcribit: Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ,
1. *Tim.* 5. vt conſtituas per ciuitates Presbyteros. [Timotheo ſimiliter:] Manu citò nemini impoſueris. [Eiuſmodi erat igitur mos Eccleſiæ Chriſti, quam Apoſtoli fundauerunt, vt Presbyteri à Presbyteris ordinarentur, ſe Epiſcopi ab Epiſcopis. A Proteſtantibus autem, quia viderunt ſe Epiſ copos non habere, neceſſariò hoc mutatum fuit. ita vt non ſolùm Lu-
b *Surius an.* 1541. therus, qui nunquam fuit Epiſcopus, tamen [b] Amſdorfium quaſi Epiſ copum creauerit, ſed etiam in Anglia Rex, imò & Regina det ſua diplomata quibus velit, & ij deinceps gerant ſe pro Epiſcopis, & miniſtros incipiant ordinare: Manifeſtiſſimè reſcindentes inſtitutionem Chriſti, quæ ab Apoſtolis inchoata, ſemper deinceps in Eccleſia eius ſeruatur, & ſine fine ſeruabitur. Nam certiſſima quædam & penitus indubitata inſtitutio ſic in Sacerdotio requiritur, ne tota vacillet Reli-
gio, vt

gio, vt Apoſtolus neceſſarium exiſtimauerit, etiam ipſi Chriſto ſuum aſſerere clariſſimis Scripturæ ſententijs Sacerdotium, animaduertens alioqui, fruſtrà ſe Hebræis ſuadere, vt deſiſterent iam in poſterum à ſuo Leuitico Sacerdotio, Legeque Moſaïca, & nouo Chriſti Sacerdotio, nouæque Legi eius ſe ſanctificandos traderent. Nec quiſquam [inquit] ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Hebr. 5.* *Pſal. 109.*

Sextò datur omnibus ex hoc intelligere, quòd Proteſtantium Sacerdotium, quemadmodum penitus differt à Sacerdotio Apoſtolico & Chriſtiano, ita multùm conuenit cum Sacerdotio Ieroboam, Samaritarum, Gentilium, & quorundam Hæreticorum. Nam (vt ſcriptum eſt) Ieroboam fecit ſibi Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Vnde rex Iuda Abia improperat decem tribubus, comparans eorum Sacerdotes cum Sacerdotibus Ethnicorum, ac dicens: Feciſtis vobis Sacerdotes, ſicut omnes populi terrarum. Samaritæ quoque fecerunt ſibi de nouiſſimis Sacerdotes. Sed apprimè huc conueniunt, quibus S. Hieronymus totum Schiſma Luciferianorum in ſuo fundamento ſubruit, id eſt in Hilario Diacono qui erat caput eorundem. Nam eâdem operâ euertit Lutheranos & Caluiniſtas, & cæteras Sectas noſtri temporis, quorum capita & fundamenta non fuerunt niſi presbyteri aut Diaconi, vel ſæpè etiam Laici duntaxat, ſiue Reges & Reginæ, ſiue cæteri. Sic igitur habet Hieronymus: Hilarius cùm Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque [cum ſuis] vt putat, turba ſit mundi: neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens: neque Baptiſma ſine Euchariſtia tradere. [ſolebant enim tunc ambo hæc Sacramenta ſimul tradi, & cum eiſdem etiam Confirmatio.] Et cùm iam homo mortuus ſit, cum homine pariter interijt & Secta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ non habet Sacerdotem. [Quibus tam paucis verbis ibi dicitur tam grandis quæſtio diſſoluta, An ſcilicet Luciferiani ſeu pars Hilarij eſſet Eccleſia Chriſti. nequaquam. non enim habebant Sacerdotes, ideoque nec Euchariſtiam, ſed nec Eccleſiam. Vnde & ibidem vocat eos, paucos homunculos, qui ipſi ſibi & Laici ſunt & Epiſcopi. Eademque ratio valet æquè contra Hæreticos noſtri temporis, vt nec hi *3. Reg. 12.* *2. Para. 13.* *4. Reg. 17.* *IIII.* *Hier. cont. Lucifer.*

Sacer-

Sacerdotes habeant, quippe qui à Diaconis & Presbyteris, nedum à l-
cis, ordinari non poſſunt: ac propterea etiam nec Euchariſtiam habeat
nec Eccleſiam. Longeq́ue ante Hieronymum in Hæreticis quoque an-
Tert. de præſc. „ quioribus annotauit talia Tertullianus: Ordinationes eorum leues, te-
„ merariæ, inconſtantes. Nunc neophytos collocant; nunc ſeculo ob-
„ ſtrictos; nunc Apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non
„ poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris Rebellium. vbi
„ ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius:
„ hodie fit Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus:
„ nam & laici Sacerdotalia munera iniungunt. [Et proximè ante hæc ver-
„ ba:] Ipſæ [inquit] mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant do-
„ cere, contendere, Exorciſmos agere, curationes repromittere, fortaſſe
an & tingere? [Quæ eadem agnoſcunt Proteſtãtes, non minùs, imò mul-
to magis perturbata eſſe in ſeparationibus ſuis. cùm interim in Eccleſia
Catholica, vt ſemper, ſic & hodie, creentur Epiſcopi & Presbyteri, nulla
ipſius Ordinis facta mutatione; hacq́ue ratione ipſa cum Sacerdotio ſuo,
& hoc cum ipſa, continuatur per omnes ætates vſque ad ſeculi conſumma-
tionem, nunquam intermortua, nunquam intermoritura.

Ex hac tam legitima vocatione Epiſcoporum & Presbyterorum
noſtrorum venit (idq́ue ſeptimò obſeruet Lector) vt Sectarij ipſi de po-
teſtate eorum nihil omnino dubitent, ſed exiſtiment, ſic ordinatum ap-
tiſſimum eſſe miniſterio etiam ſuo, imò multo magis neceſſarium quàm
aliquem à ſeipſis ordinatum: quærentes idcirco, quantum maximè poſ-
ſunt, conſecrari in Epiſcopos ab his qui ſunt noſtri Ordinis, ne qua for-
taſſe dubitatio ſeu quæſtio poſtmodum conſurgat de recta eorum inſti-
tutione. Quod dum faciunt, reuocant nobis in memoriam figuram ſui
Iud. 17. „ olim præceſſiſſe in hiſtoria Michæ Idololatræ, qui dixit Nunc ſcio, quòd
„ benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem. Atque ob
hanc cauſam non quærunt reordinari, ſi prius à noſtris Epiſcopis ordi-
nati in Presbyteros fuerint. Exempla habemus in Anglia quamplurima,
vt Parkeri, Grindalli, Sandeſij, Horni, & aliorum, qui ſecundum catho-
licum Ritum olim Presbyteri ordinati, idonei viſi ſunt, qui ſine ordina-
tione noua non ſolum Presbyteri eſſent, ſed & Epiſcopi, & Archiepiſ-
copi, & Primates fierent vel ſolis literis Regijs, vel ridicula quadam con-
ſecratione eorum, qui nullam, niſi à Regina, conſecrandi acceperant
poteſtatem. Contra autem à nobis factitari ſciunt, vt (quia Epiſcopos
non habent) Ordines eorum reprobemus, & dicamus, miniſtros eorum
nullam habere in Sacramentis poteſtatem, ideoque exequi eos præten-
ſum offi-

ſum officium ſuum ſine commodo vel ſpirituali cõſolatione cuiuſquam: imò ad certiſſimam ac grauiſſimam damnationem ſui & aliorum. vnde ſi quos eorum interdum pœniteat, redeuntes ad Eccleſiam, non alium tenent niſi Laicorum locum, ſed nec ipſi expectant vt à nobis ſinantur in vllo officio miniſtrare, niſi Ordines noſtros quos priùs non ſuſcepêre, ſuſcipiant. Quæ noſtra vtrinque praxis, nónne aperta eſt confeſſio partis eorum, quod noſtrum ſit verum Sacerdotium, noſtraque vera Eccleſia Chriſti? ſuamque è contrario eſſe Eccleſiam nullo modo poſſe, nec ſi quidem aliud poſthac conſilium caperent, nihilo melius ſentientes de Ordinibus noſtris, quàm nos de ſuis. Quid enim per hoc lucrarentur, niſi primùm vt quæ hactenus fecerint, ipſi palàm damnent: deinde, vt per hoc magis oſtendant ſe carere Sacerdotibus, nec alios in Miniſterio habere quàm Laicos? cum tamen iam audiuerint ex Hieronymo, Eccleſiam ſine Sacerdotio eſſe non poſſe.

Octauo, ad id quod ſuprà dixi, Hæreticos iſtos non poſſe demonſtrare, quando facta ſit per Maiores noſtros mutatio Sacerdotij, ita ſcilicet vt Apoſtoli & eorum Succeſſores ad certum tempus non obtulerint Sacrificium pro viuis & defunctis, ac poſt illud deinde certum tempus noſtri incœperint ſic offerre: ad hoc (inquam) addatur, nos planè contrarium demonſtrare: Auguſtinum videlicet, & omnes ſimiliter ante ipſum Sacerdotes, ſic obtuliſſe, vt nos nunc offerimus. idque adeò ſine contradictione, vt qui primus poſt exordia naſcentis Eccleſiæ contradicere huiuſmodi oblationi cœperit, fuerit Arrianus quidam tempore S. Epiphanij nomine Aërius, qui & propter talem contradictionem à tota Eccleſia, Græca & Latina (vt patet ex eodem Epiphanio & Auguſtino) Hæreticus ſit iudicatus. Dogma enim eius fuit, Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Contrà verò Auguſtinus teſtatur, oblatum fuiſſe pro Matre ſua Sacrificium precij noſtri in Eccleſia Catholica, rogatque Sacerdotes qui legerint Confeſſiones eius, vt meminerint ad Altare parentum eius defunctorum, Monicæ & Patricij. Antiquiora etiam exempla commemoraui aliàs de Conſtantino Magno, & Victore quodam, in quorum morte meminerunt Sacrificij & oblationis huius Euſebius Græcus, & eo vetuſtior Cyprianus Latinus. Similiaque extant in omni memoria exempla quamplurima. V.

Epiph Hær. 75. *Aug. Hær. 53.* *Vide Moti. 12.* *Moti. 19. num. 9.* *Moti. 12.*

Nonò clarebit identitas Sacerdotij noſtri & Primitiui, ſimulque Apoſtaſia Proteſtantium ab illo, ſicut à noſtro, ſi cõſiderentur alij quoque Ordines noſtri infra Epiſcopos & Presbyteros, iidem & à principio extitiſſe. VI.

Cuius rei (præter alia infinita) extat teſtimonium Cornelij Pontif
Euſeb. hiſt. lib. 6. cap. 35. Romani tempore Cypriani, qui apud Euſebium ſcribit, in Eccleſia R
mana fuiſſe etiam tunc præter vnum Epiſcopum, Presbyteros quad
„ ginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acoluthos quadrag
„ ta duos, Exorciſtas & Lectores vnà cum Oſtiarijs quinquaginta duos.
habuiſſe hos omnes Ordines reſpectum ad Sacrificium, teſtatur cum om
Cyprianus Epiſt. 65. antiquitate Cyprianus, cùm aliàs, tum vbi dicit: Singuli diuino Sace
dotio honorati, & in clerico miniſterio inſtituti, non niſi Altari & Sac
„ ficijs deſeruire, & precibus atque orationibus vacare debent. [iterumq
„ poſt pauca:] Ab altari & Sacrificijs non recedant. [Quodque in his de S
crificio noſtro loquatur, non relinquit dubitandi locum cum addit,
Epiſcopis anteceſſoribus ſuis propterea ſalubriter in Concilio ſtatutu
„ eſſe,] ne quis Chriſtianus excedens, ad Tutelam vel Curam Clericu
„ nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificiu
„ pro dormitione eius celebraretur. Neque enim [inquit] apud Altare D
„ meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & m
„ niſtros [id eſt, reliquos Ordines] voluit auocare. [Atque hinc fuit il
b Matt. 21. num. 28. diſtinctio locorum in Templis, de qua b aliàs ex antiquitate memini, v
c Theod. lib. 5. cap. 17. Soz. lib. 7. cap. 24. ſcilicet Laici, etiamſi Rex vel Imperator aut Monachus quoque eſſe
tenerent ſe c extra Cancellos; omnes autem ordines clericorum lic
intra Cancellos haberent locum, tamen quidam eorum ad Altare acce
d Dion. Areo. Eccleſ. Hier. cap. 1. par. 2. & Epiſt. 8. ad Demoph. monachum. dere d non poſſent, quidam verò poſſent: & horum rurſus quidam e m
nus illic, quidam verò plus poſſent. Dicant enim nobis Proteſtantes, a
hæc omnia non inueniant apud antiquos teſtatiſſima: imò & quòd il
in hac obſeruatione multò ſeueriores fuerint, quàm nos hodie ſumus
e Hier. in Ezech. 45. 48. Vnde cùm hæc noſtra obſeruatio clarè demonſtret, quòd credimus Sacri
ficium in Eccleſia, & quem etiam credimus in iſto Sacrificio immolari
vident omnes, eandem in antiquitate obſeruationem, quatenus mult
ſtrictior fuit, multo etiam clariùs demonſtraſſe, quod & illorum tempo
rum hæc eadem fides fuerit.

VII. Imò tam euidens tamque glorioſum fuit etiam illo tempore Sacer
dotium & Sacrificium hoc, vt ijdem antiquiſſimi Chriſtiani (id quod de
cimo loco obſeruetur) inde argumentum duxerint contra Iudæos & Pa
ganos, quo Deitatem Chriſti demonſtrarent: quia nimirum varia eorum
Sacrificia hoc vnico Chriſtianorum Sacrificio & iam abolebantur vbique
gentium, & multo priùs à Prophetis ſic abolenda eſſe ſunt prædicta. Hinc
Cyp. Teſtim. lib. 1. cap. 16. enim Cyprianus in libro Teſtimoniorum è Scripturis aduerſus Iudæos
habet hoc capitulum, Quod Sacrificium vetus euacuaretur, & nouum

celebra

celebraretur, citatque ad id Eſaiam, Pſalmographum, & Malachiam. *Eſa. 1.*
Quodnam autem Sacrificium intelligat, dubitare non poteſt, qui recor- *Pſalm. 49. Mal. 1.*
datur, eum modò locutum eſſe de Sacrificio pro defunctis oblato. Ac
locum Malachiæ pluribus tractat aduerſus eoſdem Iudæos S. Chryſoſto- *Chryſ. Tom. 5. contra Iud. orat. 2. col. 942.*
mus, ſic dicens: Vultis, vt & alios Prophetas in vos armemus, qui hoc
ipſum apertè dicunt, futurum quod veſtra ditio, veſtraque religio finem
eſſet ſortitura: noſtra contra efflooritura, totoque terrarum orbe proro-
ganda, Chriſti præconium, aliudque Sacrificiorum genus inducendum,
ijs quæ apud vos fuerunt abrogatis? Audi Malachiam qui cæteris Pro-
phetis fuit poſterior: nondum enim Eſaiæ aut Hieremiæ produco teſti-
monium, neque cuiuſquam aliorum qui præceſſerunt captiuitatis tem-
pus, ne dicere poſſis quod hæc mala quæ prædixerunt, acciderunt in
captiuitate: ſed adduco prophetam qui fuit poſt reditum è Babylone, ac
poſt ciuitatis inſtaurationem, deque rebus noſtris apertè vaticinatus eſt.
Etenim poſtquam rediſſent, ac reſtituta ciuitate Templum extruxiſſent,
hanc præſentem deſolationem narrans, futuramque Sacrificiorum ſubla-
tionem, hoc ferme pacto ſub perſona Dei loquitur Malachias: Accipiam *Mal. 1.*
facies veſtras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab ortu Solis vſque
ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt inter gentes, & in omni loco
Sacrificium offertur nomini meo, & Sacrificium purum. Vos autem pro-
phanaſtis illud. Quando hæc euenerunt Iudæe? Quando in omni loco
Incenſum oblatum eſt Deo? Quando Sacrificium purum? Non poſſis
aliud proferre tempus, quàm hoc, poſteáquam Chriſtus aduenit. &c.
[Quemadmodum autem hi contra Iudæos, ſic Euſebius contra Gentiles
pro Deitate Chriſti hoc Sacrificio in argumentum vtitur, dicens: Quis
alius, ſolo noſtro Saluatore excepto, Sacrificia rationalia, ſanguiniſque *Euſeb. de laud. Conſt. pag. 384.*
expertia, precibus & arcana quadam Diuinæ laudis celebrandæ ratione,
ſuis diſcipulis obeunda tradidit? qua de cauſa tum Altaria in toto orbe
terrarum conſtructa ſunt, tum auguſtæ ſanctæ Eccleſiæ ædificatæ, tum
Diuina Sacrificiorum miniſteria ſoli Deo omnium moderatori ab omni-
bus Gentibus deſtinata, tributaque. [Contra eoſdem Gentiles ſcripſit *Auguſt. de ciui. lib 10 cap. 20. & lib. 17. cap. 20.*
Auguſtinus libros ſuos de ciuitate Dei, in quibus & ipſe (vt aliàs oſten-
di) ex hoc Sacrificio argumentatur pro Chriſto, quia non ſolùm Genti-
lium cuncta ſacrificia falſa huic ſummo veroque Sacrificio ceſſerunt, *Mal. 1.*
verùm etiam omnibus illis ſacrificijs Veteris Teſtamenti ſucceſſit. nam
pro omnibus illis Sacrificijs & oblationibus Corpus Chriſti offertur, &
participantibus miniſtratur. quod ibidem vocat etiam, Sacrificium ac
menſam, quam Sacerdos ipſe Mediator Teſtamenti noui exhibet ſecun-

„ dum ordinem Melchiſedech de Corpore & Sanguine ſuo. [Quæ lic
manifeſtiſſima ſint , tamen ſi quis adhuc tergiuerſetur , nolens agno
cere quodnam hi intelligant Sacrificium , cogitet is , quòd ſicut C
Num. 5. prianus, ita & hi referunt, offerri id ſolere etiam pro defunctis. Na
ſuprà admonui, ex Auguſtino, Sacrificatum eſſe pro matre ſua Mon
ca , itemque ex Euſebio pro Conſtantino Imperatore. Chryſoſtom
Chryſ hom. 42. in 1. Cor. etiam celeberrima ſunt de eodem teſtimonia , vt cùm dicit : Non e
temerè hoc excogitatum , nec fruſtrà Memoriam Mortuorum inte
„ Sacra Myſteria celebramus , aut accedimus pro illis Agnum illum in
„ centem & peccata mundi tollentem deprecantes : ſed vt his conſola
„ tio aliqua fieret. Nec temerè qui Altari aſſiſtit , inter horrenda My
„ ſteria clamat , Pro omnibus in Chriſto Dormientibus & pro his qu
Chryſ Hom. 3. ad Philip. & hom. 69. ad pop. Ant. Hom. 21. in Act. memoriam celebrant illorum. &c. [Qui etiam ſæpè teſtatur , ab Apo
ſtolis hoc ſancitum eſſe , vt in Celebratione Venerandorum Myſterio
rum memoria fiat eorum qui hinc diſceſſerunt. [Idemque elegan
ter docet , quòd] etiam pro Martyribus magnus honor ſit nominar
„ Domino præſente , dum mors illa perficitur , & horrendum Sacrifi
„ cium , & ineffabilia Sacramenta. [nam] tunc quidem omnibus hono
„ maximus in memoria haberi. [Itaque ex his intelligunt Proteſtantes
de hoc noſtro Sacrificio omnes illos loquutos eſſe : intelligunt, ex ipſo
Sacrificio demonſtraſſe eos Chriſtum Iudæis & Gentilibus. intelligunt
denique ex hoc, ſe, dum Sacrificium iſtud conuellunt, ſtare pro Iudæis
& Gentilibus , ſtare contra Chriſtianos , ſtare contra Chriſtum.
Quemadmodum & in multis alijs faciunt , vt hæc Motiua noſtra eui-
denter oſtendunt.

VIII. Vndecimò recolantur ceremoniæ quoque , quibus antiqua Eccle-
ſia vſa eſt in traditione ordinum. Nam & inde poterit intelligi , vtrum
Dion. Eccl. Hie. cap. 5. par. 2. Moti. 22. Num. 32. ordines Eccleſiæ noſtræ ijdem ſint , an potius Proteſtantium. Ergo ex
Dionyſio Areopagita conſtat (idque commemoraui etiam aliàs) Ordi-
nes datos eſſe ipſo Apoſtolorum tempore , cùm impoſitione libri &
manuum in capite , cum verbis ſolennibus , cum oſculo , & Signo
Ambr. in 1. Tim. 4. Crucis. Quoniamque Dionyſius verba ſolennia ex more & religio-
ne reticuit, citaui Ambroſium interpretantem Impoſitionem manuum
„ apud Apoſtolum Paulum , eſſe verba Myſtica , quibus ordinandus ac-
„ cipit authoritatem , vt audeat vice Domini Sacrificium Deo offerre,
[ſecundum id quod hodieque dicit Epiſcopus ordinando,] Accipe po-
Hier. li. 16. in Iſa. 58. teſtatem offerendi pro viuis & mortuis in nomine Domini. Vnde &
Hieronymus dicit , χειροτονίαν id eſt Ordinationem Clericorum, ad

impreca-

imprecationem vocis & ad impoſitionem manus impleri. [Concilium quoque Mileuitanum, cui interfuit Auguſtinus, per Manus impoſitiones intelligit verba ſacra, dum iubet, vt preces vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſiue Præfationes, ſiue Commendationes, ſeu Manus impoſitiones ab omnibus celebrentur. [Interfuit idem Concilio Carthaginenſi quarto, quod rurſus cæremonias ordinum exprimit, idque manifeſtius quàm vlli ætatum ſuperiorum, docens, impoſitionem manuum adhiberi in ordinatione Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, ſed cum quibuſdam pro dignitate differentijs: Subdiaconum autem non eam accipere, ſed ſolùm patinam vacuam, & Calicem vacuum, itemque vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium: Acolythum deinde accipere Ceroferarium cum cereo, quia ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipatur, itemque vrceolum vacuum, ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti: [Exorciſtam porrò, librum exorciſmorum: Lectorem codicem Lectionum: Denique Oſtiarium claues de Altario: & hæc partim per manus Epiſcopi, partim Archidiaconi. Ipſius quoque vnctionis Sacerdotum creberrima fit mentio, vt cum dicit Cyprianus, Nec tamen ceſſantibus his quæ ritu antiquo [Veteris Teſtamenti] inoleuerant, &c, Vnctionis myſterium Religio Chriſtiana contempſit: ſed cæteris generali Sanctorum conſenſu damnatis, non ſolum in Regibus [dum inaugurantur] & Sacerdotibus [dum ordinantur] Vnctionis honor permanſit, ſed in omnem populum Catholicum [in Sacramento Confirmationis] effuſa eſt huius gratiæ plenitudo. &c. [Multumque inuehitur Optatus contra Donatiſtas, qui radebant oleum de capitibus Sacerdotum Catholicorum, cum tamen oleum Sacerdoti à Deo collatum tangere non debuerint. [Poſtremò ipſam etiam Coronam Sacerdotum alio loco demonſtraui planè eſſe Apoſtolicam.

Con. Mileu. cap. 12. & 1. Con. *Con. Car. 4. cap. 2. ad 10.* *Cyp. de vnct. Chriſm. & aliis Sacrã.* *Opt. lib. 2. fol. 26. 27.* *Moti. 11.*

IX. Duodecimo iam loco conſideretur, Sacerdotes vnà cum officio conſecrandi corpus Domini, adque partim vt offerrent illud Deo pro quibuſlibet neceſſitatibus, partim vt illud participantibus miniſtrarent, ſemper habuiſſe officium etiam præparandi participantes per abſolutionem eorum à peccatis ſuis, ſine qua indignè participarent, reique forent Corporis & Sanguinis Domini. ex his porrò officijs dignitatem Sacerdotum ſemper exiſtimatam eſſe incomparabilem. Legatur tertius liber S. Chryſoſtomi de Sacerdotio, vbi hinc oſtendit, quòd Sacerdotes, & meritò, non modò plus vereri debeamus, quàm vel Principes vel Reges, verum etiam maiori honore quàm Parentes proprios honeſtare:

Chryſoſt. de Sacerdotio lib. 3.

» quia ſcilicet Sacerdotes authores nobis ſunt Natiuitatis eius quam à D
» habemus in regeneratione Baptiſmi: Quia operantibus illis Sacra ha
» quæ dico initiantur perficiunturque, nempe myſterium omnium max
» mè horrendum verendumque, in quo (ô miraculum [inquit] ô D
» benignitatem) qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articu
» noſtris manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum accipe
» ac complecti. [ita vt vir Sanctiſſimus ſtupore raptus dicat Lectori,] Na
» dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem Sacrificio incum
» bentem ac preces fundentem, tum verò turbam circumfuſam pretioſ
» illo Sanguine intingi ac rubefieri: etiámne te inter mortales verſari, atqu
» in terra conſiſtere cenſes? an non potius è veſtigio in cælos transferris
» propter hanc igitur diſpenſationem eorum quæ in cælis ſunt, admiratu
» dignitatem Sacerdotum: & præterea quia datum eſt ijs vt poteſtatem ha
Matth. 16. 18. beant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datan
» eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, Quæcunque alligaueris i
» terra, erunt alligata & in cælo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſo
» luta & in cælo. [Remque illuſtrat more ſuo comparationibus venuſtiſ
» ſimis, atque dicit: Habent quidem & terreſtres Principes vinculi pote-
» ſtatem, verùm corporum ſolùm. id autem quod dico Sacerdotum vin-
» culum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit:
» vſque adeò vt quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem
» Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.
» Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas niſi omnium rerum cæleſtium po-
» teſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcunque enim, ait, peccata reti-
» nueritis, retenta ſunt. quænam, obſecro, poteſtas hac vnâ maior eſſe
Matth. 28. queat? Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit: cæterum video ipſam
» eandem omnifariam poteſtatem à Deo Filio illis traditam. [& iterum
Leu. 13. 14 paulo pòſt:] Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare
» quidem, ſed purgatam probare, Iudæorum Sacerdotibus ſolis licebat:
» neque neſcis, quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatio-
» ne Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò noſtris Sacer-
» dotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas
» probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. [Ex quibus omnibus diui-
nis muneribus & officijs defendit ibi copioſiſſimè atque eloquentiſſimè
dignitatem Sacerdotum, & Sacerdotum noſtrorum (quemadmodum ex
ipſis rebus patet) contra omnes contemptores. Vnde omni pietate ple-
Hier. Epiſt. ad Heliod. niſſima ſunt, quæ S. Hieronymus, comparans inter ſe Monachos & Cle-
ricos, dicit de Clericis, id eſt Sacerdotibus; ex perſona Monachi: Abſit
autem

autem vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui Claues Regni Cælorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant: qui Sponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant: [& alia ibi multa de eiſdem glorioſiſſimè.

Decimo tertio obſeruetur ex hac ſobria caſtitate (quam vocat Hieronymus) alia maxima diſſimilitudo inter Clerum Eccleſiæ antiquæ, eundemque noſtrum, & inter Clerum Proteſtantium. Iſti enim non aliam ſequuntur legem nuptiarum, quàm Laici: cùm cōtra in illo Clero Primarij Ordines nunquam poſt ordinationem ſuam duxerint vxores. id quod ita obſeruabant (præter alias multas iuſtiſſimas cauſas) propter Sacrificium prædictum Altaris, cui deſeruiebant. Licèt enim Matrimonium in Eccleſia Catholica non ſolùm culpâ vacet, ſed etiam honorem & gratiam habeat Sacramenti: tamen Sacrificio iſti diuiniſſimo excellentia Virginitatis & continentiæ ſemper iudicata eſt magis conuenire. Eſt quidem nullus locus in Eccleſia tam ſublimis, ad quem coniugatus, defuncta coniuge vnica & virgine, non poſſit, ſi alias dignus ſit, aſcendere. Idemque licet, viuente coniuge & amplectente continentiam: interdum etiam permiſſum eſt (quanquam id, vt ait Epiphanius, præter exactam Canonum obſeruantiam) quando voluit mulier ſeruare poteſtatem ſuam. Cæterùm quòd poſt ordinationem inirent nouas nuptias, nunquam licitum, nunquam dignum Miniſtris Altaris viſum eſt. Hinc enim in Concilio Carthaginenſi ſecundo ſic proponit Aurelius Epiſcopus: Cùm in præterito Concilio de continentia & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos (inquam) Presbyteros, & Diaconos ita placuit, vt condecet Sacros Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis Diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare: vt quod [b] Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. [Et ſequitur:] Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. ab omnibus dictum eſt, Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui Altario deſeruiunt. [Ac verè, hoc (vt dicit Concilium) poſtquam id docuerunt Apoſtoli, ipſa Antiquitas ſic ſeruauit, ſicque multo magis ab hoc omnes abhorruerunt, quod volunt Proteſtantes, gradus hos poſt ordinationem ducere vxores, vt nec ſocij ipſius Vigilantij Hæretici hoc auſi fuerint.

X.

Epiph. Hær. 59.

Conc. Carth. 2. cap. 2.

b Can. Apoſt. 25.

fuerint attentare. qui tamen aliquid in hoc genere, licet multo minu tentauerunt: propter quod ipſum, quid contra eos ſcripſerit S.Hieron

Hier. cont. Vigil. mus, dignum eſt audire: Proh nefas, Epiſcopos ſui dicitur ſceleris habe „ conſortes: ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant Diac „ nos, niſi prius vxores duxerint: nulli cœlibum credentes pudici ian „ imò oſtendentes, quàm ſanctè viuant, qui malè de omnibus ſuſpicantu „ & niſi prægnantes vxores viderint Clericorum, infanteſque de vlnis m „ trum vagientes, Chriſti Sacramenta [id eſt, Ordines] non tribuunt. [& „ rurſus:] qui niſi tumentes vteros viderint fœminarum, maritos earur „ Chriſti miniſterio arbitrantur indignos. [Quibus contra opponit mores totius ferè tunc Eccleſiæ, & dicit: Quid facient Orientis Eccleſiæ? qui „ Aegypti? & Sedes Apoſtolica? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, au „ continentes; aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt. Hoc docui „ Dormitantius, libidini frena permittens, &c. [Plus audere viſus eſt Ioui

Aug. Hæreſ. 82. nianus, licèt nec ipſe quantum Proteſtantes. Nam vt de eo ſcribit S.Au „ guſtinus, Virginitatem etiam Sanctimonialium, & continentiam ſexus „ virilis, in ſanctis eligentibus cœlibem vitam, coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat. [Et quid mali hinc ſequutum eſt?] ita vt [ai „ Auguſtinus] quædam Virgines Sacræ prouectæ iam ætatis in vrbe Roma „ vbi hæc docebat, eo audito, nupſiſſe dicantur. [Sed an aliqui in Clero „ ſimiliter? Abſit.] Citò enim iſta Hæreſis oppreſſa & extincta eſt, nec „ vſque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit peruenire. [Quod

Aug. 2 Retract. cap. 22. idem aliàs his verbis grauiſſimis exprimit vir iam caſtiſſimus & Cœlibatus Clericalis maximus admirator: Huic monſtro [inquit] Sancta Ec- „ cleſia, quæ ibi eſt, fideliſſimè ac fortiſſimè reſtitit. [Talis tunc erat Clerus, continens, cœlebs, innuptus: & qui hoc vel ex minima parte volebant immutare, pro Hæreticis, & pro Monſtris à Dei hominibus habebantur. Quam igitur cum Clero illo ſimilitudinem in Clero Proteſtantium quis expectat? vbi ab hac obſeruatione vltrà Vigilantium, vltra Iouinianum, tam longè receditur, vt Sacerdos idemque Monachus, qui Sanctimonialem duxit, iſtorum anteſignanus fuerit, totuſque adeò Clerus eorum coniugatis, Digamis, Trigamis, Quadrigamis, & cæteris ſine vllo fine, conſtet. idque cum tanto etiam Reipublicæ detrimento, quantum experitur Anglia noſtra, in qua vel vnus Superintendens Pilkintonus, qui nuper mortuus eſt, reliquit duabus filiabus ſuis (præter ſubſtantiam plurimam in agris & ſupellectilibus, vt audio) vel in ſola pecunia numerata ſexaginta millia coronatorum aureorum. nec rara ſunt talia exempla in illo Regno, vt nouerunt prudentes.

Denique

Denique in his omnibus, quæ annotaui, quorum quædam ſubſtantiam tangunt Sacerdotij, quædam acceſſoria ſunt, quemadmodum & in cæteris quibuſcunque, conuenit ad amuſſim Clero noſtro & antiquo inter ſe, vtpote qui vnus idemque Clerus ſit: ac idcirco in ijſdem omnibus inter eundem Clerum & Proteſtanticum tantum intereſt, quantum inter eos & Clerum noſtrum, quantum quidem poteſt eſſe maximum. Quod cum ijdem Proteſtantes non ignorent, deſperantes prorſus quaſi per ſimilitudinem ſuam cum antiquo Sacerdotio cauſam hanc religionis ex nobis obtinere, imò contrà videntes, nos ea ratione de ipſis palmam euincere ſine omni controuerſia: putauerunt, confugiendum ſibi hîc eſſe ad quandam aliam viam (id quod decimo quarto loco velim à prudenti Lectore obſeruari.) Diſputant videlicet, & contendunt, non ſolùm, vt interdum, Epiſcopos & Presbyteros nihil inter ſe differre (quod tamen ſufficeret ad eorum damnationem, præſertim cum fuerit iſta Hæreſis Aërij,) verum etiam nullam prorſus eſſe differentiam omnino inter Clericos & Laicos, hæcque ipſa nomina non eſſe ferenda: (quæ tamen hic audiuimus ab Antiquis ſatis frequentata) nullos prorſus eſſe Sacerdotes apud Chriſtianos, niſi Chriſtum ſolum, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, nullumque (quod eòdem pertinet) Sacrificium externum, oblationem nullam. Et hoc (ſi dijs placet) volunt in ſcripturis doceri. E quibus tamen ipſis è contrario volunt ijdem interdum ſuadere nobis id quod huic eſt prorſus aduerſum, ſcilicet omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, & Sacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech, viros, pueros, & mulieres. *Epiph. Hær. 75. Aug. Hær. 53. Pſal. 109.*

Ac pro primo quidem abutuntur illa ſententia Epiſtolæ ad Hebræos: Et alij quidem [id eſt Leuitici] plures facti ſunt Sacerdotes, quòd morte prohiberentur permanere: hic autem [id eſt Chriſtus] eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. [item illa:] Sanctificati ſumus per oblationem Corporis Chriſti ſemel: [& alijs quibuſdam ſimilibus. Quibus ſententijs, ſi eos non excæcaret hæreſis, intelligerent planè contrarium, non (inquam) nullum nunc eſſe Sacerdotium, nullum Sacrificium, ſed è contrariò tantam eſſe excellentiam Sacerdotum noſtrorum, (ſecundum id quod ſuprà docuit Chryſoſtomus) vt quicquid demum ij circa nos agant, ſiue in Baptiſmo, ſiue in Miſſa, ſiue alibi, hoc totum vnus Sacerdos Chriſtus agat, hoc totum vnica Crucis oblatio operetur: eamque cauſam eſſe ipſiſſimam, cur Sacramenta noſtra in Noua Lege adeò ſint ſalutaria, cur Sacerdotes adeò honorabiles. *Hebr. 7. " " Hebr. 10.*

Quia enim in Veteri Teſtamento non fiebat per vlla Sacramenta remiſſio peccatorum, ſed tantùm commemoratio peccatorum, deſiderabatur vſque Oblatio Crucis, quæ cuncta exhauriret. In Nouo igitur Teſtamento, vbi (ſecundum Hieremiam Prophetam) peccatorum remiſſio nobis datur, iam non eſt oblatio pro peccato, id eſt, iam non expectatur (ſicut prius in Veteri Teſtamento) oblatio cuius ſolius virtute remiſſio fiat, ſed ea Crucis oblatio vna fuit: à qua propterea deinceps vſque in finem ſeculi omnia noſtra Sacramenta vim ſalutarem habent, quemadmodum & omnes Sacerdotes noſtri in perſona vnius Sacerdotis, tanquam eius vicarij & miniſtri, cuncta peragunt. ita vt nunc, ſi operationis fontem ſpectemus, non niſi vnica Crux omnia, non niſi vnus Sacerdos omnes ſint: ſicut quamdiu viuit Rex Hiſpaniarum Philippus, non eſt ibi niſi vnus rex, & ſi multos habeat ſubregulos & miniſtros, qui cum eius poteſtate ſint. Vnde ſi ſemper viueret, ſemper idem foret. Sed in Veteri Teſtamento ita erant Sacerdotes, Aaron, & deinde Eleazarus, poſteaque Phinees, & cæteri deinceps, non vt in vita vnius regis multi ſubreges, ſed vt Carolus rex, & poſt eum Philippus rex, & ſinguli ſeorſum reges. Singuli enim defuncti ſemel vita, defuncti ſunt & munere ac poteſtate ſua. ideoque habuerunt ſucceſſores, qui ſcilicet non in priorum perſona quicquam facerent, ſed ipſi eandem ſinguli ſeorſum plenè poteſtatem acciperent. Et hoc, quia in illo Teſtamento nullus adhuc Sacerdos erat, nulla oblatio, cuius vnius poteſtate & virtute omnes Sacerdotes, & omnes oblationes operarentur. Id quod nobis iam in Nouo Teſtamento præſtitum & exhibitum eſt in Chriſto ac in Cruce eius. Sic igitur indicato vnico totius remiſſionis fonte, ſatis habuit Apoſtolus, quia cum Hebræis agebat, mentionem facere ſolius Sacramenti Baptiſmi, & notare, quòd præuaricationum quæ in priori Teſtamento erant, id eſt non remittebantur, in hoc Sacramento, tanquam in ipſa
† Rom. 6. † morte Chriſti, fit remiſſio, eaque tam plena vt ſemel mundati & ſanctificati nullam iam priorum peccatorum habeant conſcientiam aut memoriam, ſed ſint in æternum conſummati, ita vt ſtatim morientes ſtatim vitam adeant æternam. Ergo (inquam) quoniam illic tractat de legis relictione, & acceſſu ad fidem Chriſti, ſatis duxit, ianuam hoc modo demonſtrare. Sin autem dicat quis, Baptizatos non ſemper ſtatim mori, ſed plerunque diutius viuere, & denuò peccare, quæratque quid tum remedij ſit, non hoc erat illius loci, vt ſolueretur ab Apoſtolo: Sed contrà potius, quia fideles Hebræos per totam illam Epiſtolam vult hortari ad perſeuerantiam contra infidelium Hebræorum & argumenta & perſecutiones.

ſecutiones quaſcunque: hinc (more omnium qui ad perſeuerantiam hortantur) terrores ſolum, ſi prolabantur, incutit: dicens, quòd peccantibus poſt Baptiſmum, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſeu reno- *Heb. 10, 6.*
uatio ad pœnitentiam, id eſt alius Baptiſmus: ſicut nec Eſau poſt vendi- *12.*
tionem primitiuorum ſuorum, inuênit pœnitentiæ locum, quanquam etiam cum lachrymis quæſijſſet hæreditare benedictionem. Sic nimirum agendum eſt in exhortatione ad perſeuerantiam. Sed ſi lapſos hortamur vt reſurgant, tunc aliter agimus, proponentes eis, remedia quæ reliquit Chriſtus etiam poſt Baptiſmũ. quæ remedia non illic plus negat Apoſtolus, quàm remediũ ipſius Crucis poſt Baptiſmum: id quod Sancti Patres contra Nouatianos Hæreticos abundè docuerunt: Apoſtolum ſcilicet tantum negare alium Baptiſmum, fontemque indicare totius, ſiue in Baptiſmo ſiue aliàs, remiſſionis & gratiæ Crucem ac paſſionem Chriſti.

Et ſicut hæc, ita & illa contra ipſos Proteſtantes faciunt, quæ ex XII.
alijs Scripturis proferunt contra Sacerdotium externum, hoc prætextu, quòd Chriſtiani omnes ſint Sacerdotes, ſecundum illud: Chriſtus di- *Apoc. 1.*
lexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo, & fecit nos re- «
gnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo. ipſi gloria & imperium in ſæcula «
ſæculorum Amen. [Vnde procidunt ei gratias agentes & dicentes,] Di- *Apoc. 5.*
gnus es Domine &c. Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in San- «
guine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos «
Deo noſtro regnum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram. [Non «
enim quicquam faciunt hæc metaphoricè dicta contra propriè dictos Sacerdotes, ſicut nec contra propriè dictos Reges: ſed oſtendunt Chriſtianos omnes inſitos eſſe Regi & Sacerdoti Chriſto, tanquam palmites viti, & membra capiti, vnde tantam in ſe habeant gratiam, vt iam non amplius dominetur eis peccatum, ſed regnet in eis Deus, ſicque opera eorum non (vt dicunt Proteſtantes) inquinata & immunda ſint, ſed planè, quaſi Sacrificia Sacerdotum, ſint Dei cultus, Deo placentia, acceptiſſima, & & gratiſſima. Hinc enim ait S. Petrus Chriſtianis: Sacerdotium ſanctum, *1. Pet. 2.*
offerre ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. [& ite- «
rum:] Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, &c. «
[Hinc & S. Paulus obſecrat, vt exhibeamus corpora noſtra per caſtigatio- *Rom. 12.*
nem hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſe- «
quium ſeu latriam. Vocatque eléemoſynam Philippenſium Odorem ſua- *Phil. 4.*
uitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. [quemadmodum & Hebræis *Hebr. 13.*
dicit:] Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci: talibus «
enim hoſtijs promeretur Deus.

Tantum autem abfuerunt ſancti Patres ab eo, vt propter hæc Scripturæ loca negarent (ſicuti Proteſtantes) Sacerdotium & Sacrificium Eccleſiæ, quod ad ipſos à Chriſto & Apoſtolis manauerat, vt ipſa loca Epiſtolæ ad Hebræos ex profeſſo expoſuerint in Commentarijs ſuis, docentes pulcherrimè quomodo ea Sacerdotio & Sacrificio noſtro non repu-
Hebr. 10. gnant. Legantur ad illud, Alioqui ceſſaſſent offerri, Chryſoſtomus cum ſuis Epitomaſtis Oecumenio & Theophylacto, Ambroſius, Primaſius, & cæteri omnes. Quare in his etiam obiectionibus ſuis prodiderunt ſe Proteſtantes alieniſſimos eſſe à Sacerdotio illorum Patrum, quod idem fuit & Apoſtolorum. Itaque decimoquintò & vltimò agnoſcant hic prudentes, vnde ſit, quòd cùm olim Hæreſes fuerint quæ ſub nomine Chriſtianorum conturbarunt Chriſtianos, Proteſtantes hoc tempore non tam propriè Hæreſim, ſed (vti potius vocanda eſt) Apoſtaſiam à tota ferè Lege ſeu Euangelio Chriſti introduxerint. Nam Sacerdotium & lex quælibet diuina ita ſe ſequuntur, itaque pendent ab inuicem, vt Apoſtolus in prædicta Epiſtola cum aſſumat de Sacerdotio quæ vult concludere de Lege,
Hebr. 7. tum collectionem illam ſuam defendat his verbis: Si Conſummatio per
„ Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo Legem accepit)
„ quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech alium
„ ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici? [& rurſus:]
„ Tranſlato enim Sacerdotio [à tribu Leui ad tribum Iuda in Ieſu Chriſto,]
„ neceſſe eſt vt & Legis tranſlatio fiat. [Hinc igitur eſt,] quòd Proteſtantes tantam totius ferè legis Euangelicæ ſeu Eccleſiaſticæ ſeu Catholicæ, ſiue Religionis Chriſtianæ mutationem induxerunt, quia Sacerdotium mutauerunt; pro officio offerendi non ſolum pro viuis, verumetiam pro defunctis, quod hactenus ab Eccleſia Chriſti inuiolabiliter ſine mutatione cuſtoditum eſt; fingentes de corde ſuo aliud neſcio quod officium Caluiniſticum prædicandi verba illa Euangelica ſuper panem & vinum. Qui ergo tam manifeſtos hodie ſequuntur in toto Apoſtatas, quos illi veteres in vno quouis Hæreticos non eſſent ſequuti? Imò & Turcas etiam, ipſumque adeò Antichriſtum venientem nihil dubito quin ſequantur, quia nihil ferè video ab iſtis Apoſtatis relictum, quod vel Turca vel Antichriſtus plus poſſit, vel iſtorum fundamentis non poſſit innouare atque remouere. Quod det illis Deus, vt grauiter, quietè, & cum timore Dei conſiderent, quò de tanto profundo emergere tandem aliquando poſſint.

MOTIVVM VIGESIMVM-QVINTVM.

Quòd Proteſtantes manifeſtò declarauerint ſe non tenere Eccleſiam, amputando perfectiſsimum Eccleſia membrum, id eſt Monachos: qui tamen vt primo ſtatim tempore, & ſemper deinceps in Eccleſia fuerunt, iíque eiuſdem omnino inſtituti, cuius nunc ſunt; ita quoq; multis clariſsimis rationibus contra omnes calumniatores defenduntur.

NON debemus Monachos ſeparare ab hoc loco, in quo de Diuinis Templis & Officijs, deque Miniſtris eorum tractamus. Nam & propter ipſos ſpecialiter Templa plurima ædificata ſunt, & in eiſdem ipſi Diuina Officia celebrant, non ſolùm hodie, verumetiam antiquitus, vt patet ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Sozomeni de Ruffino Conſulari, qui amplam Eccleſiam in Suburbio Chalcedonis extruxit in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Monachos in vicino collocauit, qui Clerum Eccleſiæ ſupplerent. Quæ hiſtoria, cum alijs multis eòdem pertinentibus, ſuprà eſt à me commemorata. Imò & ſoli Monachi videntur eſſe, qui hodie Diuina Officia, præſertim ſecundum Horas noctis & diei, in ſuis Templis antiquo more exactè obſeruāt. Nullus porrò ignorat, quantum circa Monachos interſit hodie inter Eccleſiam noſtram & Proteſtantes: qui nimirum non vt in alijs quibuſdam, ita & hic mutationem tantùm fecerunt, ſed ipſum inſtitutum Monachorum vtriuſque ſexus, cum Monaſterijs, & Templis eorum, penitus ſuſtulerunt. Hìc igitur id fecerunt palàm, quod etiam in Clero fecerunt quidem (vt Motiuo præcedenti oſtendi) ſed tamen ſpecie quadam ſui ficitij Cleri magis celauerunt. Quare ſicut iam de Clericis, ita nunc & de Monachis inueſtigemus, vtrum eos Eccleſia habuerit Primitiua. Certè in omni antiquitate tot extant huius inſtituti teſtimonia, vt Proteſtantes non tam negatione hac in parte, quàm reprehenſione vtendum ſibi exiſtimauerint. Partim enim Monachos ipſos antiquiſſimos, partim laudatores eorum onerant conuitijs. quos tamen plurimi noſtrâ Patrumque memoriâ Scriptores doctiſſimi ab hæreticorum reprehenſionibus clariſſimè vindicarunt. vt Alanus Copus noſter in ſecundo Dialogo per totum, Mathæus Galenus (noſtrorum Duaci exulantium pro fide & ſtudentium patronus in vita præſtantiſſimus) in libro de Origine Monaſtices: item

Soz. lib. 5. cap. 17.

Mot. 21.

item Thomas Waldenſis noſter, idemque Monachus Carmelita, vir longè doctiſſimus: Sanctus etiam Thomas Aquinas, miraculum ſcholarum, & Monachus S. Dominici: vt alios partim ſeculares, partim religioſos, plurimos prætermittam. Sed poſt iſtos tantos viros, propter imperitos Lectores, & impudentes Hæreticos, hoc maximè libro qui de Motiuis Eccleſiæ Catholicæ huius temporis inſtitutus eſt, nobis quoque pauca dicendi ſunt, vt in breui hoc Compendio ſtatim videant qui volunt quid pro Monachis vel iam dictum ſit, vel dici poſſit. Quod ſi autem clariſſimum fecero, Monachos vtriuſque ſexus iam inde ab exordio in Eccleſia fuiſſe, idque ſemper in maximis numeris, eiuſdemque inſtituti cuius & nunc ſunt, eoſdemque non ſolum probatiſſimorum Scriptorum omnium, verumetiam Dei ipſius calculo commendatiſſimos eſſe; neque ſolùm culpa omni vacare ordinem ipſum, verumetiam rebus humanis vtiliſſimum eſſe: nemo (vt ſpero) tam cæcè tamque damnabiliter contemnet ſalutem animæ ſuæ, vt Proteſtantibus adhæreſcat, quos euidentiſſimè cernet per hoc, à vera Chriſti Eccleſia nimis apoſtaticè defeciſſe.

11. Primum igitur de ipſo tempore Apoſtolico eſt illuſtriſſimum teſtimonium Dionyſij Areopagitæ, qui & Monachos tunc fuiſſe in Eccleſia teſtatur, & cur Diuini Præceptores, id eſt Apoſtoli, vocauerint eos partim Monachos, partim Therapeutas, rationem reddit, & cæremonias quoque quibus conſecrantur, exponit, nimirum non à Pontifice, vt Clerici, ſed à Sacerdote, coram diuino Altari, cum prece ſolenni, cum voto, cum Signo Crucis, tonſura, ac certa veſte. quorum etiam omnium theoriam more ſuo, id eſt myſticam ſignificationem tradit. verba eius ſunt iſta: Sacerdos ſtat ante diuinum Altare, monaſticam celebrans precationem. Is autem qui conſecratur, ſtat poſt ſacerdotem, nec vtrumque genu flectens, nec alterum: nec in capite habens Diuinos Libros: ſed tantùm præſto eſt Sacerdoti, myſticam inuocationem ſuper illum celebranti. eâ verò finitâ, Sacerdos ad eum qui conſecratur veniens, primùm rogat illum, an renunciet omnibus diuiſibilibus non ſolum vitis, verumetiam phantaſijs. deinde, perfectiſſimam illi vitam exponit, conteſtans, eum mediam vitam tranſilire oportere. Quæ omnia cum is qui conſecratur, ſedulò profeſſus eſt, Sacerdos eum Signo Crucis conſignatum tondet, inuocans tres Perſonas Diuinæ Beatitudinis: omníque veſte detractâ, aliam eum induit: ac vbi cum alijs viris ſanctis præſentibus, eum oſculatus eſt, participem facit Diuinorum Myſteriorum. Hinc autem & in Epiſtola quam ſcribit Demophilo Therapeutæ ſeu Monacho, argumentatur, Therapeutas ſeu Monachos eſſe inferiores Sacerdotibus, dicens, per

Dion. Arc. Eccl. Hie. cap. 6.

Dion. Epiſt. 8.

cens, per quos etiam [Sacerdotes ſcilicet] vt Therapeutæ [ſicut Græcus "
textus habet] eſſes, dignus exiſtimatus es. [Quatuor etiam Epiſtolas "
ſcribit ad Caium Therapeutam ſeu Monachum, eundem ſcilicet ipſum, *Dion. Epiſt. 1.2.3.4.*
ad quem S. Ioannes Apoſtolus ſcribit tertiam ſuam Epiſtolam, & cuius *Act. 19.*
Lucas in Actis, ac Paulus ad Romanos meminit. Vnde antiquitas huius *Rom. 16.*
Dionyſij manifeſtiſſimè declaratur, ſicut ex eo etiam, quòd nonam Epi-
ſtolam ſcribit ad Titum, ad quem & S. Paulus: decimam ad S. Ioannem
Euangeliſtam: libros quoque ſuos ad Timotheum: in quibus [a] paſſim *a De Diu. no. cap. 2.3.*
vocat D. Paulum præceptorem ſuum & Timothei, licèt poſt eum magi-
ſtrum habuerit Hierotheum: commemorans etiam funus B. Mariæ Vir-
ginis, ſe eidem interfuiſſe dicit cum S. Petro, S. Iacobo fratre Domini,
S. Timotheo, & alijs. Neque exiſtimauerit quiſquam qui ea Scripta admi-
randa legerit, mendacem neſcio quem eorum auctorem extitiſſe, tantam
ſpirant vbique, vel eructant potius, ſanctitatem & ſcientiam: vt omittam
hic Auctores varios qui ſingulis ferè ſeculis eadem Scripta citauerint, quos *Vide Mat. Galenum in*
multi Catholici Scriptores noſtri temporis, ad hæc Dionyſij Areopagitæ *Præf. ad A-*
opera contra vaniſſimos Hæreticos omnia ſine vllo colore negantes aſ- *reopagitica.*
ſerenda, produxerunt.

Eodem Apoſtolorum tempore vixit Philo Iudæus, Scriptor cele- III.
berrimus, qui & ipſi in libro de Vita contemplatiua ſeu de Supplicibus *Philo de Supplic.*
longam & accuratam de Monachis vtriuſque ſexus narrationem reli- *Apud Euſ.*
quit, ſub eodem nomine Therapeutarum, dicens de eorum numeroſita- *Hiſt. lib. 2. cap. 15. 16.*
te: Quanquam hoc hominum genus paſſim in vniuerſum orbem terra- *17.*
rum diffuſum eſt (nam non Græciam ſolùm, ſed etiam Barbariam, tam *Apud Niceph. lib. 2.*
perfecti boni participem eſſe oportuit) in ſingulis tamen Ægypti agris, *cap. 15.*
& maximè quidem circiter Alexandriam, multo maxima multitudo cer- "
nitur. in loco ſcilicet amœniſſimo qui eſt ibi ad lacum Mariæ, tanquam "
patria Therapeutarum. [Philonis verba Euſebius in Hiſtoria latè reci- "
tat, docens, B. Marcum Euangeliſtam fuiſſe qui illos Monachos ſeu
Aſcetas primus inſtituit in Ægypto, ac demonſtrans ex verbis Philo-
nis, quòd iidem fuerint cum Monachis ſui temporis. vnde dicit de illo
opere Philonis: Eccleſiæ reuera canones ad noſtram vſque memoriam "
obſeruatos complectitur. [rurſus:] Expreſſas & illuſtres Eccleſiaſticæ "
inſtitutionis formulas perſpicuè ante oculos ponit. [rurſum:] Quòd ſi "
ea quæ dicta ſunt, cuiquam videatur illius viuendi rationis quæ ex Euan- "
gelio inſtituitur, non eſſe propria, ſed poſſe alijs præter eos quos com- "
memorauimus, conuenire: illis ſaltem vocibus, quas idem Auctor poſtea "
recenſet, ſit tamen perſuaſus, ex quibus (modò æquus rerum æſtimator ſit) "
teſtimo-

„ teſtimonium de iſta re certum & indubitatum accipiet. Sic enim ſcribi
„ [vbi poſt verba Philonis recitata, ſubinfert:] Iſta Philonis tam perſpicu
„ tamque rata teſtimonia, de noſtræ religionis viris ſolùm tradita eſſe pr
„ certo arbitramur. [& rurſus:] Quòd ſi quiſquam adeò obſtinato anim
„ ſit, vt hiſce etiam voluerit refragari, ſic tamen euidentioribus argument
„ (quæ apud nullos alios præterquam ſolos Chriſtianos, religionis Euan
„ gelicæ profeſſores, reperiuntur) obſecutus, de contumacia & incredul
„ mentis ſententia tandem deſiſtat. [Deinde citatis verbis, rurſum ait:
„ Verùm quid præterea attinet cõmemorare ſeueram diſciplinæ rationem
„ quæ de more adhuc à nobis obſeruata eſt, [& cætera,] Quæ planè iden
„ Auctor eodem modo, quo adhuc à nobis ſolis obſeruantur, accurata ora-
„ tione exponit, inque libro ſpeciatim de ea re ſcripto tradit. [Demum
„ igitur concludit,] nemini omnino obſcurum eſſe poſſe, quin de Apoſto-
„ lis, & eorum inſtitutis Philo iſta ſcripſerit. [In qua re perſuadenda Euſe-
bius tam vehementer laborat, propter maximam apud Græcos Ethni-
cos, apud Iudæos, & apud omnes doctos, auctoritatem Philonis. Idcirco
enim voluit conuincere, religionem Chriſtianam in ordine Monacho-
rum tanto viro admirationi fuiſſe. Et certè verba ipſa Philonis, quæ
eam ad rem ibi citat, ſunt apertiſſima. Nam & homines ipſos vocat
Θεραπευτὰς, id eſt Monachos, qui profiterentur paupertatem, atque con-
tinentiam; & templa atque habitacula eorum σεμνεῖα ac Monaſteria, in
quibus ait eos nihil profanum agere, ſed Myſteria obire, & leges, ac Pro-
phetas, hymnoſque recolere: quin etiam ipſos cantiones & hymnos
varijs metri & carminum numeris grauiter fuſis conficere, aptiſſimè ad
Dei honorem. [intelligere autem Scripturas Veteris Teſtamenti allego-
ricè, ſecundum Commentarios Ducum religionis ſuæ, id eſt Apoſtolo-
rum, iuxta Euſebium, qui & pro exemplo talium allegoriarum nominat
Epiſtolam ad Hebræos. Dicit præterea de ijſdem Philo, quòd cibum aut
potum ante ſolis occaſum nemo illorum capit: quidam porrò, vix ſemel
toto triduo: nonnulli, vix tantum ſex diebus. Mulieres quoque eiuſ-
dem inſtituti fuiſſe, quæ ad extremam ſenectutem virgines permane-
rent. Commemorat etiam frequentes Conuentus ſacros, virorum ſeor-
ſum, & mulierum ſeorſum, ac ſeueram diſciplinam, quam potiſſimum in
Feſto Salutaris Domini Paſſionis [inquit Euſebius] ieiunijs & vigilijs
celebrare conſueuimus. Nam in Vigilijs quidem illis pſallere eos decen-
ter & ſuaui quodam concentu alternatim. Quoad ieiunia verò, vinum,
& carnes, & quicquid ſanguinem habet, non guſtare: aquâ ſolâ pro potu,
ſale & hyſſopo pro opſonio & pane vti. ijſdemque diebus Paſſionis ante

Paſcha,

Paſcha, toros ſtramineos humi poſitos vſurpare. Porrò virorum Eccle- «
ſiaſticorum gradus, quibus alter alteri præſtat; Diaconorum item mini- «
ſteria; primarium denique Epiſcopatus honorem perſcribit. [Hæc ſunt «
ferè, propter quæ Euſebius neminem permittit dubitare, quin de Chriſtia-
nis & Chriſtianorum Monachis loquatur Philo. Idemque quod Euſebius, IIII.
ſentit & S. Hieronymus de hoc ſcripto Philonis, dicens: Quomodo Lu- *Hier. in Catal. in Marco, & in Philone.*
cas narrat Hieroſolymæ Credentes omnia habuiſſe communia: ſic ille
quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. *Act. 2.*
[Atque iterum:] Librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam «
ſcribens Eccleſiâ, in Noſtrorum laude verſatus eſt: non ſolùm eos ibi, ſed «
in multis quoque prouincijs eſſe memorans, & habitacula eorum dicens «
Monaſteria. Ex quo apparet talem primùm Chriſto credentium fuiſſe «
Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt: vt nihil cuiuſ- «
quam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimo- «
nia egentibus diuiduntur; orationi vacatur & pſalmis, doctrinæ quo- «
que, & Continentiæ: quales & Lucas refert, primùm Hieroſolymæ «
fuiſſe Credentes. [Cauſas autem cur Iudæus hæc ita ſcripſerit de Chri-
ſtianis, reddunt, partim quaſi in laudem Gentis ſuæ, videbat enim pri-
mam illam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quemadmodum & Hiero-
ſolymis in Actis: partim quia ſub Claudio, Romæ locutus eſt cum Apo- *Act. 16. 21.*
ſtolo Petro, eiuſque habuit amicitias, & ob hanc cauſam etiam Marci, «
diſcipuli Petri, apud Alexandriam ſectatores ornauit laudibus. [Vnde «
quis non animaduertit vanitatem Proteſtantium in eo quod fingunt,
ſe reformare omnia ad inſtar Primitiuæ Apoſtolorum Eccleſiæ. Ergo
omnes facerent eſſe monachos, potiùs quàm nullos, ſicut ex his Hiero-
nymi ex Luca & Philone verbis colligitur. Nam & S. Epiphanius tam
antiquum tamque primitiuum hoc fuiſſe exiſtimat in Eccleſia quod ſcri-
bit Philo, vt necdum Chriſtiani dicti fuerint, ſed Ieſſæi. Monet V.
enim ex Actis, Chriſtianos ab Antiochia vocari cœpiſſe: Philo- *Epiph. Sect. 29. Nazaræorum, lib. 1. tom. 2.*
nem autem inſcripſiſſe librum ſuum de Ieſſæis. Qui tamen [inquit
Epiphanius] horum Ieſſæorum conuerſationem & laudes exequens, *Act. 11.*
& Monaſteria ipſorum in vicinia circa Mariam paludem recenſens, «
non de alijs quibuſdam narrauit, quàm de Chriſtianis. Hic enim cùm «
eſſet in regione (Mareotim autem locum appellant) & deductus eſſet «
ab ipſis ad Monaſteria eius loci, magnam vtilitatem aſſecutus eſt. In «
diebus enim Paſchatis illic verſatus, & vitam ipſorum vidit, & quomodo «
quidam per ſanctam Paſchatis Hebdomadam, omni eſu dilato, degebant; «
alij verò interpoſitis duobus diebus edebant; alij etiam in veſperam. &c. «

» Tunc igitur vocabantur Ieſſæi, per modicum tempus, poſt aſſumptio-
» nem Saluatoris noſtri [Ieſu,] & Marco in Ægyptiorum regione Euange-
» lium prædicante. [Euſebio autem, Hieronymo, & Epiphanio concordat etiam Caſſianus diſcipulus S. Chryſoſtomi, Philonem de Monachis S.

Caſſian. de Inſt. Cœnob. lib. 2. ca. 5.

Marci & ipſe intelligens, dum hæc ſcribit: Cùm in primordijs *fidei*, pauci quidem [nimirum in comparatione ſui ſeculi] ſed *probatiſſimi*,
». Monachorum nomine cenſerentur (qui ſcilicet à beatæ memoriæ Euan-
» geliſta Marco, qui primus Alexandrinæ vrbi pontifex præfuit, normam
» ſuſcepere viuendi) non ſolùm illa magnifica retinebant, quæ primitus
» Eccleſiam vel credentium turbas in Actibus Apoſtolorum legimus cele-
» braſſe, &c: verumetiam his multo ſublimiora cumulauerunt. Etenim
» ſecedentes in ſecretiora Suburbiorum loca, agebant vitam tanto abſti-
» nentiæ rigore diſtrictam, vt etiam his qui erant Religionis externi [non
» dubium, quin Philonem Iudæum dicat] ſtupori eſſet tam ardua conuer-
» ſationis eorum profeſſio. Eo enim feruore Scripturarum Diuinarum
» lectionibus, orationique, & operi manuum, diebus ac noctibus incuba-
» bant, vt nec eſcarum quidem appetitus vel memoria niſi alio tertióve
» die corporis interpellaret inedia, cibumque ac potum non tam deſide-
» ratum, quàm neceſſarium ſumerent, & ne hunc quidem ante ſolis occa-
» ſum, vt tempus lucis cum ſpiritualium meditationum ſtudijs, curam verò
» corporis cum nocte ſociarent, aliaque his multo ſublimiora perficerent.
[Quæ ſunt ipſa verba Philonis apud præfatum Euſebium in Eccleſiaſti-
» ca ſua Hiſtoria. Vnde & Caſſianus ſubijcit:] De quibus etiam is qui mi-
» nus in ligenarum relatione cognouit, Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ poterit edo-
ceri. [Poſtremò Nicephorus ſimiliter intelligit Philonem, & illa omnia in Monachis ſui quoque temporis ſeruari ait, iiſdem verbis, quibus Eu-

Niceph. lib. 2. cap. 15. Et ſeq. lib. 4. cap. 12.

ſebius ad ſuum tempus accommodauit. Scriptum id Philonis [inquit Nicephorus] canones & regulas, quæ etiamnum in Eccleſia ſeruantur, liquidò continet. &c.

VI. Ex his igitur non ſolùm antiquitatem, imò (vt ita dicam) primæuitatem, verumetiam continuam ſucceſſionem Monachorum videmus: primum quidem tempore Marci, Philonis, & Dionyſij; deinde ſeculo Euſebij; tum ætate Hieronymi, Epiphanij, Caſſiani; poſtremò ætate Nicephori. Quòd autem hos ſolos auctores citaui, feci quia de Philonis Scripto egi. Alioqui enim de Monachis quis in vlla ætate non ſcripſit? Quàm multi etiam expreſsè de Monachis Alexandriæ & Ægypti? Vnde præter auctores illos, rationem quoque certiſſimam animaduertunt Prudentes, qua colligant neceſſariò, Monachos ibi primùm inſtitutos eſſe à

S. Marco:

S. Marco: quatenus ſcilicet in omni ætate fit mentio Monachorum Ægypti, eorumque vel ſine origine, vel à S. Marco. non autem primum, vt vident omnes: ergo ſecundum, vt & illi auctores dixerunt. Vnde & Caſſianus prædictus in illo ſuo libro De Inſtitutis Cœnobiorum reuocat omnia quantum poteſt ad exẽplum Monachorum Ægypti, quia per vniuerſam Ægyptum & Thebaidem [vt dicit] Monaſteria non vniuſcuiuſque Renunciantis inſtituuntur arbitrio, ſed per ſucceſſiones ac traditiones Maiorum, vſque in hodiernum diem vel permanent, vel manſura fundantur. [Legantur poſt Euſebium (nam ex illo iam dixi) omnes Scriptores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, [a] Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, & cæteri, ſiue Græci, ſiue Latini. in ſingulis enim Monachi, & nominatim Monachi Ægypti, magnam Hiſtoriæ partem occupant. ita certè vt Sozomenus in exordio narrans inſtitutũ ſuũ de Hiſtoria Eccleſiaſtica cõſcribenda, promittat inter cætera hiſtoriam Monachorum, tanquam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem illuſtriſſimam, dicens: [b] Neque certè alienum erit ab Hiſtoria Eccleſiaſtica, in hoc Opere item narrare, tum quínam tanquam Patres & principes eorum qui Monachi vocantur, olim extiterint; tum etiam, qui illis ſucceſſerint: &c: præſertim cùm tam præclarum viuendi exemplar reliquerint &c: quoquidem ſi qui vti voluerint, non dubium, quin beatiſſimum ſint & fœliciſſimum vitæ exitum habituri. [Deinde acceſſurus ad S. Antonium, & alios quoſdam Monachos ſigillatim celebrandos, prius de ipſius inſtituti Origine hæc dicit: [c] Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, inſtituit Propheta Helias, & Ioannes Baptiſta. Philo porrò Pythagoræus tradit, Hæbræorum facilè præſtantiſſimos vndique in locum ad lacum Mariam in colle ſitum coactos, ſe pio & ſeuero vitæ generi dicaſſe. Quorum domicilia, victus rationem, & inſtitutionem vitæ talem perhibet, qualem nos etiam hoc tempore à Monachis in Ægypto obſeruatam videmus. Scribit enim [ea ſcilicet quæ ſuprà Euſebius commemorauit.] Vnde conijcio [inquit Sozomenus] apud Ægyptios ex eo tempore hoc ipſum floruiſſe. [Et verè hoc conijcit, ſicut iam ex alijs quoque oſtendi. Veruntamen aliam etiam quorundam ſententiam refert, dicens: Memorant porrò alij, Perſecutionum procellas, quibus religio Chriſtiana varijs iactabatur temporibus, homines ad hoc

Caſſ. lib. 2. cap. 3.

a Ruff. li. 2. ca. 8. 9. 28. Soc. lib. 1. cap. 13. 17. Et lib. 4. ca. 18. 21. Et lib. 6. cap. 3. 7. 18. Et lib. 7. cap. 10. 14. 17. 28. 34. 36. Theod. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 19. 23 ad 29. lib. 5. cap. 19. 24. 26. 34. 35. Idem in Hiſt. Religioſa. Soz. lib. 1. cap. 1. 12. 13. 14. lib. 3. cap. 12. 13. 14. 15. lib 4. cap. 15. lib. 5 cap. 9. 14. lib. 6 cap. 15. 17. 20. 27 ad 35. lib. 7. cap. 22. lib. 8. cap. 2 9. 11. 12. 13. 19. Euag. lib. 1. cap. 13. 15. 21. lib. 2. cap. 9. 10. lib. 4. cap. 7. 32. 33. 34. lib. 5. cap. 6. 21. lib. 6. cap. 22.

b Soz. lib. 1. cap. 1.

c Soz lib. 1. cap. 12. 13.

„ vitæ genus ſuſcipiendum impuliſſe. Nam cùm fugâ factâ, in montibus,
„ ſolitudinibus, & ſyluis ætatem agerent, huic viuendi rationi paula-
„ tim aſſuefactos eſſe. [Sic memorant quidam, & ſic memorant alij: vtri-
que tamen & ſibi inuicem & noſtro propoſito conuenienter: partim quia
perſecutionum procellæ fuerunt etiam tempore S. Marci & Apoſtolo-
rum; partim quia ſub Marco circa Alexandriam ſua ſponte, alibi verò
ex cauſa perſecutionum conuenire ad hoc vitæ genus potuerunt; par-
tim denique quia non de eiſdem Monachis loquuntur vtrique, ſed po-
ſteriores tantùm de Eremitis, qui in vaſtis deſertis habitabant, priores
autem de Monachis (quales erant S. Marci) qui in Suburbijs, ſeu agris,
& locis amœniſſimis conuenerunt. Ex quibus perſpicuum eſt, nihil re-
ferre, vtro modo loquatur quis de eorum origine, quia res omnino Apo-
ſtolici & temporis & inſtituti fuit, ſicut ſuprà clariſſimè etiam patuit ex
Dionyſio Areopagita. quanquam ſi poſterioris quoque temporis fuiſſet,
æquè amplectenda eſſet propter alias cauſis, quas infrà perſtringam.
Hinc igitur Sozomenus contentus dixiſſe ſententiam ſuam, & amplius
de qualicunque controuerſia non laborans, ſequitur & ait: Verùm
VII. ſiue Ægyptij, ſiue alij huius piæ vitæ auctores fuerunt, illud certè con-
„ ſtat inter omnes, quòd Antonius, magnus ille Monachus, perfectis
„ pietatis inſtitutis, & exercitationibus ad eam rem accommodatis, hoc
„ vitæ genus ad ſummum perduxit. Quem id temporis in Solitudinibus
„ Ægypti magna cum nominis & famæ celebritate vitam degentem, Con-
„ ſtantinus Imperator propter eius virtutis ſplendorem ſibi amicum fecit,
„ literas honorificè ſcriptas ad eum miſit, magnopereque hortatus eſt, vti
„ pro rebus, quarum indigeret, ad ipſum ſcriberet. [Itaque ſub Apoſtolis
ortum, creuit deinde ſemper glorioſè ſanctiſſimum inſtitutum, donec per
S. Antonium faſtigium ſeu culmen accepit. Quantæ autem intermedio
tempore legantur Viduæ & Virgines ſacræ, id eſt Monachæ, & (vt Philo
vocatas teſtatur) θεραπευτίδες, oſtendunt Scripta Tertulliani,[b] Cypria-
ni, Origenis, & aliorum qui illis ſeculis floruerunt, vel qui de illis ſeculis
meminerunt. De quibus Virginibus & nos in alijs Motiuis quædam me-
morauimus, & expreſsè de illis quibus S. Helena mater Conſtantini Hie-
roſolymis tanquam famula inſeruiuit, quas Socrates vocat Virgines quæ
Eccleſiaſticæ viuendi regulæ ſe conſecrauerant. Sed præclariſſimum eſt
teſtimonium Euſebij florentis quidem ſub Conſtantino, ſed de ſuperiori
tempore loquentis, adeoque pro Deitate Chriſti argumentantis (inter
cætera) hoc modò, ex numeroſitate Monachorum vtriuſque ſexus: Quis
alius poſt tantas & tam graues Perſecutionis procellas, atque adeò in ma-
ximis.

b Cyp. Epi. 69. 77. Et lib de Habitu Virginum. Et de Lapſis, nu. 1.

Soc. lib. 1. cap. 13.

Euſ. orat. de laud. Cõſtãt. pag. 385. 30.

ximis turbulentarum tempeſtatum fluctibus, effecerit, vt in toto ter- «
rarum orbe, non viri ſolùm ferè infiniti ſe totos in ſtudio pietatis pone- «
rent, Diuinoque numini aſſiduè inſeruirent: ſed etiam ſacræ mulierum, «
quæ Virgines permanebant perpetuò, frequentiæ chorique totum vitæ «
ſuæ tempus perfectiſſimæ caſtitati dicarent; ipſiuſque diuinæ doctrinæ «
præceptis inſtitutæ, à cibis & à vino abſtinentiam atque adeò inediam «
ad multos dies lubentiſſimis animis tolerarent; temperantiæque diſci- «
plina inſtructæ, continenti, ſeuero, & aſpero vitæ genere corpus ſuum «
coërcerent?

Sic igitur etiam ante S. Antonium quoad Monachos & Virgines VIII.
ſacras res Chriſtiana ſe habuit. Sed Conſtantino Imperatore nunc con-
uerſo, ipſoque Romano Imperio quod haſtenus pugnauerat contra Chri-
ſtianos, iam pro nobis impetus ſuos omneſque opes vertente, ſecun- *Iſa. 60.*
dum quod prædictum fuerat per Prophetas: Eccleſia Chriſti dein-
ceps, ſicut in cæteris omnibus, ita in hac quoque parte glorioſiſſi-
ma accepit incrementa, cùm in toto quidem orbe, tum nominatim in
Ægypto. Hinc enim ſunt illæ multitudines ingentes Monachorum,
quas paulo pòſt Imperatores Arriani, Conſtantius & Valens, per mi-
niſtros ſuos (vt aliàs dixi) perſecuti ſunt, ita vt ex B. Paulino re- *Moti. 20.*
tulerim, vnam mulierem nobiliſſimam & ſanctiſſimam, nomine Me-
laniam, aluiſſe in Valentis perſecutione quinque millia Monachorum.
Hinc ſunt & illa examina Monachorum apud Hieronymum ſic dicen-
tem: Hæ enim vel maximè Gentes Monachorum [quaſi apum] florent *Hier. in Iſa. 19.*
examinibus, Ægyptus & Meſopotamia, & pari inter ſe pietate conten-
dunt. [Hinc eſt & illud, quod apud Sulpitium Seuerum in Dialogo
primo, qui eſt De virtutibus Monachorum Orientalium, Poſthumia- *Seuer. Dial. 2. cap. 1. 3. 4. 5. 11.*
nus reuerſus à peregrinatione ſua refert: Ante triennium libuit adire
Carthaginem, loca viſitare Sanctorum, & præcipuè ad Sepulchrum «
Cypriani Martyris adorare. &c. Alexandriam peruenimus, &c. inde «
ad Thebaida, id eſt ad Ægypti extrema contendi. Ibi enim vaſtæ «
patentis Eremi ſolitudines plurimum ferebantur habere Monacho- «
rum. Prope Nilum in Eremo multa Monaſteria: habitant vno «
loco plerunque centeni. [De quibus poſt nonnulla iterum:] Nili «
ripas [inquit] frequentibus Monaſterijs conſertas vtraque ex par- «
te luſtraui. plerunque vidi, vt dudum dixeram, vno in loco habi- «
tare centenos. ſed & bina & terna millia in iiſdem viculis dege- «
re conſtabat. [Has multitudines Monachorum S. Auguſtinus ob de- *Aug. de Moribus Eccl. Cath. ca. 31.*
fenſionem Eccleſiæ Catholicæ obiicit Manichæis, dicens:

,, Quis enim neſcit, ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum mul-
,, titudinem per totum Orbem in dies magis magiſque diffundi, & in
,, Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo poteſt latere?
,, [Vbi primùm nonnihil dicit de Anachoretis,] qui ſecretiſſimi penitus ab
,, omni hominum conſpectu, pane ſolo (qui eis per certa interualla tempo-
,, rum affertur) & aquâ contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruen-
,, tes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, &c. [Deinde de Cœ-
,, nobitis,] qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in com-
,, munem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem
,, agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: [De
,, quibus poſt pauca dicit: Conueniunt autem diei tempore extremo de
,, ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc ieiuni ſunt, ad audiendum illum,
,, quem Patrem vocant: & conueniunt ad ſingulos Patres [ſeu Abbates]
,, terna, vt minimum, hominum millia: nam etiam multo numeroſiores ſub
vno agunt. [Rurſus poſt cætera quæ de his dicit, ſubijcit etiam de fœmi-
,, nis eiuſdem inſtituti, his verbis: Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſol-
,, licitè caſteque ſeruientium, quæ habitaculis ſegregatæ ac remotæ à viris
,, quam longiſſimè decet, piâ tantum illis charitate iunguntur, & imitatio-
,, ne virtutis: ad quas iuuenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quamuis
,, grauiſſimorum & probatiſſimorum ſenum, niſi vſque ad veſtibulum, ne-
IX. ceſſaria præbendi, quibus indigent, gratiâ. [Sozomenus porrò Hiſtoricè
Soz. lib. 3. cap. 13. percurrit loca, quæ his tantis Monachorum examinibus erant conferta,
narrans ſpeciatim quinam in ſingulis locis clariſſimi fuerint, vt in Ægyp-
to, in Syria, in Armenia, Paphlagonia, & Ponto. poſt quæ de Europa di-
,, cit: Thraces autem, Illyrici, & cæteri Europæ Incolæ, tametſi conuen-
,, tus Monachorum adhuc non haberent, tamen viris qui illud ſeuerum
,, viuendi genus excolebant, non penitus caruerunt. nominatque pro
exemplo S. Martinum, qui ſub Iuliano Apoſtata incœpit çelebris eſſe. De
quo Sulpitius Seuerus, qui cum eo familiariſſimè vixit, multa conſcripſit:
inter quæ multitudines Monachorum nobis inſinuat, cùm ſepulturam
Sever. Epiſt. 3. S. Martini narrat, dicens: Ad funus eius, quanta præcipuè mœrentium la-
,, menta Monachorum, qui eo die ferè ad duo millia conueniſſe dicuntur,
,, ſpecialis Martini gloriâ. cuius exemplo in Domini ſeruitute ſtirps tanta
,, fructificauerat. Agebat nimirum ante ſe Paſtor extinctus greges ſuos,
,, ſanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeri-
,, torum laborum ſenes, aut iuratos Chriſti in ſacramenta tyrones. tum Vir-
,, ginum choros, &c. Hoc igitur beati Viri corpus vſque ad locum ſepulchri,
,, Hymnis canora cæleſtis turba proſequitur. Comparetur, ſi placet, ſe-
cularis

cularis illa pompa, [& cætera, quibus docet, nullum mundi triumphum, his exequijs fuiſſe comparabilem, maximè propter id quo concludit dicens: Martinus pauper & humilis cælum diues ingreditur: illinc nos, vt " ſpero, cuſtodiens, me hæc ſcribentem reſpicit, te legentem. "

Infinita ſunt, quæ poſſent hoc modo è Scriptoribus celeberrimis & certiſſimis accumulari de Monachis, eorumque in omni ætate numeroſiſſimis turbis. Sed hæc pauca abundè ſufficiunt ad manifeſtandam omnibus apoſtaſiam Proteſtantium, qui membrum tam antiquum, perfectum, illuſtre, Apoſtolicum ab Eccleſia Chriſti penitus amputarunt. Contrà autem noſtra Eccleſia eſt, quæ vt tunc & ſemper, ita nunc quoque Monachis & Monaſterijs, tum virorum tum mulierum, eſt honorabilis & conſpicua. Quanquam igitur per hæc ipſa nomina Monachorum & Monaſteriorum ſatis declaretur, quæ ſit nunc Eccleſia, quæ & antiquæ & Primitiuæ Eccleſiæ, vt hæres legitima, ſucceſſerit, & quæ ſit è contrario quæ ab ea turpiter impieque defecerit: tamen multo magis eluceſcet, ſi annotemus inſuper religionem antiquorum Monachorum, vel ſpeciatim quatenus Monachi, vel generatim quatenus Chriſtiani extiterunt. id quod prudentiores vel in his quæ iam dixi, facilè obſeruarunt: ſed propter tardiores, apertius dicendum eſt. X.

Ergo (vt primum ſummatim perſtringam) religio Monachorum, quatenus Monachi ſunt, in tribus conſiſtit rebus, ſpontaneâ paupertate, perpetuâ continentiâ, & integrâ erga Abbatem obedientiâ. In his tribus conueniunt omnes ordines Monachorum. Diſtinguuntur autem ex diuerſis Regulis Viuendi in illa triplici profeſſione, quas Regulas Varij Abbates celeberrimi olim eis tradiderunt; præſcribentes in eiſdem quam quiſque optimam vel ſimpliciter, vel ad certum quendam finem conſequendum, exiſtimauit rationem ieiunij, orationis, ſtudij, veſtitus, & cæterorum. Religio autem Monachorum, quatenus Chriſtiani ſunt, cernitur in earum rerum obſeruatione, quas Chriſtiani omnes obſeruant, vt in Sanctorum inuocatione, in oratione pro defunctis, in celebratione Miſſarum, in ſigno Crucis, & ſi quid aliud eſt commune omnium, ſiue in credendo, ſiue in agendo. Licèt igitur antiqui illi Monachi ex ſolo etiam nomine probentur fuiſſe noſtri, ac non Proteſtantium, tamen inueſtigemus etiam ſecundum hæc Religionem eorum, vtrum ſcilicet non in eiſdem cum Monachis noſtris qui hodie ſunt, conuenerint.

Ac communem quidem Chriſtianorum Religionem, quæ per illa tempora fuerit, in Motiuis de conuerſione Gentium, de Britannia noſtra, de Impe-

de Imperatoribus, de Perſecutionibus, de Templis, de Diuinis Officijs, & in alijs plærique manifeſtiſſimam feci: nec dubium eſt, quin Monachi cum reliquis per eadem tempora Chriſtianis conuenientes fuerint, quemadmodum etiam paſſim docui diſertè & expreſsè. Veruntamen magis id patebit omnibus in his quæ ſequuntur, in quibus potiſſimùm quidem ea repetam quæ propria dixi eſſe Monachorum, ſed vnâ & eâdem operâ etiam communia admiſcebo. Quare præter ea quæ iam ex Dionyſio, Philone, & alijs repetiui, de profeſſione paupertatis & continentiæ, de ieiunijs, de tonſura, ac cæteris: alij quoque grauiſſimi Scriptores apertiſſima tum de his, tum de voto obedientiæ, tum de reliquis quæcunque in Monachorum Regulis tradi ſolent, teſtimonia reliquerunt, quòd ſcilicet eadem omnia & ab antiquiſſimis illis Monachis ſimiliter obſeruata fuerint.

XI. Extant nimirum Regulæ Monaſticæ Sanctorum Patrum, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, in quibus hoc ita eſſe lector agnoſcet, ſicut etiam ex Epiſtola D. Hieronymi ad Nepotianum, maximeque ex Libris Caſſiani de Inſtitutis Cœnobiorum, & de Collationibus Patrum, item ex Dialogis Sulpitij Seueri, vno quidem de virtutibus Monachorum Orientalium, duobus de virtutibus B. Martini: ex vitis etiam variorum diuinorum Monachorum conſcriptis à grauiſſimis Authoribus, vt Vita Antonij, ab Athanaſio; Vita Martini, à Sulpitio Seuero; Vitæ Pauli Eremitæ, Hilarionis, & Malchi Monachorum, à S. Hieronymo: denique ex hiſtorijs Eccleſiaſticis.

Regulæ. Certè Caſſianus librum ſuum ita mox exorditur: De Inſtitutis ac „ Regulis Monaſteriorum dicturi, vnde competentius, donante Deo, quàm „ ex ipſo Habitu Monachorum ſumemus exordium. [ac totum deinde librum primum in hoc inſumit, ſigillatim tractans de Cingulo Manachi, de Veſte, de Cucullis, de Melote & Pelle caprina, deque cæteris, eorum quoque myſticas ſignificationes ediſſerens. Poſteà librum ſecundum & „ tertium componit de Horis Canonicis, ſeu de Modo Canonicarum ora„ tionum Pſalmorumque. Quartum autem de Inſtitutis renunciantium. „ [Reliquos deinceps octo,] De ſpiritu Gaſtrimargiæ, Fornicationis, Phi„ largyriæ, Iræ, Triſtitiæ, Acediæ, Cænodoxiæ, & Superbiæ: [faciens ante omnia hanc ad Caſtorem Pontificem Præfationem:] Si quid fortè non „ ſecundum typum Maiorum antiquiſſima conſtitutione fundatum, ſed „ pro arbitrio vniuſcuiuſque inſtituentis Monaſterium vel diminutum, „ vel additum in iſtis regionibus comprobauero, ſecundum eam, quam „ vidimus, Monaſteriorum Regulam per Ægyptum, vel Palæſtinam an„ tiquitus fundatorum fideli ſermone vel adijciam vel recidam. Nequaquam

quam enim credas rationabilius quippiam vel perfectius conſtitutio- «
nem nouellam in Occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quàm «
illa ſunt inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ à ſan- «
ctis ac ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria ad nos vſque perdu- «
rant. Illam ſanè moderationem opuſculo huic inſerere præſumam, vt «
ea quæ ſecundum Ægyptiorum Regulam, ſeu pro aſperitate aërum, ſeu «
pro difficultate ac diuerſitate morum impoſſibilia in his regionibus, vel «
dura vel ardua comprobauero, a inſtitutis Monaſteriorum, quæ per Pa- *a Soz. lib. 6. cap. 34.*
læſtinam, vel Meſopotamiam habentur, aliquatenus temperem. [Sozo- *Soz. lib. 3. cap. 3.*
menus quoque mentionem facit Regulæ monaſticæ quam Angelus cæ-
leſtis tradidit Pachomio Abbati, in qua ſimiliter de habitu, de horis cano-
nicis, de ieiunijs, de accedendo ad altare, & de alijs multis præcepta da-
rentur. Scribit idem de Paulo Eremita, de quo & Hieronymus,] Ha-
buiſſe eam quingentos diſcipulos: & quòd nullum opus faciebat, ſed in *Soz. lib. 6. cap. 29.*
precibus ſolùm ſe defixit, & in dies ſingulos trecentas orationes Deo, «
velut tributum quoddam reddidit. ac ne per imprudentiam in numero «
erraret, trecentis lapillis in ſinum coniectis, ad ſingulas preces ſingulos «
inde eiecit lapillos. conſumptis igitur lapillis, conſtabat ſibi orationes «
lapillis numero pares ab ſe expletas eſſe. [quod in illo admirabili viro
illuſtre exemplum eſt priuati moris orandi ad lapillos, qui hodie in
tam celebri vſu eſt. Refert idem de obedientia erga Abbates, quod non
fas erat Monachis Ægypti, imperatis reſiſtere. Id quod in ſecundo Dia- XII.
logo Seueri Poſthumianus quoque his verbis teſtatur:] Quibus ſum- *Obedientia.*
mum ius eſt, ſub Abbatis, imperio viuere, nihil abitrio ſuo agere, per om- *Seuer. Dial. 2. cap. 6.*
nia ad nutum illius poteſtatemque pendere. [Et rurſum:] Præcipua *11.*
vt iam dixeram, ibi virtus, & prima, eſt obedientia: neque aliter ad- «
ueniens ad Monaſterium Abbatis ſuſcipitur, quàm qui tentatus prius «
fuerit & probatus, nullum vnquam recuſaturus quamlibet arduum ac «
difficile, indignumque toleratu, Abbatis imperium. [Ibique diuina quæ- «
dam miracula etiam ſubijcit, quibus declarauit Deus, talem ſibi obedien-
tiam vehementer probari: De qua teſtis quoque eſt S. Auguſtinus,
vbi loquitur de Monachis Eccleſiæ Catholicæ, Orientis maximè atque
Ægypti, ſic dicens: Hi verò Patres non ſolum ſanctiſſimi mori- *Aug. de Moribus Eccl. Cath. ca. 31.*
bus, ſed etiam Diuina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus ex-
celſi, nullâ ſuperbiâ conſulunt his quos filios vocant, magna ſua «
in iubendo authoritate, magna illorum in obtemperando volunta- «
te. [Tantaque erat obligatio huius profeſſionis, vt ſcribat idem *Aug. de bo. perſ. ca. 11.*
Auguſtinus de quodam malo monacho in ſuo Monaſterio, & dicat:]

a 2. Pet. 2. Vſque adeò profecit in malum, vt deſerta monaſterij ſocietate fieret a ca-
„ nis reuerſus ad ſuum vomitum. item de alijs quibuſdam, qui intrant Mo-
Auguſt. in naſteria, & præter ſpem inuenientes ibi fratres malos, poſt votum rurſus
Epiſt. 99. exeunt ob impatientiam. De tali dicit vir ſanctus: Paucorum hominum
„ moleſtiâ irritatus dum non perſeuerauerit implere quod vouit, fit deſer-
„ tor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. Præterea quod S. Gre-
XIII. gorius luxit in Monaſterio ſuo, Monachum quendam, nomine Iuſtum,
Paupertas. Moti. 12. morientem habuiſſe quædam propria; quæ in vita clàm ſeruauerat (de
Aug. tom. quo aliàs dixi) idem luget apud populum hic ipſe Auguſtinus, etiam in
10. de Vita Cleric orum monaſterio ſuo inuentum eſſe presbyterum & monachum nomine Ian-
Serm. 1. 2. uarium, qui moriens teſtamentum fecit, quia habuit vnde faceret. Erat
Vide tom. 1. Regulam 3. quod diceret ſuum, cùm in ea ſocietate viueret, vbi nemini licebat ſuum
Monach. & aliquid dicere, ſed eſſent illis omnia communia. [Huc pertinet illud quod
Epiſt. 109. S. Seuer. vit. Seuerus de monaſterio & Regula S. Martini ſcribit:] Aliud ſibi monaſte-
Mart. pag. rium ſtatuit (nam iam Epiſcopus propoſitum Monachi virtutemque non
150. „ deſerebat) ad Ligerim fluuium. [Vbi cum diſcipulis octoginta viuebat in
„ communi ſine proprio.] non emere aut vendere (vt plæriſque Monachis
„ moris eſt) quidquam licebat. Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habe-
„ batur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: maiores orationi vaca-
„ bant. &c. cibum vnà omnes poſt horam ieiunij accipiebant: vinum ne-
„ mo. &c. plerique camelorum ſetis veſtiebantur. Mollior ibi habitus pro
XIIII. crimine erat [quia contra Regulam] cùm interim & multi nobiles inter
Continẽtia. Seue. Dial. eos eſſent. &c. [Narrat idem Seuerus inter alia elegantem comparatio-
2. cap. 11. nem quam S. Martinus occaſione prati cuiuſdam fecit, dicens: Ita & illi.
12. 13. „ qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant; & illi qui con-
„ iugia virginitati æquanda exiſtimant, miſeri penitus & ſtulti ſunt. Verum
„ hæc à ſapientibus tenenda diſtinctio eſt, vt coniugium pertineat ad ve-
„ niam, virginitas ſpectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, niſi
ſatisfactione purgetur. [Moxque ſubijcit Seuerus narrationem iſtam:
„ Miles quidam cingulum [erat id inſigne militiæ ſecularis apud Romanos]
„ in Eccleſia, Monachum profeſſus, abiecerat. &c. coniugem ſuam, quam
„ Martinus in Monaſterio puellarum eſſe præceperat, voluntate mutata,
„ ſecum potiùs voluit habitare. Adijt ergo Martinum fortis Eremita: &c.
„ ille verò vehementer abnuere, fœminam viro rurſus, iam Monacho, non
„ marito, incongrua ratione miſceri. Poſtremò cum miles inſtaret, affir-
„ mans nihil hoc propoſito eſſe nociturum, &c. ſe eſſe militem Chriſti,
„ illam quoque in eadem eiuſdem militis ſacramenta iuraſſe: &c. Tum
„ Martinus &c. Dic mihi, inquit, Nunquid & in illa acie &c, vllam fœmi-

nam ſtare

nam ſtare aut pugnare vidiſti? Tum demum miles confuſus erubuit,
gratias agens, errori ſuo ſe non fuiſſe permiſſum. &c. ^a^ Legatur Chry- *a Chryſoſt. tom. 5.*
ſoſtomus ad Theodorum monachum lapſum (cuius Scripti meminit *Soc. lib. 8.*
etiam Sozomenus) Ambroſius quoque ad Virginem lapſam. Aliam de- *cap. 2. Amb. tom. 4.*
inde ſubijcit Seuerus narrationem maioris conſtantiæ, de virgine quadam
ſacra, quæ nec ipſum Martinum viſitantem ad ſe admiſit, indeque ait
Seuerus: Audiant quæſo Virgines iſtud exemplum, vt fores ſuas, ſi eas
mali obſidere voluerint, etiam bonis claudant: &, ne ad ſe improbis ſit
liber acceſſus, non vereantur excludere etiam ſacerdotes. &c. Huius loci *Seue in vit. cap. 20.*
eſt & illud quod idem Seuerus narrat, poſtquam ſola Epiſtola Martini
curaſſet quartanam febrim, Pater [inquit] puellam Deo vouet, & per-
petuæ virginitati dicat &c. neque ab alio eam, quam à Martino, habitu
virginitatis impoſito, paſſus eſt conſecrari.

Plurima his ipſis de rebus ad hunc Seuerum, & aliàs, ſcribit etiam XV.
S. Paulinus, quibus teſtatur & ipſe eadem tunc fuiſſe inſtituta Manacho- *Paulin.*
rum, quæ & nunc ſunt, eandemque per omnia Religionem: vt cum Se- *Epiſt. 3. ad Seuer.*
uero dicit de Victore quem Seuerus miſerat:] Benedictiones à vobis in
literis & pallijs afferebat. &c. facilem nos victum cibo ſimplici capere
coctis in gutta olei & aquæ copia pultibus docuit. &c. nec ſiligine nobis
pultes, ſed farina confecit, aut milio: Ac ne in hoc ipſo delicatiùs nobiſ-
cum agere videretur, qui nos orexim Monachorum parabat imbuere,
fabam intriuit panicio, quo citiùs ſenatorium poneremus faſtidium. &c.
vt non ſolùm ieiunio, ſed & cibo humiliare animam diſceremus: &c. In-
tulit nobis multo nidore catina infumantia, totumque non ſolùm men-
ſulæ noſtræ ambitum, ſed & cellulæ noſtræ ſpacium olida caligine vapo-
rauit. &c. [Rurſumque de pallijs eiuſdem ſcribit: Pallia camelorum *Paulin.*
pilis texta miſiſtis, quæ nos in conſpectu Altiſſimi ſtratos vtilibus ſtimu- *Epiſt. 10. ad Seuer.*
lis admonerent, dum aſperitate ſetarum compungimur, & peccatorum
noſtrorum horrore compungi, &c. [talia dicens fuiſſe quæ & Helias &
Ioannes portauerunt: vbi & vile palliolum commemorat S. Melaniæ Mo-
nachæ, de qua nuper diximus. Multum autem laudat idem Victricium
Epiſcopum, ob inſtitutionem Monaſteriorum, & Reliquias, dicens:
Nunc per te in terrâ Morinorum ſitu orbis extremâ, &c. venerabiles & *Paulin.*
Angelici chori, vrbes, oppida, inſulas, Eccleſijs, & monaſterijs plebe *Epiſt. 2. ad Vict.*
numeroſis pace conſtituta celebrant. Quod quanquam totius Galliæ po-
pulis & vbique Gentium Chriſtus operetur, &c: tamen in remotiſſimo
Neruici littoris, quem tenui antehac ſpiritu fides veritatis afflauerat, te
potiſſimum in vas electionis excerpſit, in te prima refulſit, &c. Denique

» nunc Rhotomagum vbique nominatur, &c.totam illic, qualis in Oriente
» memoratur, Hieruſales faciem, Apoſtolorum quoque præſentiâ meritum
» tuæ Sanctitatis adduxit: qui peregrinam memorijs ſuis vrbem affectu ſan-
» ctorum ſpirituum, & effectu diuinorum operum ſedibus ſuis comparant,
» qui in te ipſo aptiſſimum ſibi diuerſorium repererunt. Iuuat videlicet ami-
» cos Dei, & principes populi veri Iſraëlitæ, id eſt, populi appropinquantis
» ſibi, in ea vrbe remorari: & cooperari tibi, in qua cum Angelis ſanctis con-
» tinua diebus, ac noctibus Chriſti Domini prædicatione mulcentur. &c.
» vbi quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias & Mona-
» ſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ouium tuarũ & cordibus, delectantur,
» & vocibus. & nunc illos intemerata Virginitas tenet &c, & viduarum fa-
» mulantium eos paſcit integritas &c; & coniuges &c. te in omnibus aman-
» tis, &c. ac per hoc virtutes Dei, id eſt potentiam in Chriſto ſuam, in tua
» potiſſimum ciuitate, vt conſortem te ſuum teſtentur, operãtes. &c. [Ce-
Paulin. ad Apru Epiſt. 1. 2. 3. 4. Reg. 6. lebrat etiam magnis laudibus Aprum & vxorem eius, quòd mutuo con-
ſenſu vouerant continentiam, & liberos ſuos inſuper virginitati dedicaſ-
ſent, hortans præterea vt educent filios ſuos, ſicut Filios Prophetarum,
» qui tumultuoſam ciuitatis habitationem, ad componendam pace ſilentij
» animam, declinantes, iuxta Iordanis alueum ſibi habitacula ſecreta metati
ſunt. [Eſt & Epiſtola eius ad Sebaſtianũ Eremitam, & Benedictum Dia-
conum miniſtrantem eidem in cellula. quos comparat Heliſæo, Heliæ,
» Sareptanæ, Coruoque & Columbæ illius. Tu illum [inquit] ſpiritualibus
» armis ieiunans & orans iuuas, &c. in vtroque veſtrûm diuerſa Ioannis &
» Domini forma conſiſtit. Ioannis in deſerto vox clamantis, & Domini in
» Templo docentis. Et vnus veſtrûm in ſeruitutem Miniſterij vocatus eſt,
» alter in Monachi libertatem. [ſubiungit præterea:] etiam inexcuſabiles
» reos præpotens [talium] aduocatio meritis damnationis abſoluit. [In
Carmine autem ad Citherium declarat, nomen Monachi adeò tunc gra-
tioſum fuiſſe apud bonos, vt mẽdici quidam improbi id ſimularẽt, ſicut &
calamitatem Naufragij interdum; non autem talem eſſe Martinianum,
quem Citherio commendat, ſed verè Monachum ſeu Chriſtianum (ſic
enim ipſe interpretatur) vereq́ue naufragum: quem & alius quidam Pau-
linus Monachus donaſſet tunicâ & cucullâ. Hæc, & huiuſmodi alia innu-
mera, extãt apud Auctores optimos, clariſſima teſtimonia, quòd antiquorũ
Monachorũ & Monialiũ cùm profeſſio Monaſtica, tũ Religio tota, eadem
prorſus fuerit, quæ hodieque eſt. idq́ue doctores Hæretici non ignorãtes,
vituperant antiquos Monachos, non minùs quàm modernos. quod tamen
quàm abſurdè faciant, intelligent omnes apertiſſime, multiſque modis:
Primùm,

Primùm, ſi cogitent, Monachos iſtos exiſtere ab ipſis Apoſtolis Chriſti (ſicut iam euidentiſſimè demonſtraui) & inde per omnes Eccleſiæ ætates ad noſtra tempora deriuari. ideoque Proteſtantes, dum blaſphemant vitam Monaſticam, blaſphemare Eccleſiam Apoſtolorum & omnium ætatum: & ipſos propterea non Eccleſiam Chriſti, non ſalutem, ſed Eccleſiam Malignantium, ſed damnationem habere, cum omnibus qui eos audiunt vel ſequuntur. Secundò ſi conſiderent, apud quas Gentes Monachi maximè floruerint, nimirum in Ægypto, Meſopotamia, Syria: quas ſcilicet Gentes Prophetæ paſſim nominant, cùm Prophetant de Conuerſione Gentium. ita vt tantum abſit id quod dicunt Proteſtantes, Monachos non eſſe Chriſti, vt planè è contrario Gens Ægypti, quæ prius præcipua erat Gens falſorum deorum, quæque ob eam cauſam (in ſignum pleniſſimæ victoriæ) promittebatur maximè futura Chriſti, ea ipſa Monachis maximè nobilitata fuerit: & ſic vbi *Rom. 5.* abundauit delictum, ibi ſuperabundauit gratia. Vnde quod Prophetauit Eſaias, Benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus Exercituum, dicens, Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrius: [ad illud S. Hieronymus hunc annotauit commentarium:] Hæ enim vel maximè Gentes Monachorum florent examinibus, Ægyptus & Meſopotamia, & pari inter ſe pietate contendunt. [Eodemque modo Auguſtinus contra Donatiſtas. quem commentarium niſi & Proteſtantes admittant, nunquam oſtenſuri ſunt, Ægyptum magis quàm aliam quamlibet Gentem, in Chriſto benedictam fuiſſe, imò non ſolùm magis, ſed nec vnquam omnino Chriſtianam fuiſſe; ideoque nec Prophetias de eadem Eſaiæ & aliorum vnquam impletas eſſe: vnde ſequetur, non eas Prophetias, ſed pſeudoprophetias exiſtere. his (inquam) omnibus abſurdis ſe implicant, quicunque Monachos, quorum ſemper Ægyptus maximè floruit examinibus, non recipiunt. Tertiò, Euſebius ante à me citatus probat Gentilibus (quod & alij multi faciunt) Chriſtum eſſe Deum, quia tot congregauit ſibi Monachorum & Monialium examina in toto orbe, qui ſcilicet diuinis eius præceptis & conſilijs, quantumuis grauibus atque arduis, aſperrimo viuendi genere, obedirent. Vnde & Hieronymus dicit: Euentila omnes Iudæorum ſynagogas, & nullum poteris inuenire doctorem, qui ſancta præcipiat, & contemptis diuitijs ſectandam doceat paupertatē. &c. [Chriſoſtomus quoque quòd Chriſtus ſit Deus, ſic probat:] Virginitatis decor apud veteres [Iudæos] neque nominabatur: in noua autem lege falſurus erat. Vide quomodo & hoc prædixit Dauid: Afferentur Regi virgines &c.

Hier. in Iſa. 19.
Auguſt. de vnit. Eccl. cap. 14.
Bed. Hiſt. Ang. lib. 4. cap. 23.
Num. 7.
Hier. lib. 2. in Eſa. 3.
Chryſ. tom. 5. cō. Gent. quod Chriſtus ſit Deus, 1035.
Pſal. 44.

Sicut igitur in alijs plurimis (vt paſſim oſtendi) ita in hoc quoque Proteſtantes tam belli Chriſtiani ſunt, vt bellum Gentilium contra Chriſtianos, imò contra ipſius Chriſti Diuinitatem gerant. Quia igitur nihil non audent, & ſi ſperent victoriam Gentilium eſſe poſſe, conferant (quæſo) cum eis, & pro eis reſpondeant Chriſtianis cum Euſebio hoc pro Chriſto quaſi telum mittentibus, & rogantibus inter cætera: Aut
» quis poſt tantas & tam graues perſecutionis procellas, atque adeò in ma-
» ximis turbulentarum tempeſtatum fluctibus, effecerit, vt in toto terra-
» rum orbe, non viri ſolùm ferè infiniti, ſed etiam ſacræ mulierum fre-
» quentiæ chorique, [non modo quæ præcepit ad ſalutem, ſed etiam, multo grauiora quæ conſuluit ad perfectionem, amplecterentur? Diluant igitur pro Gentilibus hoc Deitatis Chriſti argumentum Proteſtantes, ſi queant: Vel potius iſtam eorum religionem deteſtentur omnes qui ſunt Chriſti, quam vident defendi non poſſe, niſi Chriſti Diuinitas perfidè ac gentiliter ſubruatur.

XVII. Quartò recordentur docti & omnes in Hiſtorijs Eccleſiaſticis verſati, Monachos contra omnes calumniatores à Deo ipſo, infinitis, & ſtupendis Miraculis defenſatos eſſe. Hoc teſtantur authores plurimi & certiſſimi, qui conſcripſerunt Hiſtorias & Vitas S. Antonij, S. Martini, Hilarionis, Pauli, Malchi, Duorum Macariorum, Benedicti, Cutberti, Franciſci, Dominici, & aliorum plurimorum, ſiue antiquiorum ſiue re-
Moti. 10. centiorum. Et quædam quorundam Miracula aliàs à me commemorata ſunt, quæ illic legi poſſunt. fuerunt autem illa ferè perſonalia, id eſt ab hominibus ijs patrata qui Monachi extiterunt. Nunc igitur non abs re erit pauca alia recitare, quæ Deus non ſolùm Monachis dedit facere, verumetiam in ipſius vitæ monaſticæ commendationem. Ac talis quidem fuit Diuina illa & admiranda viſio, quam Sulp. Seuerus alias à me
Seuer Epiſt. 2. ſup. Moti. 12. allegatus ſcribit oſtenſam ſibi Diuinitus ipſo temporis momento, quo S. Martinus de hac vita tranſiuit. Vidit nimirum Martinum in ſumma
» gloria patenti cælo receptum: & mox etiam S. Clarum diſcipulum illius,
» eandem quam magiſtrum viam ſcandere. quo ordine viſionis (vt ipſe
» interpretatur Seuerus) cælum ſequentibus ſe patere monſtrauit. Apud
Seuer Dial. 2. cap. 12. 13. 15. eundem Seuerum Poſthumianus in dialogo duo refert (vt ipſe vocat) magna admodum miracula incredibilis obedientiæ monaſticæ: ad quen-
» dam Abbatem quidam recipiendus aduenerat: cum prima ei lex obe-
» dientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema pa-
» tientiam: caſu Abbas ſtoracinam Virgam iam pridem aridam manu ge-
» rebat. Hanc ſolo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tamdiu

virgulæ aquam inquam miniſtraret, donec quod contra omnem natu- «
ram erat lignum aridum in ſolo arente viuiſceret. Subiectus aduena duræ «
legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo «
flumine per duo ferè milia petebatur: iamque emenſo anni ſpacio, labor «
non ceſſabat operantis, & de fructu operis ſpes eſſe non poterat: tamen «
obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum la- «
borem iam affecti fratris eludit. Tertio demum ſuccedentium tempo- «
rum labente curriculo, cùm neque nocte neque interdiu aquarius ille «
ceſſaret operator, virga floruit. Ego ipſam ex illa virgula arbuſculam, quæ «
hodieque intra atrium Monaſterij eſt ramis virentibus, vidi: quæ quaſi «
in teſtimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides «
poſſit, oſtendit. [Idem exemplum refert etiam Caſſianus, & multi alij. *Caſſian.*
Aliud Miraculum Seuerus ſeu Poſthumianus narrat his verbis: Cùm
quidam ſeculi actibus abdicatis, Monaſterium magnæ diſpoſitionis in- «
greſſurus, cœpiſſet rogare: Abbas [erat autem idem Abbas] ei cœpit «
multa proponere, graues eſſe iſtius diſciplinæ labores, ſua verò dura im- «
peria, quæ nullius facilè valeret implere patientia. Aliud potius Mona- «
ſterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret: non tentaret ag- «
gredi quod implere non poſſit. Ille verò, nihil ijs terroribus permoueri, «
ſed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt ſi eum Abbas in ignem «
ire præciperet, non recuſaret intrare: quam illius profeſſionem vbi ma- «
giſter accêpit, non cunctatur probare profitentem. Caſu clibanus propter «
ardebat, qui multo igne ſuccenſus, coquendis panibus parabatur: exun- «
dabat abruptis flamma fornacibus: & intra camini illius concaua totis ha- «
benis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam illum iubet magiſter «
intrare. nec diſtulit parere præcepto. medias flammis nihil cunctatus in- «
greditur: quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis «
pueris, ceſsêre venienti. Superata natura eſt, fugit incendium: & qui *Dan. 3.*
putabatur arſurus, velut frigido rore perfuſus ſe ipſe miratus eſt. Sed «
quid mirum, ſi tuum Chriſte tironem ignis ille non attigit? vt nec Abba- «
tem pigeret dura mandaſſe, nec diſcipulum pœniteret imperio paruiſſe. «
Eòdem pertinet exemplum etiam quod refert idem de quodam Eremita,
qui deſerens propoſitum, quaſi vt domum etiam, filium, & vxorem à
ſeculo eriperet, abbate renitente; impletur ſtatim à dæmone. demum-
que poſt biennium liberatus oratione ſanctorum, ad Eremum, vnde diſ- «
ceſſerat, mox regreſſus; & ipſe correctus, & alijs poſt futurus exemplo, ne «
quem aut falſæ iuſtitiæ vmbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili le- «
uitate compellat ſemel cœpta deſerrere. Denique (vt prædixi) totus «

ille Dia-

ille Dialogus primus Seueri compoſitus eſt De virtutibus ſeu Miraculis Monachorum Orientalium ; ſecundus item & tertius De virtutibus B. Martini.

XVIII. Quinta clariſſima defenſio Monachorum erit, vt ſi recordemur, præter Antonium, Ioannem, Martinum, Hilarionem, Paulum, cæteroſque illos miraculis & ſanctitate glorioſiſſimos Monachos, etiam pleroſque Doctorum Eccleſiæ, lumina illa mundi ſplendidiſſima, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium Papam, Paulinum, Seuerum, & alios multos ſimiles, tum Monachos, tum etiam quoſdam eorum inſtitutores ordinum Monachalium extitiſſe. Nam S. Baſilij Regulæ Monaſticæ (vocat Hieronymus ἀσκητικὸν) extant inter opera eius, & Orientalis Eccleſia ſemper deinceps abundauit Monaſterijs & Monachis ordinis illius: & ſcribunt de illo Ruffinus, Socrates, & alij, quòd tum ſolitariam viuendi rationem ſibi delegit, tum loca ad Monaſticam diſciplinam exercendam conſtituit. In qua vita teſtantur ijdem S. Gregorium Nazianzenum quoque ſocium eius fuiſſe. de quo & Hieronymus in hæc ipſa verba ſcribit: Gregorius, primùm Saſimorum, deinde Nazianzenus epiſcopus, vir eloquentiſſimus, præceptor

Hier. Catal. in Baſilio. — *Soc. lib. 4. cap. 21. Ruff lib. 2. cap. 9.* — *Hier. Catal. in Gregor.*

„ meus, à quo Scripturas explanante didici: &c: viuo ſe epiſcopum in loco
„ ſuo ordinans, ruri vitam Monachi exercuit. Deceſſitque ante hoc fermè
„ triennium ſub Theodoſio principe. [Quòd S. Chryſoſtomus fuerit Monachus, teſtatur Socrates, dicens etiam quòd ad id genus vitæ inductus ſit exemplo Euagrij (qui Monachus eſt in Eccleſiaſticis [a] hiſtorijs celeberrimus, ſicut & diſcipulus eius Palladius, cuius adhuc habetur liber de Monachis & Monialibus Ægypti à Socrate commemoratus) & quòd per-
„ ſuaſit Theodoro & Maximo condiſcipulis ſuis, qui pariter cum ipſo &
„ Euagrio Libanium Sophiſtam audiuerant, vt & ipſi vitam monaſticam
„ ſuſciperent. Iſti igitur [inquit Socrates] id temporis per magno virtutis
„ ſtudio inflammati, Monaſticam diſciplinam didicerunt à Diodoro &
„ Carterio, qui tum Monaſterio præfuerunt. [Ibidemque ſcribit,] Ioannem
„ Chryſoſtomum, cum S. Baſilio multum diuque verſatum eſſe, [donec
„ tandem ex Monacho] Lector Eccleſiæ Antiochenæ conſtitutus eſt. ſed
„ & poſt illud tres annos continuos vitam quaſi ſolitariam, & à negotijs
„ vacuam degit. [ac deinde presbyter Antiochenus, poſtremò Epiſcopus Conſtantinopolitanus ordinatus eſt. De S. Hieronyno innumera ſunt non ſolùm aliorum, ſed & ipſius de ſe teſtimonia, quòd primùm in ſolitudine Eremita, deinde in communi vita & Monachus & Monachorum Abbas fuerit. vt quod ſuper Hieremiam dicit:] Multis de toto hoc orbe confluen-

Soc. lib. 6. cap. 13. — *a Soc. lib. 4. cap. 18.* — *Hier. Proœm. lib. 4. in Ierem.*

confluentium Hieroſolymam ſeu Bethleem turbis, & ſanctorum fra- "
trum, Monaſterijque curis occupatus, commentarios in Hieremiam per "
interualla dictabam. [item quod ad S. Auguſtinum ſcribit his verbis;] *Hier. [illegible] 2. & apud Aug. Epiſt. 14.*
Non enim conuenit, vt ab adoleſcentia vſque ad hanc [ſenium] æta-
tem, in Monaſteriolo cum Sanctis Fratribus labore deſudans, aliquid
contra Epiſcopum communionis meæ ſcribere audeam, & eum Epiſco- "
pum, quem antè cœpi amare quam noſſe, qui me prior ad amicitiam "
prouocauit, quem poſt me orientem in Scripturarum eruditione læta- "
tus ſum. [De S. Auguſtino ſimiliter ſunt plurima, & aliena & propria *Amb. ſerm. 92.*
teſtimonia. Extat enim de eius Baptiſmo Sermo S. Ambroſij, in quo
Nouum Chriſtianum [inquit Ambroſius] nouis veſtimentis, cuculla ni- "
gra induimus: cingulo ex corio nos ipſi præcinximus, quod Simplicia- "
nus noſter ingenti lætitia donauit. [Poſſidonius ſimiliter in vita eius te- *Poſſid. in vita Aug. cap. 5. 11.*
ſtatur, quod factus presbyter, Monaſterium intra eccleſiam mox inſti-
tuit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundum modum & regulam ſub "
ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maximè vt nemo quicquam proprium *Act. 2.*
in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribue- "
retur vnicuique prout cuique opus erat: quod iam ipſe prior fecerat, dum "
de tranſmarinis [vbi à S. Ambroſio baptizatus fuerat] ad ſua remeaſſet. "
Quibus concordat ipſe Auguſtinus, dum narrat Hipponenſibus ſuis Mo- *Auguſt. de com. vita cleric. tom. 10. ſer. 52. Erem. Citat. Gratianus, 12. quæſt. 1. & 13. quæſt. 2. & 17. quæſt.*
nachis hæc de ſe: Ego quem Deo propitio videtis Epiſcopum veſtrum,
iuuenis veni ad iſtam ciuitatem, vt multi veſtrûm nouerunt, & quærebam
vbi conſtruerem Monaſterium & viuerem cum fratribus meis. [Et paulo
infrà:] Veni ad iſtam ciuitatem propter videndũ amicum quem putabam
me lucrari poſſe Deo, vt vobiſcum eſſet in monaſterio. [vbi ſe apprehen-
ſum dicit & factum presbyterum.] Et quia hic diſponebam [inquit] eſſe
in Monaſterio cum fratribus: cognito inſtituto & voluntate meâ, beatæ "
memoriæ ſenex Valerius [tunc Epiſcopus Hipponenſis] dedit mihi "
hortum illum in quo nunc eſt Monaſterium. cœpi boni propoſiti Fra- "
tres colligere compares meos nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imi- "
tantes me: vt quo modo ego tenuem paupertatem meam vendidi & pau- "
peribus erogaui, ſic facerent & illi qui mecum eſſe voluiſſent, vt de "
communi viueremus. [Et hoc quidem presbyteratu ſuo. Deinde addit:
Perueni ad Epiſcopatum; & vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere hu- "
manitatem aſſiduã quibuſque venientibus ſiue tranſeuntibus. Quod ſi non "
feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceret. ſi autem conſuetudo iſta in Mo- "
naſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideò volui habere in iſta domo "
Epiſcopi mecum Monaſteriũ Clericorũ. [Idemque de ſe & in alio loco:] "

Aug. epiſt. 89. quæſt. 4. Matth. 19. Ego qui hæc ſcribo [inquit] perfectionem de qua Dominus loquutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti: Vade, vende omnia quæ habes, & da pau-
„ peribus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me: vehementer
„ adamaui, & non meis viribus, ſed gratiâ ipſius adiuuante ſic feci. neque
„ enim quia diues non fui, ideò minus mihi imputabitur. nam neque ipſi
„ Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt diuites fuerunt. Sed totum mundum
„ dimittit, qui & illud quod habet & quod optat habere, dimittit. Quan-
„ tum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego
„ quàm quiſquam alius homo, ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc pro-
„ poſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini
„ habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt: ſic
„ tamen vt præcipuè ſana doctrina teneatur, nec eos, qui iſta non faciunt,
„ vanâ contumaciâ iudicemus. [Iam de contemporaneis iſtorum Paulino & Seuero, quòd & ipſi fuerint Monachi, quis ignorat, qui eorum ſcripta legit? Hinc enim B. Paulinus inuitans ad ſe Seuerum, inter alia lepidè
Paulin. ad Seuer. Epiſt. 1. illi ait:] Tum ego te non in Monaſterio tantum vicini Martyris inquilinum, ſed etiam in horto eiuſdem colonum locabo. [In [b] alia ad eun-
b. Epiſt. 2. dem Epiſtola dicit, ſe, & vxorem ſuam, & ipſum Seuerum, vendidiſſe
c. Epiſt. 3. omnia ſecundum conſilium Chriſti. In [c] alia vocat ſuos Fraternitatem
d Epiſt. 7. Monacham. In alia item perſtringit Marracinum inſpiritalem Monachum, qui literas Seueri debuiſſet perferre, ſed Soriano Monacho ſpiritali tradidit, ne cogeretur [inquit Paulinus] Monachum aut in ſe (vt iuſſeras) fingere; aut in me (vt neceſſe erat) cernere. [Simile eſt quod &
e Epiſt. 13. in [e] alia Epiſtola ad eundem ſcribit: Sumpſi literas tuas per hominem
„ Sabini: quem quidem primò, minimè Monichali caliga & veſte miratus,
„ cùm præterea, facie non minùs quam armilauſaruberet, parum ſpiritali-
„ bus buccis, tunc demum eſſe non noſtrum ſciuimus &c. [Denique in
f Epiſt. 14. [f] alia Epiſtola rogat Seuerum, & dicit: Totum hunc, quo diebus &
„ noctibus, Deum mulces, ſacræ pubis accinge delectum, vt aduerſum pec-
„ cata noſtra pro nobis aciem orationum dirigant &c. [In qua Sacra pube
g Carm. ad Cytherium. Monachorum Seueri indicat [g] aliàs fuiſſe filiolum Cytherij, comparans Cytherium ob hoc Abrahæ immolanti filium Deo, & puerulum Iſaac immolato; necnon & Ioſeph, quia traditus eſt Seuero Spadoni ob Regnum Dei, vt Ioſeph quondam Phutiphari Spadoni ſeu Eunucho Pharaonis. Poſtremò S. Gregorium Papam fuiſſe Monachum, & Abbatem Monaſterij (præter alia innumera) teſtantur ipſius verba aliàs à me citata
Motiu. 12. de quodam Monacho ſuo nomine Iuſto, quem morientem, quia contra profeſſionem iuuentus eſt habere proprium, excommunicauit vir ſanctiſ-
ſimus,

ſimus, ſed poſtquam triginta totos dies cruciatus fuiſſet in purgatorio, compatiens ei, fecit per alios triginta dies Miſſas pro eo celebrari. & ita demum abſolutus ab excommunicatione, & ab illo cruciatu eſt, vt ipſe tunc apparens mirabiliter fratri ſuo indicauit. Hi igitur omnes ſancti Doctores, partim Græci, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chryſoſtomus, partim Latini, Hieronymus, Paulinus, Seuerus, Auguſtinus, Gregorius Papa, Monachi fuerunt. idemque de multis alijs egregijs Doctoribus Eccleſiæque luminibus conſtat. quòd & hîc demonſtrarem, niſi me prolixitas deterreret. Denique & illud conſtat, omnes omnino Doctores Eccleſiæ ſeu Scriptores Catholicos fuiſſe eiuſdem cuius hi fuerunt, & fidei & religionis & communionis, id eſt participes Monachorum. Quod vnum ſeriò perpendat Lector, an non ſit iuſtiſſimum, tum pro Monachis, omninoque pro Catholicis, tum contra Proteſtantes Motiuum.

Sexta, æquè iuſta & inuicta defenſio Monachorum eſt, vt recorde- XIX.
mur, quantas Eccleſiæ Chriſti adeoque toti humano generi vtilitates adferant, & ſemper attulerint. Quarum prima, & certè maxima eſt, quam S. Auguſtinus adfert in defenſionem ipſorum etiam Anachoretarum, qui
tamen, minimè omnium vtiles viderentur. Sic enim Auguſtinus: Vi- *Auguſt. de*
dentur nonnullis [inquit] res humanas pluſquam oporteret deſeruiſſe, *mor. Eccl. cath. cap.*
non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, *31.* "
& vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur. [Hoc cùm "
ſcriberet vir ſanctus, probè memor fuit eius quod ſcribit S. Iacobus Apo- *Iac. 5.*
ſtolus:] Orate pro inuicem vt ſaluemini. multum enim valet deprecatio "
iuſti aſſidua. [a] Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit [a] *3. Reg.*
vt non plueret ſuper terram: & non pluit annos tres & menſes ſex. & *17. 18. Luc. 4.*
rurſum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. "
[Similibuſque & ſententijs & exemplis Sacra Scriptura atque antiquitas abundat. Quod fideli corde cogitantes Maiores noſtri, Reges maximè alijque prædiuites, hæc tam multa, tamque rebus omnibus inſtructa reliquerunt nobis Monaſteria cæteraque orationum loca, in quibus iugiter diebus & noctibus tum viri, tum fœminæ ad id vnum delectæ clementiam Diuinam hominibus ſuppliciter implorarent. Alia vtilitas maxima eſt, quam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſæpè commemorant, quòd de ſolitudinibus & cauernis ſuis Monachi ſanctiſſimi, doctiſſimi, admirandi fre-
quenter, prodire in publicum conſueuerint, vt Eccleſiæ matri vehemen- *Theod. hiſt.*
ter interdum ab Hæreticis laboranti ſuccurrerent. Quam vtilitatem *Eccl. lib. 4. cap. 23. 24.*
illuſtrat Hiſtoria Theodoreti (vt alias prætermittam) tribus exemplis *25.*

Idem in Philotheo ſeu hiſt. religioſ.c. nobiliſſimis, Antonio, Aphraate, & Iuliano Monachis celeberrimis, quos docet partim temporibus Conſtantij, partim Valentis, tum prædicationibus ſuis, tum miraculis, & Arrianos Hæreticos fregiſſe, & Catholicos
„ plurimùm corroboraſſe. Itaque non ignorabant illi ſancti Viri [inquit
„ Theodoretus] quæ res cuique tempori eſſent accommodatæ, & quando
„ ſolitudinis ocium eſſet amplectendum, quando rurſus vrbana negotia
„ quieti ſolitariæ præferenda. [vbi continere me non poſſum, quin verbis eius narrem ſapientiſſimum & conſtantiſſimum colloquium diuini illius Aphraatis cum Valente Imperatore Arriano tanquam alterius Eliæ
3. Reg. 18. cum Achab. Tranſiuit de induſtria (ſperans ſe ita tanto Eccleſiæ malo medicaturum) eâ viâ, quâ neceſſariò incurreret in oculos Imperatoris.]
„ Hunc igitur Imperator oculis de ſublimi ex porticu regia deiectis vidit,
„ pallio vili ac ſordido indutum: & cito gradu, licèt confeſtum pænè æta-
„ te, incedentem. At, cùm quidam dixiſſet, hic eſt ille Aphraates, ex-
„ cuius nutu pendet ciuitas vniuerſa: ibi tum Imperator, Cedo, inquit,
„ quò te conferas? Ille tum ſapienter ſanè & appoſitè: pro tuo, inquit,
„ regno precaturus. Tum Imperator: At domi, inquit, tibi manendum
„ eſt, & intra cellam, vti lex Monaſtica poſtulat, orandum. Cui diuinus
„ ille vir, præclarè admodum (inquit) dicis ô Imperator: iſtud ſanè mihi
„ faciendum eſt, & hactenus feci, dum oues Seruatoris pace fruerentur.
„ Verùm quoniam iam magnopere conturbantur, & multum illis im-
„ pendet periculi, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modò ne à feris
„ capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolumes. nam dicito mihi, quæ-
„ ſo, ô Imperator: Si filia alicuius eſſem, & ſederem in conclaui, vti
„ ædes curarem, atque inde cernerem flammam in eas incidiſſe, ædeſque
„ paternas iam conflagrare: dicito, mihi, inquam, quod me facere opor-
„ teret: intuſné manere, & ædes incenſas negligere, expectareque donec
„ flammæ impetus longiùs peruaderet: an relicto conclaui, ſurſum de-
„ orſumque curſitare, & aquam afferre, quâ flammam extinguerem?
„ Hoc certè te reſponſurum conſtat: nam hæ ſunt partes filiæ prudentis
„ & prouidæ. Atque hoc ipſum nos agimus, ô Imperator. Etenim cùm
„ tu iam in Patris noſtri ædes flammam inieceris, nos circumcurſitamus,
„ quò eam maturè poſſimus extinguere. Quæ cùm loquutus eſſet Aphra-
„ ates, Imperator ei interminatus conticuit. [Verùm vnus ex cubicularijs eius, qui contumelias maiores in hominem Dei iactauerat, mirabili in-
„ teritu protinus extinctus eſt. vnde didicêre omnes [inquit Theodoretus]
„ quantum ponderis Aphraatis haberet oratio: tametſi de ſua impia do-
„ ctrina minimè deſtiterint, ſed more Pharaonis cor ſuum indurarint.

[Ad hanc

[Ad hanc vtilitatem referantur innumerabilia librorum neceſſariorum volumina, quibus Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Thomas Aquinas, & cæteri Monachi, Græci ac Latini, Scripturas totamque Religionem Chriſtianam, ſiue contra Hæreticos, ſiue quomodocumque aliter illuſtrarunt. Nam fuerunt Monaſteria ſemper non ſolùm Orationum loca, verumetiam, hoc ipſum quod Vniuerſitates & Scholæ: ſicut dixit ſuprà Auguſtinus, Cœnobitas ſeu Monachos qui ſimul ætatem agerent, viuere in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus. ſicut Philo etiam narrauit de Monachis primitiuis apud Alexandriam ſub S. Marco, verſatos fuiſſe eos in docendo & diſcendo Scripturas ſecundum Allegoricum ſenſum. (vt nihil hic dicam de Scholis Ieſuitarũ noſtri temporis, quas pro methodo & celeritate perdocendi omnia ſtudiorum vtilium genera, exceptis tantùm Legibus & Medicina, cuncti iure mirantur. qui tamen præterea in excipiendis Confeſſionibus & in alijs plurimis vtiliſſimi ſunt orbi.) Adeóque quòd vel Scripturæ ipſæ, vel cætera Antiquorum monumenta literaria ad hæc tempora, quibus inuenta eſt Typographia, tranſmiſſa & conſeruata ſunt, nónne Monachis Monaſterijſque debemus? ſecundum quod Seuerus ſcripſit de Monaſterio S. Martini, Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habebatur. Alia immenſa vtilitas Monaſteriorum perſpicietur ex eo quòd ſemper Epiſcopis & Clericis digniſſimis Eccleſias inſtruxerunt. XX. Sit exemplum quod ſcribit Poſſidius de Monaſterio S. Auguſtini, his verbis: Proficiente verò doctrina diuina, ſub ſancto, & cum ſancto Auguſtino, in Monaſterio deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cœperunt. ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumq; ſeruorum Dei propoſito, continentia, & paupertate profunda, ex Monaſterio quod per illum venerabilẽ virum & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere, atq; accipere Epiſcopos & Clericos pax Eccleſiæ atque vnitas, & cœpit primò, & poſtea conſequuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe noui ſanctos & venerabiles viros, continentes ac doctiſſimos, B. Auguſtinus diuerſis Eccleſijs, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. ſimiliterque & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſijs propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei cæteris Eccleſijs promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt. [huic vtilitati coniunctum eſt quod in Motiuo nono & vndecimo demonſtraui, plæraſque gentes ad fidem Chriſti cõuerſas eſſe per Monachos: ſicut noſtro tẽpore Indos & Nouum Orbem. per Patres Societatis, per Franciſcanos & Dominicanos:

Auguſt. de mor. Eccl. Cath. c. 31.

Supra num. 3.

Supra num. 13.

Poßid. in vita Aug. cap. 11.

ſicut olim Angliam noſtram per Monachos de Monaſterio Romano S. Gregorij Papæ: ſicut multo etiam priùs plurimas gentes per duos Macharios & cæteros antiquiſſimos Monachos quos ibi commemoraui. de quibus valde memorabile eſt quod ſcribit Sozomenus, reddens rationem ex coniectura ſua, quamobrem Deus illos donauerit tam longâ & annoſâ vitâ. plurimi enim eorum, licet non ſolùm ieiunijs continuis & arctiſſimis, ſed pænè etiam inediâ mirum in modum ſe macerarent, tamen (vt ex authoribus certiſſimis conſtat) centum annos aut eo amplius viuendo ſuperarunt. ſic Sozomenus: Paulus [inquit] & cæteri etiam Monachi, „ quos commemorauimus, omnes ferè ad prolixum temporis ſpacium vi- „ tam propagarunt. Atque Deus certè, vt mihi quidem videtur, tam lon- „ gam vitam hiſce hominibus largitus eſt, vt religio Chriſtiana per eos am- „ plificaretur. Etenim tum Syros ferè omnes, tum Perſas, tum Saraceno- „ rum quàm plurimos à Gentilitate ad ſuum ipſorum, hoc eſt ad verum „ Dei cultum traduxêre: ipſique in illis regionibus diſciplinam monaſti- „ cam exorſi, permultos ſibi ſimiles effecêre. [

Soz. lib. 6. cap. 34.

XXI. Denique vna adhuc alia vtilitas (vt plures non perſequar, eſſet enim infinitum) eáque maximè propria Monaſtici inſtituti, eſt, quam S. Auguſtinus proponit amico ſuo Honorato, vt eum reuocet ab hæreſi Manichæorum. docet enim ſapientiſſimè, Chriſtum feciſſe illa Miracula in principio, vel per ſe vel per Apoſtolos ſuos, vt his conciliata authoritate, & multitudine credentium congregata atque propagata, quicquid vtile eſſet ſaluti hominum in ipſis moribus tantæ multitudinis collocaret. mores enim plurimum valere ad obtinendas hominum mentes. ac tum venit ad commemorandum mores iſtos tam vtiles, & inter eos, Monachorum mores, vt intelligat lector non eum commendare illi Manichæo mores neſcio quorum Proteſtantium, ſed mores Eccleſiæ Catholicæ, id eſt noſtros, Monachorum populorúmque noſtrorum. ſic igitur ait: Parúmne conſultum rebus humanis „ arbitraris, quòd nihil corporeum pro Deo colendum &c, non pauci do- „ ctiſſimi diſputant: ſed imperitum etiam vulgus marium fœminarúmque „ in tam multis diuerſiſque gentibus, & credit & prædicat: quòd conti- „ nentia vſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ, & non quotidiana „ ſolùm, ſed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia: quòd „ caſtitas vſque ad coniugij proliſque contemptum: quòd patientia vſque „ ad cruces flammaſque neglectas: quòd liberalitas vſque ad patrimonia di- „ ſtributa pauperibus: quòd denique totius huius mundi aſpernatio vſque „ ad deſiderium mortis intenditur? Pauci hoc faciunt, pauciores bene pru- „ denterque faciunt: ſed populi probant; [vide, quorum ſit hæc multitudo, nõ-

Auguſt. de vtil. cred. cap. 17.

tudo, noſtrorum an Proteſtantis, ex his moribus] populi audiunt, populi fauent, diligunt poſtremò populi. populi ſuam imbecillitatem, quòd iſta non poſſunt, nec ſine prouectu mentis in Deum, nec ſine quibuſdam ſcintillis virtutis accuſant: hoc factum eſt diuinâ prouidentiâ per Prophetarum vaticinia, per Humanitatem doctrinamque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias &c; per Sanctorum prædicabilem vitam; atque in his vniuerſis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. [Ex quibus omnibus hanc demum pro eccleſia noſtra catholica & Romana infert cõcluſionem:] Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica Sede per Succeſſiones Epiſcoporum, culmen authoritatis obtinuit? &c. [quodque in his dixit de paucis ſic vt Monachi facientibus, de populis catholicis tamen fauentibus, & ſuam imbecillitatem in hoc piè confitentibus, fieriquè hoc totum Diuinâ Prouidentiâ per Sanctorum vitam: horum omnium exemplum iucundiſſimum eſt, quod idem Auguſtinus in deuotiſſimis ſuis ad Deum Confeſſionibus narrat contigiſſe ſibi ante conuerſionem ſuam: Ortus eſt ſermo Potitiano narrante [erat is aulicus, ſed valde pius & catholicus. audiebant porro eum Auguſtinus & Alipius nondum catholici, neque baptizati]de Antonio Aegyptio Monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud ſeruos tuos, [id eſt catholicos,] nos autem vſque in illam horam latebat. quod Potitianus vbi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & propè noſtris temporibus teſtatiſſima mirabilia tua in fide recta & Catholica Eccleſia. Omnes mirabamur, & nos, quia tam magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant. Inde ſermo eius deuolutus eſt ad Monaſteriorum greges, & mores ſuauiolentiæ tuæ, & vbera deſerta Eremi, quorum nos nihil ſciebamus. Et erat Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore, & non noueramus. Pertendebat ille & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. vnde incidit vt diceret, neſcio quando ſe & tres alios contubernales ſuos nimirum apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic vt fortè combinati ſpaciabantur, vnum ſecum ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum, pariterque digreſſos: ſed illos vagabundos irruiſſe in quandam caſam, vbi habitabant quidam ſerui tui, ſpiritu pauperes, qualium eſt Regnum cælorum, & inueniſſe ibi codicem in.

Aug. confeſſ. lib. 8. cap. 6.

Matth. 5.

» [illegible]m in quo ſcripta erat vita Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, &
» mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, &
» relictâ militiâ ſeculari ſeruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt Agen-
» tes in rebus. Tunc ſubitò repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus
» ita ſibi coniecit oculos in amicum, & ait illi: dic quæſo te, omnibus iſtis
» laboribus noſtris quò ambimus peruenire? quid quærimus? Cuius rei
» causâ militamus? maiórne poterit eſſe ſpes noſtra in palatio, quàm vt
» amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis?
» & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quandiu iſtud
» erit? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio. dixit hoc, & turbidus
» parturitione nouæ vitæ reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur
» intus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit.
» namque dum legit & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, &
» diſcreuit, decreuitque meliora. Iam iamque tuus ait amico ſuo: Ego
» iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hora
» hac, in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit
Luc. 14. » ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ: & ambo iam tui
» ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia & ſequendi te.
» Tum Politianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quæ-
» rentes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes admonuerunt
» vt redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito & propoſito
» ſuo, quoque modo in eis talis voluntas orta eſſet atque firmata, petiue-
» runt ne ſibi moleſti eſſent, ſi adiungi recuſarent. Iſti autem nihilo mu-
» tati à priſtinis, fleuerunt ſe tamen vt dicebant, atque illis piè congratulati
» ſunt, & commendauerunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in
» terra abierunt in Palatium; illi autem affigentes cor cælo, manſerunt in
» caſa. Et ambo habebant ſponſas. Quæ poſteaquam hoc audierunt, dica-
» uerunt etiam ipſæ Virginitatem tibi. narrabat hæc Potitianus.

XXII. Septima Monachorum defenſio euidens & perſpicua erit, ſi ſolùm conſideremus, quos olim habuerint vituperatores & quos iterum defenſores. vituperatores nimirum eorum fuiſſe eos viros, quos vniuerſi, ipſique adeò Proteſtantes dixerint iam in inferno cum dæmonibus cruciari. contrà autem defenſores eorum fuiſſe eos, quos vniuerſi, ijdemque adeò Proteſtantes iam in cælo cum Chriſto regnare conceſſerint. Hic igitur S. Auguſtinus dicit de ſe & Petiliano Donatiſta Hæretico: Deinceps

Aug. contra Petil lib. 3. cap. 40.

perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monacho-
» rum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ a me fuerit inſtitutum. quod
» genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum,
neſcire

neſcire ſe fingit: [& rurſum alloquitur Catholicos ſuos,dicens de ijſdem Hæreticis Donatiſtis:] Quando vos rectè hæreticis de Circumcellionibus [erant ij Donatiſtis,quales nunc ſunt armati Hugonotæ & Geuſei Proteſtantibus]inſultare cœperitis,vt erubeſcendo ſaluentur:illi vobis inſultant de Monachis.[& paulo poſt:] dicere conſueuerunt,Quid ſibi vult nomen Monachorum?quanto melius dicimus nos,Quid ſibi vult nomen Circumcellionum,[Geuſeorũ, Hugonotarum,Proteſtantiũ? & rurſum ibidem:] Quid ergo dicunt illi,qui nobis de nomine Monachorum inſultant? fortaſſe dicturi ſunt, Noſtri non vocantur Circumcelliones: vos illos ita appellatis contumelioſo nomine,nam nos eós ita non vocamus. quod tamen Proteſtantes de ſuis nominibus dicere non poſſunt, quemadmodum aliàs oſtendi. aut ſi dicant,videat lector quid hic Auguſtinus reſpondeat Donatiſtis, nam idem reſponſum erit etiam Proteſtantibus. ego autem ab hoc loco de Monachis digreſſionem facere non debeo. huc igitur rurſus pertinet,quod apud Auguſtinum ſequitur: Dicant quid eos vocent,& audietis,Agoniſticos eos vocant.[& paulo pòſt:]Sed interim illud videat ſanctitas veſtra, Qui nobis dicunt,oſtendite vbi ſcriptum ſit nomen Monachorum: oſtendant vbi ſcriptum ſit nomen Agoniſticorum. Sic eos appellamus,inquiunt,propter agonem.certant enim illi,& dicit Apoſtolus,Certamen bonũ certaui. [reſpondet Auguſtinus:] Vtinam ergo milites Chriſti eſſent, & non milites Diaboli, & cætera, in quibus illud etiam teſtatur inſultaſſe eos Catholicis, quia Monachi cùm vident homines, dicunt, Deo gratias, pro ſalutatione, ſicut & hodie videmus ſolenne eis eſſe. Similiter contra Vigilantium defendit S. Hieronymus Monachos. cuius hæretici contra Sepulchra martyrum veneranda,contra pudicitiam,virginitatem & continentiam, contra Monachos, & quædam alia, tam abſurda videbantur dogmata Chriſtianis omnibus, maximè quia iam antè propter quædam illorum Iouinianus Romanæ Eccleſiæ authoritate damnatus eſt, vt S. Hieronymus neceſſarium duxerit ſic monere: Ipſius verba ponentes, ad ſingula reſpondere nitamur. fieri enim poteſt, vt rurſum malignus interpres dicat fictam à me materiam, cui rhetorica declamatione reſpondeam. [addens etiam:] Authores ſunt huius dictatiunculæ meæ ſancti Presbyteri [Galliæ] Riparius & Deſiderius, qui parochias ſuas vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas: miſeruntque libros per fratrem [a id eſt, Monachum] Siſinium, quos inter crapulam ſtertens euomuit. & aſſerunt repertos eſſe nonnullos, qui fauentes vitijs ſuis, illius blaſphemijs acquieſcant. Itaque quoad Monachos,prohibuit hic Hæreticus Ieroſolymam in vſus Sanctorum aliqua ſumptuum ſolatia dirigi.

Auguſt. in pſal. 132.

Moti. 8.

1. Tim. 6.

XXIII.

Hier. contra Vigil.

a Hier. proœm in Zach.

[Ad quod Hieronymus primum de ſe, & ironicè : Videlicet ſi ad hæc
» reſpondero, ſtatim latrabis meam me cauſam agere, qui tanta cunctos
» largitate donaſti, vt niſi veniſſes Ieroſolymam, & tuas vel patronorum
» tuorum pecunias effudiſſes, omnes periclitaremur fame. [Deinde de re,
» & seriò:] Ego hoc loquor, quod beatus Apoſtolus Paulus, [de quo oſten-
1. Cor. 16. dit ex Epiſtolis eius, & Actis, quòd cum in alijs Eccleſijs, quas naſcen-
a. 1. Actor. 24. tes erudiebat, potuiſſet diuidere eleemoſynas aliarum, tamen Sancto-
c. 17. » rum locorum pauperibus dare cupiebat, qui ſuas pro Chriſto facultatu-
» las relinquentes, ad Domini ſeruitutem tota mente conuerſi ſunt. pro-
quo adfert etiam Barnabam, imò Petrum, Ioannem, & Iacobum, qui
Gal. 2. » præceperunt Paulo & Barnabæ, vt pauperum iſtorum memores eſſent:
Pſalm. 40. item Pſalmographum, inſuper & Saluatorem. necnon, hæc in Iudæa
Luc. 16. » vſque hodie [inquit] perſeuerat conſuetudo, non ſolùm apud nos, ſed
» & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & par-
» tem non habent in terra, niſi ſolum Deum, Synagogarum, & totius orbis
» foueantur miniſterijs. [denique & quicquid contra hoc obiecit hæreti-
cus, ſoluit. poſt quæ accedit ad alterum quod Vigilantius circa Mona-
» chos reprehendit:] Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui vtuntur
» rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diui-
» dunt, quàm illos, qui poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiun-
Matth. 19. tur: non à me eis, ſed à Domino reſpondebitur : Si vis eſſe perfectus,
» vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus : & veni ſequere me.
» Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis, patrem,
» nauiculam, & rete dimittit. Iſte quem tu laudas, ſecundus & tertius gra-
» dus eſt, quem & nos recipimus, dummodo ſciamus prima ſecundis &
tertijs præferenda. [Tum & ad tertiam eius reprehenſionem reſpondet,
» dicens : Nec à ſuo ſtudio Monachi deterrendi ſunt à te lingua vipera
» & morſu ſæuiſſimo: de quibus argumentaris & dicis : Si omnes ſe clauſe-
» rint & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit eccleſias? quis ſeculares ho-
» mines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? [Re-
ſponſi præceſſit ſuprà in hiſtoria Aphraatis. ſed reſpondet & Hierony-
» mus, dicens primò :] Hoc enim modo ſi omnes tecum fatui ſint, ſa-
» piens quis eſſe poterit? Et virginitas non erit approbanda : Si enim
» omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus, &c.
» [dicens ſecundò:] Rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur. &c. [dicens
» tertiò:] Monachus autem non Doctoris, ſed plangentis habet officium,
» qui vel ſe vel mundũ lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum:
» qui ſciens imbecillitatem ſuam, & vas fragile quod portat, timet offen-
dere, ne-

dere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maxi- "
meque adoleſcentularum vitat aſpectum, & intantum caſtigator ſui eſt, "
vt etiam quæ tuta ſunt pertimeſcat. &c. Et idcirco vrbium frequentias "
declinamus, ac pergimus ad Eremum, ne facere compellamur, quæ nos "
non tam natura cogit facere, quam voluntas. [Sicut autem contra Do- XXIIII.
natiſtas Auguſtinus, & contra Vigilantium Hieronymus, ita S. Paulinus
quoque ſe & reliquos Monachos defendit contra quendam glorioſulum,
qui Monachorum habitum, tonſuram, halitum, odorem ſcilicet ferre
non poterat. De quo Paulinus quondam Senator Romanus ampliſſimus,
nunc pauper Chriſti & Monachus, ecce quid dicat: Sibi ergo ille ha- *Paulin. ad*
beat armilauſam ſuam & ſuas caligas & ſuas buccas, quarum alia mutare, *Sever. Epiſt.*
alia deducere timuit: nos adeant & reuiſant conſeruuli & compauidi no- *7. & 6.*
ſtri: non veſtibus pictis ſuperbi, ſed horrentibus cilicijs humiles: nec *Vide Hier. in Sophon. 3.*
clamide curta lini ſed ſagulis palliati: nec balteo, ſed reſte ſuccincti: nec "
improba attonſi capitis fronte criniti, ſed caſta informitate capillum ad "
cutem cæſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi, & or- "
natu pudicitiæ inornati, & decenter inculti ſunt, & honorabiliter deſpi- "
cabiles, cùm ingenitam quoque ſpeciem corporis pro interiore cultu aſ- "
pernantes, etiam ſtudio deformantur, vt fiant pudenter inhoneſti vulti- "
bus, dum perficiantur ſalutariter honeſti, mentibus. Huiuſmodi homi- "
num & vultus & habitus, & odor nauſeam illis facit, quibus odor mortis "
eſt in odorem vitæ, quibus dulce quod amarum, & turpe quod caſtum, "
& hoſtile quod ſanctum eſt. propterea iuſtum eſt vt reddamus illis vicem, "
vt ſit nobis odor eorum tanquam odor mortis, ne deſinamus eſſe odor "
Chriſti. quid enim nobis iure ſuccenſeant, ſi viciſſim nobis fœteat odor "
vitæ eorum, quibus odor noſtræ in mortem eſt? Ille ieiunium meum "
horret, ego crapulam ferre non poſſum. Ille halitum Monachi loquentis "
euitat, ego flatum Thraſonis ructantis effugio &c. Videant ergo nos non "
mane ebrij, ſe veſpere ieiuni &c. in his neceſſe eſt glorietur, qui eſſe aut "
videri Monachus non erubeſcit. [Denique extat liber S. Chryſoſtomi "
Aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ.

Sic igitur hi ſanctiſſimi & Patres & Monachi defenderunt Monachos, XXV.
ſiue contra Hæreticos, ſiue cæteros: non tamen ignorantes, nec negan-
tes, quin multi etiam tum Monachi mali fuerint. nam inde Auguſtinus *Auguſt. de*
dicit: Calidiſſimus hoſtis tam multos hypocritas ſub habitu Monachorũ *op. Monach.*
vſquequaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſ- *cap. 28.* "
quam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. [veruntamen quando "
hoc concedunt, ſimul duo potiſſimum dicunt, quæ plurimum debemus

 attendere.

attendere. vnum, quod non propter tales ordo ipſe, cum bonis Monachus, accuſandus ſit. Inuenis Sanctimoniales indiſciplinatas: Nunquid ideò [inquit] Sanctimonium reprehendendum eſt? &c. Ac iterum: Ad quid enim aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſque Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. &c. Alterum eſt, quod cùm de malis Monachis loquuntur, illos ſemper peſſimos iudicant, qui hoc faciunt, quod Proteſtantes & faciunt, & laudant, dignumque putant, vt qui faciunt, etiam duces, capita, columnæ, & magiſtri ſui ſint. Quid hoc eſt? Erat in Monaſterio Auguſtini malus Monachus, ſicut ipſe ſuprà ſcripſit. malus (inquam) in Monaſterio: ſed vſque adeò [inquit] profecit in malum, vt deſerta monaſterij ſocietate fieret canis reuerſus ad ſuum vomitum. [Erant item duo Epiſcopi Donatiſtarum, de quibus Optatus:] Inuenerunt Matres, [id eſt Abbatiſſas,] quas de Caſtimonialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane, Epiſcopos celas: & pro tuis erubeſcere debueras, Catholicos innocentes accuſas. Interea Fœlix inter crimina ſua, & facinora nefanda, ab eo compreſſam puellam, cui mytram ipſe impoſuerat, à qua paulo antè Pater vocabatur, nefariè inceſtare minimè dubitauit. &c. [Item aliàs, vbi & quid ſignificet mytra ſeu velamen Sanctimonialium, oſtendit:] Nudaſtis denuò capita iam velata: de quibus Profeſſionis detraxiſtis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inuenta. &c. Qui cùm viderent, præſcriptionem ſibi iamdudum oppoſitam, à vobis eſſe ſublatam, de ſponſis raptores effecti ſunt. nec viſus eſt ſibi vnuſquiſque peccaſſe, dum talem rapuit, qualem viderat, quando vt vxorem acciperet poſtulabat. &c. Et vtinam vel id quod tuliſtis, velociter reuocare velletis. Inter poſuiſtis moras &c. puellas miſeras non ſine opprobrio, vt ſecundam mytrellam acciperent coëgiſtis. &c. Hæc Optatus contra Donatiſtarum Epiſcopos, qui tamen non in totum damnabant profeſſionem Virginum, ſed acceptam duntaxat à Catholicis Epiſcopis, quorum baptiſmum, Sacrificium, & omnia denique miniſteria irrita & caſſa ducebant. Neque igitur in perpetuum velamina virginum tulerunt, ſed interim duntaxat, dum ab ipſis ſecundo acciperent. in qua mora quia petitores quaſdam duxerunt quaſi in vxores, non per hoc ſponſi, ſed raptores effecti, propterea Optatus facinus & ſacrilegium ſic exaggerat. Quid igitur hic face-

Auguſt. in pſal. 99.

Aug. Epiſt. 137.

Auguſt de bono perſeuerant. cap. 15.

Opt. lib. 2. fol. 23.

Opt. lib. 6. fol. 64.

hic faceret Proteſtantibus, qui non ſecundò velant, non moras interponunt, non incautè exponunt ſacras Virgines raptoribus, ſed in ſempiternum nudant capita iam velata, & incidia profeſſionis & profeſſionem penitus tollunt, & Sanctimoniales non incautè ſed ſtudioſè proſtituunt non quibuſlibet petitoribus aut raptoribus, verum ipſis etiam Monachis? & talem (proh pudor) inceſtum, matrimonium ducunt, nec Lutherum Monachum & Catherinam Monacham eius qui hunc coitum inierunt, ſuæ Sectæ principes erubeſcunt. Quinetiam cùm ipſi tam Ægyptiaca cæcitate capti ſint, ſe tamen interim ſolos oculatos, Monachos autem omnes & qui fauent eis cæcos eſſe clamitant. quod olim Auguſtinus Monachus in Minichæis hoc de ipſo dicentibus abſurdiſſimum iudicabat: Modò me dicere deſertum lumine, cùm ab his omnibus vmbris rerum me auerterim, ſoloque victu ad valetudinem corporis neceſſario contentus eſſe decreuerim; illuſtratum autem atque fulgentem fuiſſe cùm iſta diligerem, & his inuolutus tenerer, hominis eſt (vt mitiſſimè dicam) minùs acutè conſiderantis res de quibus loqui multum amat.

Auguſt. de vtil. creden. cap. 1.

Octaua & vltima clariſſima defenſio Monaſticæ profeſſionis eſt, quam diligens Lector obſeruauit hic paſſim à Sanctis Patribus inſinuatam è Scripturis, hoc modo: quia nihil prorſus eſt in iſta profeſſione, quin Sacrarum Scripturarum teſtimonijs & exemplis dilucidè commendetur: non paupertas, continentia, obedientia; non votum rerum iſtarum, non præſcripta ieiuniorum, orationum, ſolitudinis, vilioris habitus, & cæterarum obſeruantiarum regula, non denique propoſitum faciendi iſta propter cultum Dei. in tantum vt talis ratio viuendi non ſolùm non vituperetur in Diuinis literis, nec ſolùm laudetur, verumetiam omnium perfectiſſima iudicetur, quamque propterea non turba, ſed pauci admodum amplectantur, quibus & tanto ſublimior, quàm cæteris, gloriæ locus paratus ſit in cælo, quanto profundiùs contempſerunt hæc terrena. vnde & ij fuerunt in principio iſtius vitæ profeſſores, qui omnium conſenſu ſanctiſſimi in terris fuerint, & glorioſiſſimi in cælis ſint, vt imprimis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, deinde intemerata & immaculata Mater eius, tum Diuini eius Apoſtoli, & omnes ferè primitiui Chriſtiani; antea quoque S. Ioannes Baptiſta, Elias, & Eliſeus Prophetæ, atque Filij Prophetarum. Hæc omnia in Scripturis Sacris tam clarè tamque expreſſè continentur, XXVI.

vt non ſit opus interprete: quanquam (vt dixi) Patrum quoque omnium intellectus adſtipulatur, ne quis fortè vel in re manifeſtiſſima n eo me
XXVII. ſenſu niti ſuſpicetur. Ergo pro ſpontanea paupertate quid poteſt eſſe eui-
Matth. 19. dentius, quàm quod cuidam principi interroganti, Magiſter bone, quid
Mar 10. faciam vt vitam æternam percipiam? [reſpondit Ieſus,] Si vis ad vitam
Luc. 18. ingredi, ſerua mandata. [& interroganti ſecundò,] Hæc omnia obſeruaui
» à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt? [ait:] Si vis [non ſolùm ingredi
» ad vitam æternam, ſed etiam] perfectus eſſe, (adhuc vnum tibi deeſt:)
» vade, omnia quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & [nõ ſolùm in-
» gredieris, ſed etiam] habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.
» [Et ſubiungitur:] Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis
» & mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones. [& poſt pauca:] Tunc
» reſpondens Petrus dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus
» te: quid ergo erit nobis? [quærens mercedem boni operis.] Ieſus autem
» dixit illis, Amen dico vobis quòd vos qui ſecuti eſtis me, in Regenera-
» tione cùm ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos
» ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. [Sed quid
» etiam alij?] Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut
» patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen
» meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. [Quodque ibi
» Saluator, cum videns illum adoleſcentem principem triſtem factum,
» [dixiſſet,] Quàm difficilè diuites qui pecunias habent, confidentes in pe-
» cunijs, in Regnum Dei introibunt? [& iterum,] Facilius eſt camelum
» [onuſtum] per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in Regnum
» cælorum: [ſubiecit poſtea,] Apud homines hoc impoſſibile eſt: ſed
» non apud Deum. omnia enim poſſibilia ſunt apud Deũ: [hoc (inquam)
idem Deus euidenter de ſe oſtendit, ſic per omnipotentem gratiam ſuam in cordibus innumerabilium operans, vt non ſolùm cor non apponerent ad diuitias ſuas, nec ſolùm inde eleemoſynas paulatim facerent, ſine quo nullus diues poterit ſaluus eſſe: verumetiam (quod perfectionis eſt) poſſeſſionibus cunctis venundatis, ſemel omnia largirentur. quod patet non ſolùm exemplis S. Paulini ex Senatore ditiſſimo Monachi pauperrimi, aliorumque ſimilium omni ætate plurimorum, verumetiam exemplis ipſarum Scripturarum, vt modò audiuimus de Apoſtolis, de quibus Au-
Aug. Epiſt. 89. Et de Ciu. Dei li. 17. cap 4. guſtinus eleganter dixit, quòd diuites quidem non fuerint: Sed tamen totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quinetiam Ioſeph, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apo-
Act. 4. ſtolis (quod eſt interpretatum filius conſolationis) Leuites, Cyprius

genere,

genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit "
ante pedes Apoſtolorum. [Et hic quidem vnus homo fuit. Tanta autem "
erat ſtatim perfectio totius Primitiuæ illius apud Ieruſalem Eccleſiæ, vt
quod inter Gentiles pauci Monachi faciunt, illic tota multitudo virorum
ac mulierum ſine mora fecerit. Erant nimirum (hanc enim rationem
animaduerterunt ſancti Patres) per Legem Pædagogum ſuum tam propè
Chriſtum, vt deinde vnico ferè gradu mox aſcenderint ad perfectionem:
quod Gentilium multitudini nimis ſublime fuit, vtpote quæ tam longè
erat, vt de Chriſto nec fando vnquam audiuiſſet. Sic igitur de Ieroſoly-
mitana Eccleſia tota ſcribit Lucas: Omnes etiam qui credebant, erant Act. 2.
pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vende- "
bant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. [Et rurſum:] Act. 4.
Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quiſ- "
quam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis om- "
nia communia. &c. & gratia magna erat in omnibus illis. Itaque enim "
quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut "
domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & "
ponebant antè pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout "
cuique opus erat. [Sed ne ignoraremus, iam tum etiam quoſdam in iſta
profeſſione fictos fuiſſe, ſequitur D. Lucas, & narrat:] Vir autem qui- Act. 5.
dam nomine Ananias, cum Saphira vxore ſua, vendidit agrum, & frau- "
dauit de pretio agri, conſcia vxore ſua: & afferens partem quandam, ad "
pedes Apoſtololorum poſuit. Dixit autem Petrus, Anania, cur tentauit "
Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? "
Nónne manens tibi manebat: & verundarum in tua erat poteſtate? "
Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed "
Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et factus "
eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes, "
amouerunt eum, & efferentes ſepelierunt. [Ac ſequitur adhuc:] Factum "
eſt autem quaſi horarum trium ſpacium, & vxor ipſius, neſciens quod "
factum fuerat, introiuit. Reſpondit autem ei Petrus, Dic mihi mulier, "
ſi tanti agrum vendidiſtis? At illa dixit, Etiam tanti. Petrus autem ad "
eam, Quid vtrique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce, "
pedes eorum qui ſepelierunt virum tuum, ad oſtium, & efferent te. Con- "
feſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes autem iuuenes, in- "
uenerunt illam mortuam: & extulerunt, & ſepelierunt ad virum ſuum. "
Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audie- "
runt hæc. [Solis autem ex monachis Proteſtantium non fit timor per tam

terribile

terribile exemplum, qui tamen niſi toti cæci eſſent, agnoſcerent peccatum mendacij & apoſtaſiæ ſuæ eſſe multo multoque grauius; & eorum
Matth. 5. adhuc incomparabiliter grauius, qui non modò ſoluunt tale mandatum, verumetiam docent ſic homines. Denique Ieroſolymitani hi fideles erant, pro quibus Paulus & Barnabas ex mandato Petri, Ioannis, & Iacobi, faciebant collectas per omnes Eccleſias Gentilium, quarum tam frequens eſt mentio (vt ſuprà etiam reſpondit S. Hieronymus Vigilantio) in Paulinis Epiſtolis. Qui, cum ſui ſimilibus, in hoc non modò conſi-
2. *Cor.* 8. lium, ſed & exemplum Domini noſtri Ieſu Chriſti habuerunt ſibi prælucens, quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues; vt illius
Matth. 8. inopia nos diuites eſſemus. qui & de ſe dixit, Filius hominis non habet vbi caput reclinet.

XXVIII. Iam & de Continentia non minùs clara ſunt teſtimonia Scripturarum, ſiue etiam de ſpe præmij, ſiue de voto quæramus. Inde enim dixit
Matth. 19. Saluator, Et ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt [per votum ſcilicet. non eſt enim alius modus, quo quis ſibi hanc poteſtatem penitus, inſtar caſtrati ſeu eunuchi, poſſit auferre] propter Regnum cælorum. moxque voce hortantis (vt ait illic Hieronymus) & milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantis, addidit, Qui poteſt capere, capiat. Ad quod quidem capiendum tanta erat exhortatio, tantaque inclinatio fidelium ſub Apoſtolis, vt Corinthij nondum ſatis in fide inſtituti, dubitauerint, an con-
1. *Cor.* 7. iuges non deberent ab vſu coniugij abſtinere. quibus reſpondet Apoſtolus, non eſſe licitam ſine mutuo conſenſu talem continentiam, ſed tamen ſi ſolutus ſis à coniugio, vt virgo, vt vidua, quanquam etiam tum (niſi aliud voueris) poſſis coniugari, tamen multo melius ac ſanctius ac beatius eſſe, vt te ſine coniugio ſerues: ſicut & ego, inquit. Nec ipſe ſolus exemplo fuit, ſed & cæteri omnes Apoſtoli, omneſque deinceps Sacerdotes,
Moti. 24. & Monachi ſancti, de quibus (vt in ſuperiori Motiuo oſtendi) certiſſimum eſt, quòd nullus eorum vnquam inierit nouas nuptias poſtquam ſemel in illum ſtatum ſe tradidiſſet, neque etiam priùs initis vſus fuerit, vbicunque canones exactè ſeruabantur. Exemplum etiam illuſtriſſimum eſt immaculatiſſima, corpore & mente, ſemperque Virgo Dei genitrix
Luc. 1. Maria. quæ & indubiè, cùm audiuit ab angelo Gabriële, Ecce concipies in vtero, & paries filium, nunquam interrogaſſet eum, Quomodo fiet iſtud? addens rationem ignorantiæ ſuæ hanc, quoniam virum non cognoſco, niſi perpetuam vouiſſet virginitatem, ideoque faceret contra votum ſanctiſſimum cognoſcendo virum, ſicut quælibet alia puella, quæ non vouerat, faciendum ſibi cogitaſſet, & feciſſet ſiue hæſitatione.

Vnde &

Vnde & hæc ſingularis Virgo, quia ex Diuina voti religione quæſiuit, dicens, quoniam virum non cognoſco, ac non ex humana naturæ conſideratione, ſicut ille, Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex: & vxor mea proceſſit in diebus ſuis: ſingularem didicit ab Angelo modum, quo & votum ſeruaret, & haberet filium: quia non hic, in Sancto hoc, in Filio Dei, viri operæ locus foret, Abſit: ſed Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. ſicque factum eſt nouo, ſanctiſſimo, ſingulari miraculo, vt Virgo Mater eſſet; cuius & filius, idemque Dei filius (ô eximiam prærogatiuam, Pater Deus, Mater Maria) Virgo fuit, & Sponſus & exemplum omnium ſanctarum virginum, in tam ſancto voto ſequentium Virginem Matrem eius. Veruntamen & in hac parte perfectionis non defuerunt etiam inter illa exordia quidam mali. Erant enim Viduæ de quibus Apoſtolus ſcribit, Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Satanam. Vnde *1. Tim. 5.* vult iuniores viduas non vouere, ſed nubere, quia poſt votum cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes (per hoc) damnationem, quia (volendo nubere) primam fidem irritam fecerunt.

Sicut autem ad paupertatem, & continentiam cohortatus eſt XXIX. Chriſtus verbo, & exemplo, ita ſimiliter ad obedientiam, quam (vt ſuprà docui) Monachi illi celeberrimi Ægypti tantopere coluerunt, quia à patribus didicerant, & quia ſciebant, voluntatem propriam radicem eſſe totius cupiditatis. Nam obedientia hoc fit, vt Monachi non ſolum ſecularibus deſiderijs, verumetiam propriæ voluntatis ductu prorſus in omnibus abnegato, ſe Abbati, vice Chriſti, per omnia regendos, tanquam holocauſtum, tradant. quæ vna res ſemper meritò habita eſt totius perfectionis ſolidiſſimum fundamentum. Hinc igitur *Ioan. 6.* Chriſtus vt de ſe dixit, Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me: intantum vt factus ſit ei obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: ita rurſus dixit quærenti conſilium perfectionis, non modò, Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, ſed illud quoque, Et veni, ſequere me. Atque iterum, Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ad quod quidem, ne fortè ingruat perſecutio, omnes neceſſario animum habere debent preparatum. Sed actu ſemetipſum abnegare in omnem vitam, nec in vllo pendere à voluntate propria, ſed aliena, hoc verò conſilium perfectionis eſt. Vbi etiam ne quis fortè (vt fit) opinione quadam vel etiam conſcientia
Philip. 2. *Matth 19.* *Matth. 16.*

prudentiæ ſuæ exiſtimet voluntatem propriam meliorem eſſe qua regatur, quàm alterius minùs fortè prudentis, non defuit exemplum ipſius quoque Chriſti, qui cùm eſſet Sapientia Patris, tam ſupra homines præſtabilis & ſingularis in prudentia, quàm in deitate, id eſt, ineffabiliter, omninoque incomparabiliter, tamen in exemplum omnimodæ
Luc. 2. obedientiæ ita ſe humiliauit, vt ſcriptum ſit de illo: Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis, [Matri ſcilicet & Ioſeph. Porrò quod ille dixit, Vende omnia, & veni, ſequere me, intellexerunt hoc alumni perfectionis poſt eius tranſitum ita, vt ipſe obedientiam hanc Apoſtolis eius exhibuerint: Nam vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Cuius obedientiæ ſpe-
2. Cor. 8. cimen quoque putatur eſſe, quod ſcripſit Paulus de Macedonibus, Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt, primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. Ac omnino certè videntur ſic paruiſſe D. Paulo comites eius, de quibus rotes & ipſe & Lucas qui eorum vnus erat, ſcribunt. vt hinc ſit, quod Timotheo mandat, Feſti-
2. Tim. 4. na ad me venire citò. narrans etiam quod à ſe miſſus ſit Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. &, Lucas eſt mecum ſolus. item de alio è contrario (vt videamus & in hac parte fuiſſe qui defecerint) Demas me reliquit, diligens hoc ſeculum, & abijt Theſſalonicam. Et
Luc. 9. inter illa tria exempla ſequentium Chriſtum, vt primum eſt de Paupertate, Dixit quidam ad illum, Sequar te quocunque ieris. Dixit illi Ieſus, Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet: ita duo reliqua ſunt de integra obedientia: Ait autem ad alterum, Sequere me. Ille autem dixit, Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. Dixitque ei Ieſus, Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, annuntia Regnum Dei. Et ait alter, Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare his qui domi ſunt. Ait ad illum Ieſus, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. [In qua integra obedientia ſecuti ſunt eum Duodecim Apoſtoli, & Septuaginta duo Diſcipuli.

XXX. Iam quoad regulares varias obſeruantias, quæ præſcriptæ ſunt Monachis, vt hæc tria Paupertatis, continentiæ, obedientiæ propoſita meliùs impleantur: nihil etiam in illis eſt quod culpet is qui Scripturas nouit. Nam Ioannes Baptiſta præſcripſit Diſcipulis ſuis & orationes &
Luc. 11. ieiunia. Vnde cum eſſet Chriſtus in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex Diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit &

docuit & Ioannes Diſcipulos ſuos. [Et rurſus dictum eſt ei :] Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter , & obſecrationes faciunt , ſimiliter & Phariſæorum : tui autem edunt & bibunt ? Erant autem ipſi diſcipuli Ioannis qui hoc dixerunt ei. quibus ille reſpondit non illud quod Proteſtantes ſolent præ ſe ferre , tanquam ipſi ſcilicet cum manducant perfecti ſint , nos autem qui abſtinemus ſimus fratres infirmi, ſed planè contrarium, ieiunium tantæ perfectionis eſſe, vt ſit quaſi vinum nouum, quod non in vtres veteres , ſed in vtres nouos ſit mittendum. De ipſo etiam Ioanne ſcriptum eſt : Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum , & zonam pelliceam circa lumbos ſuos : eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſilueſtre. Nec pudet Hæreticos vel diſſimulationis vel ignorantiæ ſuæ , cum hæc interpretantur de neſcio quibus delicijs ciborum , & pretioſo genere veſtis, quod Camelotum vocant. Verum doctior (vt puto) & fidelior interpres Chriſtus eſt, is autem de Ioanne dixit ad turbas : Quid exiſtis in deſertum videre ? hominem mollibus veſtimentis indutum ? Ecce, qui in veſte pretioſa ſunt & delicijs, [non in deſerto, vt Eremitæ, ſed] in domibus Regum ſunt : [Et iterum:] Venit Ioannes Baptiſta neque manducans panem , neque bibens vinum : & dicitis, Dæmonium habet. [quod in alio loco ſic effert:] Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ : & non credidiſtis ei. [Simillima ſunt , quæ in Veteri Teſtamento referuntur de Elia Propheta , in cuius ſpiritu venit Ioannes. vt quod Ochozias Rex dixit nuntijs ſuis reuertibus :] Cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis , & loquutus eſt verba hæc ? At illi dixerunt, Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites eſt. [Huius porrò [f] diſcipulus Eliſeus, & Filij Prophetarum quomodo innocentes erunt, ſi Monachi ſint rei ? maxima etiam inter miracula vtrorumque exiſtente ſimilitudine. De quorum vno (erant autem greges magni, vt patet ex [a] quinquaginta requirentibus Eliam poſt aſſumptionem, & ex [b] centum quos abſcondit Abdias, & ex [d] cuneo Prophetarum, cui occurrit Saül) nouimus qui dixerint ad Iehu , [e] Quid venit inſanus iſte ad te ? [ſicut de quibuſdam ſuo tempore ſcribit ſanctus Monachus Hieronymus:] Quanti hodie exprobrant animæ Dei, myſteria conſectanti volentique videre pacem eius, & dicunt, Inſanus eſt, & ebrius, & muſto plenus, hominum cœtus fugit, delicias aſpernatur, aurum pro luto computat, ſolam diligit paupertatem. &c. & non præſentem laudant conuerſationem, ſed vetera peccata exprobrant , &c: Huc pertinent obſeruantiæ illæ Rechabitarum, de quibus ad Hieremiam Prophetam loquutus eſt Dominus, Vade

Margin notes: Luc. 5. Matth. 9. Mar. 2. — Matth. 3. — Luc. 7. Matth. 11. — Matth. 21. — 4. Reg. 1. — f 3. Reg. 19. — a 4. Reg. 2. — b 3. Reg. 18. — d 1. Reg. 10. 19. — e 4. Reg. 9. — Hier. in Sophon. 3.

Ierem. 35. nus, Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos
» in Domum Domini in vnam exedram theſaurorum, & dabis eis bibe-
» re vinum. [Et infrà:] Et poſui coram filijs domus Rechabitarum ſcy-
» phos plenos vino & calices: & dixi ad eos, Bibite vinum. Qui reſpon-
a 4. Reg. 10. & 15. derunt, Non bibemus vinum: quia [a] Ionadab filius Rachab, pater
» noſter præcepit nobis, dicens, Non bibetis vinum vos & filij veſtri vſ-
» que in ſempiternum. Et domum non ædificabitis, & ſementem non
» ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: ſed in tabernaculis ha-
» bitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem
» terræ in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij
» Rechab, patris noſtri, in omnibus quæ præcepit nobis: ita vt non bi-
» beremus vinum cunctis diebus noſtris: nos & mulieres noſtræ, filij &
» filiæ noſtræ: & non ædificaremus domos ad habitandum: & vineam
» & agrum & ſementem non habuimus: ſed habitauimus in tabernacu-
» lis, & obedientes fuimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater
» noſter. [Et iterum infrà:] Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias:
» Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Pro eo quòd obediſtis præ-
» cepto Ionadab Patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & fe-
» ciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis: Propterea hæc dicit Dominus
» exercituum Deus Iſraël, Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Ra-
» chab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. [Vbi igitur ſunt qui dicunt Monachis, Bibite vinum, relinquite omnes Monaſticas obſeruantias: & niſi conſenſerint, ſuperſtitioſos vocant: ſi autem conſenſerint, dignos iudicant qui ſint ipſorum Apoſtoli & Magiſtri? Contrà autem Diuina Scriptura (vt cernimus) commendat talium obſeruantiam, vt Deo gratiſſimam, vt vinum nouum & pannum nouum, vt viam iuſtitiæ.

Fruſtrà igitur Hæretici talia reprehendunt, ſiue ſimpliciter, ſiue etiam cum ad cultum Dei referuntur. Quid enim expreſſius eſſe poteſt, quam hæc quæ dixi, ſicut & illa ſupra dicta, de amplectenda paupertate propter theſaurum in cælo, & de caſtrando ſeipſo propter regnum
Luc. 2. cælorum? ſicut illud denique de Anna Propheteiſſa & vidua vſque ad an-
» nos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de Templo, ieiunijs & ob-
» ſecrationibus ſeruiens λατρεύουσα nocte ac die. Quid enim fieri non de-
1. Cor. 10. bet ob cultum Dei, cum dicat Apoſtolus, Siue ergo manducatis, ſiue
» bibitis, ſiue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Tunc enim revera optimè fiunt bona opera, quando non ſolùm quia bona ſunt fiunt, ſed etiam vt colatur Deus, dicente inde Iacobo Apoſtolo:

Religio-

Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt, Viſi- *Iac. 1*
tare pupillos & Viduas in tribulatione eorum: & immaculatum ſe cu-
ſtodire ab hoc ſeculo. Nam ἐθελοθρησκεία, quam perſtringit Apoſto- *Col. 2*
lus Paulus, de qua & dicit, Nemo vos ſeducat, volens in humilitate &
religione Angelorum, intelligitur in illis obſeruantijs quæ ita ſunt à
voluntate ſeu ab hominibus, vt non ſint à Deo: quarum duo ſunt ge-
nera, quædam inutiles tantùm, aliæ etiam Deo contrariæ. Inutilia
& ſuperuacanea fuerunt illa de quibus ſcriptum eſt: Phariſæi enim *Mar. 7.*
& omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenen-
tes Traditionem ſeniorum: & à foro, niſi baptizentur, non come-
dunt. & alia multa ſunt quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata ca-
licum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. [Contraria man-
datis Dei fuerunt illa de quibus Chriſtus dicebat:] Bene irritum fa-
citis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis. Moyſes enim
dixit, Honora Patrem tuum & Matrem &c: Vos autem dicitis, Si
dixerit homo patri aut matri, Corban (quod eſt donum) quodcum-
que ex me, tibi profuerit: & vltra non dimittitis eum quicquam fa-
cere patri ſuo aut matri, reſcindentes verbum Dei per Traditionem
veſtram quam tradidiſtis. & ſimilia huiuſmodi multa facitis. [Simili-
ter contraria erat Deo illa religio Angelorum de qua Paulus. Vole-
bant enim quidam accedere ad Deum per Angelos Mediatores, id
eſt, quaſi Angeli per ſe propitium facerent hominibus Deum: Vbi
veritas eſt, quòd per Chriſtum fieri debeat omnis acceſſus ad Deum,
ita vt ſiue nos, ſiue patroni noſtri, mortales vel immortales, rogent
Deum pro nobis, concluſio ſemper eſſe debeat, quæ eſt Eccleſiæ, Per
Chriſtum Dominum noſtrum. is enim ſolus accedit ad Deum pro
nobis per ſemetipſum, & cæteri omnes per eum, quod D. Paulo eſt
Meditatorem eſſe Dei & hominum, In talibus igitur ſita eſt *1. Timo. 2.*
ἐθελοθρησκεία, non autem in illis quæ ſunt à Deo ſiue per ſe ſiue per
homines: qualia ſunt quæcunque commendantur in Scripturis Diui-
nis, ſicut obſeruantiæ (vt iam oſtendi) Monaſticæ. qualia item, quæ
approbantur ab Eccleſia Dei, Columna & firmamento veritatis, quia *1. Tim. 3.*
habet Spiritum veritatis ducentem eam in omnem veritatem, & docen- *Ioan. 16.*
tem probare ſpiritus ſi ex Deo ſint. cuiuſmodi rurſum ſunt obſeruantiæ *1. Ioan. 4.*
Monaſticæ, vtpote ſemper in Eccleſia Dei ab exordio cum fauore & ad-
miratione bonorum omnium, & ex auctoritate Apoſtolorum ac eorum
Succeſſorum, quibus Chriſtus dixit, Qui vos audit, me audit, fre- *Luc. 10.*
quentatæ.

Ac profectò, cùm ad huiuſmodi obſeruanda tam clara ſint partim in ſententijs, partim in exemplis hortamenta Scripturarum, quid eſt quamobrem, etiamſi hactenus nemo talia obſeruaſſet, tamen vel hodie, vel quandocunque quis vellet, ea conſectari non valeat? Quanto autem magis, cùm videamus illa diuina hortamenta non iacuiſſe hactenus mortua, ſed inuentos eſſe (ad maximam Diuinitatis eius qui ſic hortatus eſt, declarationem) viros & mulieres in omni ætate, innumerabiles, qui iiſdem conſilijs, quantumuis arduis, deuotiſſimè promptiſſimeque paruerint? ſicque facientes, viam non ſalutis ſolum, ſed perfectionis quoque incedere iudicati ſint ab omnibus, Scripturis etiam ſuffragantibus: Quæ omnia cùm ita ſint, facillimum eſt intelligere, cuiuſmodi ſint Proteſtantes, qui & contra Scripturas, & contra omnes Eccleſiæ ætates, per vaſtitates, per deſolationes, per ruinas, & alicubi etiam quaſi per leges curauerunt, vt huiuſmodi virorum & mulierum Deo ex toto dedicatorum ordines ſint ſublati: apud quos nullæ ſunt Virgines neque Viduæ, niſi fortè quæ maritos inuenire non poſſunt: nulli pauperes, niſi multum repugnante & obmurmurante voluntate: apud quos ieiunantes & orantes habentur Phariſæi, Monachi & lugentes æſtimantur inſani, perfectiſſimi Chriſtianorum reputantur turpiſſimi hypocritarum: apud quos denique in habitu, geſtu, vultu, nullum indicium religionis, deuotionis, pietatis, virtutis, iudicatur commendabile, aut ferè etiam tolerabile; ita vt iam in Anglia noſtra erubeſcant plerique non ſolùm ſignare ſe Cruce Chriſti, ſed etiam genuflectere Deo, tundere pectus, omninoque orare. Potuiſſent ſcilicet Optatus probare in Anglia eſſe Eccleſiam Chriſti, ar-
Opt. lib. 3. gumento illo, quo probauit eam eſſe in Romano Imperio, quia ibi
fol. 32. " & Sacerdotia ſunt, & pudicitia, & Virginitas; quæ Barbaris Genti-
" bus non ſunt: & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent. Non igitur iraſcatur Anglia, ſi vocetur Gens Barbara, quæ certè propter hoc & infinita ſimilia contra Chriſti Eccleſiam impiè deſignata, quicquid ſit in oculis ſuis, non poteſt in oculis Chriſtianis, Catholicis, Eccleſiaſticis, niſi omni immanitate barbara videri, ſicut indubiè & in oculis ipſius Chriſti ac Dei. Interim vt à tanta barbarie reſipiſcat tandem, & reuertatur ad Deum, habet hic veram & vnicam ſibi Eccleſiam demonſtratam, quemadmodum per alia multa certiſſima ſigna, ita & per hoc, quod ſola noſtra Eccleſia eſt, quæ quibus incœpit, & creuit ordinibus Fidelium, ſicut infans membris, iiſdem omnibus nunc etiam conſtat, & augeſcit amplius; illa etiam (inter omnia) perfectiſſima ſui